THEOLOGIA MORALIS

JUXTA SACRÆ SCRIPTURÆ, CANONUM, ET SS. PATRUM MENTEM,

Jussu Eminentiss. ac Reverendiss. Stephani Cardinalis LE CAMUS Episcopi Gratianopolitani, Gallica lingua, & deinde Latina exarata,

AUCTORE

FRANCISCO GENETTO

Avenionensi, Episcopo Vasionensi.

EDITIO NOVISSIMA

A plurimis aliarum mendis diligenter expurgata, & præter varia Conciliorum Provincialium, Synodorumque Italiæ Decreta, omnibus BENEDICTI XIV. & CLEMENTIS XIII. Constitutionibus ad rem moralem pertinentibus nunc primum illustrata;

TOMUS SECUNDUS

Continens Tractatus de Beneficiis, de Simonia, & de Pœnis Simoniacorum: Ideam Juris Canonici, & Civilis: Regulas Juris utriusque: Et Constitutiones S. PII V. *de Cambiis,* SIXTI V. *de Usuris,* INNOCENTII XII. *de Consanguineis Summ. Pontif. &* BENEDICTI XIV. *circa residentiam Episcoporum, circa Clericos negotiatores, circa Resignationem Beneficiorum cum reservatione Pensionis, & circa Missarum eleemosynas.*

BASSANI, MDCCLXXV.

SED PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX TRACTATUUM, CAPITUM, & Quæstionum

TOMI SECUNDI.

TRACTATUS PRIMUS.

De Beneficiis.

CAPUT PRIMUM.

De definitione, & divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

CAPUT II.

De Qualitatibus requisitis in illis, qui ad Beneficia assumuntur.

CAPUT III.

De recta intentione, quam habere debet, qui Beneficium suscipit.

CAPUT IV.

De Obligationibus eorum, qui Beneficia conferunt, aut ad illa nominant.

CAPUT V.

De Resignatione, seu Renunciatione Beneficiorum.

CAPUT VI.

De Pluralitate Beneficiorum.

Q. 4.

CAPUT VII.

De Obligatione Beneficiariorum circa residentiam.

CAPUT VIII.

De obligatione Beneficiatorum, & eorum qui in sacris Ordinibus sunt constituti, deferendi tonsuram, & capillos breviores.

CAPUT IX.

De Veste Talari.

CAPUT X.

De Horis Canonicis, seu Officio Divino.

CAPUT XI.

De usu & dispensatione redituum, seu bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT XII.

De Pensionibus.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Simonia.

CAPUT PRIMUM.

De definitione Simoniæ.

CA-

CAPUT II.

De divisione Simoniæ.

CAPUT III.

De variis casibus, in quibus simonia committitur.

Q. 8.

TRACTATUS ULTIMUS.

De pœnis Simoniacorum.

Con-

DIGESTORUM SEU PANDECTARUM LIB. L. TIT. ULT.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS
DE
BENEFICIIS.

CAPUT PRIMUM.

De definitione, & divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

Quæst. I. QUID est Beneficium?

Resp. Est jus recipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis Deo dicatis, ratione spiritualis officii, summi Pontificis aut Episcopi authoritate constitutum.

Primo est, *Jus Papæ, aut Episcopi authoritate constitutum*, quia, ut ait Glossa (*in c. Si beneficiorum, Decimis in Clem.*), *Constat esse Beneficia Ecclesiastica, ex quo sic sunt per Episcopum ordinata*: Sola enim prælati authoritas, seu approbatio, & confirmatio, facit, ut hujusmodi bona spiritualia fiant, & sub bonis Ecclesiasticis contineantur, aut inter illa computentur. Unde obsequia pro mortuis, & similia, licet perpetua, non sunt Beneficia sine tali approbatione: sed potius salaria, seu stipendia, aut eleemosynæ destinatæ iis, qui talia obeunt munia.

Secundo, est jus percipiendi *Fructus quorumdam bonorum Deo dedicatorum*, quia bona Ecclesiastica ita dicta sunt, eo quod ordinantur ad cultum Dei, & pauperum sustentationem, ut ait sanctus Thomas: nam cum sibi objecisset (*in epist.* 2. *ad Cor. c.* 12 *lect.* 5.), quod *Videtur quod male fecerint Principes, & alii dando divitias*

Præ-

Prælatis, respondit, *Dicendum esse, quod non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes: & ideo non dederunt eis, sed pauperibus: Prælatis autem dantur tamquam pauperum dispensatoribus.*

Denique traduntur his fructus *Propter aliquod officium spirituale*; quia nullum est beneficium, quod non obliget ad aliquod munus spirituale, & juxta Concilium Tridentinum (*sess.* 21. *de refor.* 3.): *Beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda sunt constituta.* Nimirum vel propter Missam celebrandam, vel ut verbum Dei prædicetur, vel ut divinum officium recitetur, & similia: ut patet ex Canone *Significatum* (*de Præbendis*), & ex capite *Quia per ambitiosam* (*de Rescriptis in* 6.), in quo sic habetur: *Officium, propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur.* Nomine vero *Officii*, non solum intelligitur Horarum Canonicarum recitatio, quæ vulgo vocari solet Officium divinum, juxta Decretum Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio III. celebrati: verum etiam intelliguntur cætera munia singulis Beneficiis annexa, & præterea obligatio, qua bona Ecclesiastica obtinentes, tenentur operari juxta vires & facultatem, & Ecclesiæ inservire; iis enim apte applicari possunt verba sancti Pauli (2. *ad Thes. c.* 3. *v.* 10.); *Si quis non vult operari, nec manducet*: & si *qui altari deserviunt, cum altari participant* (1. *ad Cor. c.* 9. *v.* 13.); ita non videtur æquum, ut ii, qui nullum munus obeunt, de altari quidquam recipiant. Etenim, ut habetur in Concilio Coloniensi (*anno* 1549. *c.* 2. *tit.* 9.); *Divini Juris est, ut qui servit altari, de altari vivat: nec bono jure is, qui non servit altari, de altari vivit; sicut stipendium non debetur, nisi militanti.*

Quæst. 2. Quomodo se gerere debet Episcopus inveniens in Diœcesi sua beneficia quædam occupata a Clericis, qui nulla obeunt munera, seu quia non constat de obligationibus fundationis, seu quia obligationes antiquæ talium beneficiorum non sunt amplius in usu?

Resp. Juxta sanctum Carolum (*Conc. Med.* 1. *tit. Communia de Ministris.*): „ Cæteris etiam beneficiis, quæ„ cumque jam ab Ecclesiasticis officiis immunia reperi„ untur, sive Canonicatus, sive Clericatus, sive etiam „ simplicium nomine appellentur, iis Episcopus pristina „ munera restituat: ac si non constat satis qualia ea es„ sent, pro fructuum ratione onera imponat, aut Missas, „ divinaque officia celebrandi: aut, si Clericatus, sim„ pliciave beneficia sunt, minorum etiam Ordinum fun„ ctiones obeundi, ad divini cultus propagationem. “ Idem statuitur in Concilio Burdigalensi (*an.*1624. *tit.*18.§.1.)

Quæst. 3. Fuerunt-ne semper in Ecclesia Beneficia?

Resp. Si Beneficii nomine dignitatem aliquam, aut officium velimus intelligere, seu munus Ecclesiasticum: Dicendum, ab initio in Ecclesia semper fuisse Beneficia: cum certum sit, Episcopos semper fuisse, Presbyteros

nos etiam, aut Curatos, Diaconos, & Archidiaconos, & similia in Ecclesia munia, aut dignitates, quæ necessariæ erant ad Ecclesiæ regimen, & ad sanctificationem fidelium. Verum si Beneficii nomine intelligamus jus aliquod perpetuum gaudendi parte aliqua bonorum Ecclesiæ quæ specialiter assignata sunt, & determinata, quæque transeunt ad eum, qui tali beneficio succedit: hoc sensu debemus dicere, Beneficiorum institutionem non esse adeo antiquam, nec talia fuisse in primis Ecclesiæ sæculis.

Quæst. 4. Qua ergo ratione Ecclesiæ bona prioribus illis sæculis erant administrata, priusquam Beneficia essent erecta.

Resp. Primis illis Ecclesiæ sæculis, & beatis illis temporibus, ut habetur in Actibus Apostolorum (*c*. 4. *v*. 31.): „ Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: „ nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse „ dicebat: sed erant illis omnia communia; neque enim „ quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum; dividebatur autem singulis, „ prout cuique opus erat. " Iis, inquam, temporibus, certum est, Apostolos, & Episcopos, quos illi variis in locis constituerunt, plenam habuisse disponendi facultatem de oblationibus fidelium, cæterisque Ecclesiæ bonis, quæ omnia communia erant; eaque distribuisse singulis juxta cujusque indigentiam. Et licet hæc communitas bonorum non diu viguerit inter Laicos, inter Clericos tamen per aliquot sæcula duravit, sub Episcopi directione, & administratione, qui singulis Ecclesiæ ministris necessaria dabat ad honeste vivendum. Unde legimus in Canone Apostolis tributo (*Can*. 4. *Apost*. *ref*. *in Can*. *Præcipim*. 12. *q*. 1.): „ Præcipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum „ pretiosiores illi sunt creditæ, multo magis oportet eum „ curam pecuniariam gerere, ita ut potestate ejus, indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, & Diaconos, & cum Dei timore, & omni solicitudine ministrentur.

Ipsæ vero res, inquit Sanctus Urbanus Papa in Canone illi attributo (*Can*. *Videntes*, 12. *q*. 1.), *in ditione singularum Parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt usque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus: E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsa enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur; non ergo debent in aliis usibus, quam Ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum fratrum, vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ.*

Denique in Concilio Antiocheno (*c.* 30. *ref. in Can. Episc.* 12. *q.* 1.) sic habetur: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei.* Verum quia Episcopus variis spiritualibus officiis occupatus, & regimini spirituali suæ Diœcesis, seu orationi, instructioni, & prædicationi verbi Dei, fideliumque sanctificationi ita erat intentus, ut vix rebus temporalibus Ecclesiæ administrandi vacare posset; ut plurimum habebat Œconomum, quem ex Presbyteris, aut Diaconis Ecclesiæ suæ eligebat, quique Ecclesiæ bona, reditusque sub Episcopi authoritate recipiebat, ac distribuebat. Multis in Ecclesiis Occidentis bonorum temporalium administratio ad Archidiaconum spectabat, uti legimus de sancto Laurentio, cujus fidei bona Ecclesiæ Romanæ erant commissa, quia scilicet illius Ecclesiæ primus tunc erat Diaconus. Episcopi autem congregati in Concilio Chalcedonensi (*Can.* 26.), hanc disciplinam tam utilem, & necessariam fuisse Ecclesiæ judicarunt, ut dixerint: „ Quoniam in quibusdam Ecclesiis, ut rumore comperimus, præter Œconomos, Episcopi facultates Ecclesiasticas tractant; placuit, omnem Ecclesiam habentem Episcopum, habere Œconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam Episcopi; ita ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiasticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis contumelia procuretur ". Unde sanctus Hieronymus sic loquitur (*Ep. ad Nepotianum*): *Sciat Episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum, curæque præficiat.*

Quæst. 5. Quando-nam introducta est in Ecclesia divisio bonorum Ecclesiasticorum in tres, aut quatuor partes æquales.

Resp. Licet a primis usque sæculis Ecclesiæ bona impensa fuerint, ut Episcopus, ejusque Clerus necessaria haberet, ut repararentur Ecclesiæ, & pauperes alerentur; nihilominus hæc divisio bonorum expresse tantum ordinata fuit circa quintum sæculum. Simplicius Papa de hac divisione loquitur in Epistola ad Florentium Equitium, & Severum Episcopos, contra Gaudentium Ausinii Episcopum, qui bonis Ecclesiæ abutebatur: *Simul etiam*, inquit Simplicius Papa (*in ep.* 3. *ad Florentium Equitium, & Severum Episc. ann.* 475.), *de reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quid deceat nescienti, nihil licere permittat; sed sola ei ex his quarta portio remittatur: duæ Ecclesiasticis Fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuere ab Onanro Presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur; ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur. Cui etiam hoc specialiter præcipimus imminere, ut tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicasse, restituat.*

Ge-

Gelasius Papa de eadem divisione ita scribit (*in ep.* 5. *ad Episc. Lucaniæ*, *ref. in Can. Quatuor*, 12. *q.* 2.): „Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit (sicut „dudum rationabiliter est decretum) convenit fieri portiones; quarum una sit Pontificis, altera Clericorum, „tertia pauperum, quarta Fabricis applicanda". Mos est „Apostolicæ Sedis, *sanctus Gregorius Papa* (in resp. ad „Aug. Angliæ Episc. ref. in Can. Mos est, 12. q. 2. S. „Greg. l. 7. ep. 8. Leoni Episcopo.), ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet „Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & „susceptionem, alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis". Idem quoque summus Pontifex in una ex suis Epistolis refert distributionem quartæ partis bonorum Ecclesiæ in usum Cleri destinatæ fieri solitam ab Episcopo, secundum quod ipse judicaret, habita ratione munium, & officiorum, quæ unusquisque præstabat Ecclesiæ.

Sin autem quidam reperiantur Canones Conciliorum in Hispania celebratorum, veluti Concilii Bracarensis primi (*Can.* 7.), Concilii Toletani quarti (*Can.* 33.), & noni (*Can.* 6.) Concilii Emeritensis (*Can.* 14.), & Toletani etiam decimi sexti (*Can.* 5. *p.* 2. *in Can. Unio*, 10., *c.* 3., quod refertur in Canone, *Unio*, ubi sic habetur: „Unio nostræ Congregationis decernit, atque instituit, „ut tertiis, quas antiqui Canones de Parochiis suis habendas Episcopis censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis dirutæ Ecclesiæ reparentur": Etiamsi, inquam, in dictis Canonibus Ecclesiæ bona tres in partes dividantur; dicendum est tunc, Episcopos & Clerum fuisse obligatos ad alendos pauperes, & Ecclesias reparandas. Et licet in omnibus fere Ecclesiis Occidentis reditus Ecclesiastici in quatuor partes fuerint divisi, hæc divisio, quæ instituta tantum fuit in remedium contra avaritiam Præsulum, & cupiditatem Œconomorum, seu Archidiaconorum, & ad sedandas querelas Clericorum, & pauperum, qui sæpe putabant sibi partem congruam ex Ecclesiæ bonis non dari: hæc, inquam, divisio nullo modo mutabat naturam bonorum Ecclesiasticorum: & ita tam hæc quarta pars Episcopis adjudicata, quam ea, quæ Clericis erat attributa, erat semper pars patrimonii pauperum; proindeque postquam Episcopus, & Clerici, inde sumpsissent, quod illis erat necessarium ad honestam sustentationem, reliquum ad pauperes pertinebat.

Ut enim ait Pater Thomasinus (*in lib. de disciplina Ecclesiæ p.* 1. *l.* 4. *c.* 15. *num.* 51.), hæ partes semper conservabant naturam totius, & sicut ante divisionem factam nihil aliud erant bona Ecclesiæ, quam patrimonia pauperum, ita & post divisionem. Erant itaque quatuor partes patrimonii pauperum, cujus divi-

sio nec originem, nec naturam rei commutabat. Decreta Ecclesiæ, quibus quarta saltem pars bonorum Ecclesiasticorum pauperibus concedebatur, non liberabant beneficiarios ab iis regulis, eorum statui, professioni, & naturæ bonorum Ecclesiasticorum prorsus essentialibus; cum Clerici solo necessario contenti esse debeant, superfluum dare pauperibus, nihil nisi honestum victum & vestitum quærere, cætera pauperibus erogare, luxum & copiam rerum fugere, æstimare & amare paupertatem: enorme plane crimen credere, nec latrocinium modo, sed & sacrilegium esse, ex pauperum bonis ditescere. Hæc invariata manent, nec ullam patiuntur mutationem, licet Ecclesiæ bona vario variis sæculis divisa sint modo.

Quæst. 6. Quandonam Episcopi abdicare cæperunt administrationem bonorum Ecclesiæ, quæ in quatuor partes dividere tenebantur?

Resp. Hæc disciplinæ mutatio non subito, neque statim, aut simul, sed sensim sine sensu contigit; Episcopi enim primo ad certum tempus, tum per totam vitam alicui Clerico quamdam bonorum Ecclesiæ partem concedebant, & tandem in perpetuum cesserunt bona Ecclesiæ, quæ a primis temporibus eorum administrationi erant subjecta, mediante Œconomo, aut Archidiacono. Initium hujus divisionis bonorum Ecclesiæ reperiri potest ineunte sexto sæculo in Epistola Symmachi Papæ ad sanctum Cæsarium Archiepiscopum Arelatensem, ubi sic habetur (*ep.* 1. *c.* 1. *ref. in Can. possessione*, 16. *q.* 1.): „ Possessiones, „ quas unusquisque Ecclesiæ propriæ dedit, aut reliquit „ arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque distrationi- „ bus, vel sub quocumque argumento non patimur; nisi „ forte aut Clericis bonorum, meritorum, aut Monaste- „ riis Religionis intuitu, aut certe peregrinis, necessitas „ largiri suaserit; sic tamen, ut hæc ipsa non perpetuo, „ sed temporaliter perfruantur. " Concilium Agathense (*anno* 506. *Can.* 7.) eodem tempore celebratum, idipsum decernit his verbis: „ Minusculas vero res, aut Ecclesiæ „ minus utiles, peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ec- „ clesiæ, in usum præstari permittimus.

Dici potest, has concessiones fuisse veluti quoddam initium beneficiorum, cum eo tamen discrimine, quod arbitrariæ tantum gratificationes erant, qui episcopus pro arbitrio suo revocare poterat, etiam vivente beneficiario.

Verum ob frequentes querelas, quod Episcopi nimia facilitate dona revocarent a prædecessoribus concessa, Concilium Aurelianense tertium statuit (*anno* 539. *c.* 17.) „ De munificentiis Sacerdotum id observandum, ut si- „ quid præsenti tempore habetur, vel possidetur, deinceps „ a successoribus nullatenus auferatur. Si pro opportunita- „ te Episcopo placuerit, quod voluerit, commutare, sine „ accipientis dispendio, in locis aliis commutetur. De „ munificentiis vero præsentibus, quas unusquisque Cleri- „ cis

„ eis pro sua gratia eorum obsequio æstimat conferendas, „ sicut in arbitrio dantis est, ut tribuere, quibus voluerit, debeat; ita si inobedientia, vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpa agnita, in arbitrio sit „ præsidentis, utrum vel qualiter debeat revocari. “

Idcirco hæ concessiones erant veluti precariæ, præsertim durante vita Episcopi, qui eas concesserat, & ita vocantur in Concilio Toletano (*anno* 653. *Can.* 5.), ubi sic habetur. „ Decernimus, ut quisquis Clericorum, vel „ aliarum quarumlibet personarum, stipendium de rebus „ Ecclesiæ cujuscumque Episcopi percipit largitate, sub „ precariæ nomine debeat professionem scribere, ut nec „ per detentionem diuturnam præjudicium afferat Ecclesiæ, & quæcumque in usum perceperit, debeat utiliter „ laborare, ne res divini juris debeat aliqua occasione „ negligi, & subsidium ab Ecclesia, cui deserviunt, percipere possint Clerici: quod si quis eorum contempserit „ facere, ipse se stipendio suo videbitur privare. „

Lex igitur hæc erat Clericis & Laicis, ut alienare non possent, aut parentibus dare, quod ipsis mera Ecclesiæ largitate concessum fuerat; ut patet ex Concilio Aurelianensi quarto (*anno* 504. *Can.* 34.): *Quisquis agellum Ecclesiæ in diem vitæ suæ pro quacumque misericordia a Sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quæcumque ibi perfecerit, alienandi nullam habeat potestatem: nec sibi parentes sui ex ea re aliquid existiment vindicandum.*

Quæst. 7. Quo tandem modo Laici poterant possidere hujusmodi Ecclesiæ bona?

Resp. Cum omnia bona Ecclesiæ patrimonia sint pauperum, ejusque proventus non minus deputandi sint ad illorum sustentationem, quam ministrorum altari servientium, sicut Episcopi aliquando fundos Ecclesiæ Clericis assignabant, ut inde alimenta perciperent, & id eis esset loco distributionum manualium, quæ quolibet mense fiebant, præsertim in Diœcesibus, in quibus Clerici in mensa communi non alebantur, ut videre est apud Cyprianum (*ep.* 11. *ad Eccl. Carthag.*): *Cæterum*, inquit, *Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, & ut sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & divisionum mensuras æquatis quantitatibus partiantur*: Sic quidam Episcopi, ex concessione Symmachi Papæ, & Decreto Concilii Agathensis supra relati, fundos aliquot Laicis indulgebant, seu essent peregrini, seu etiam ex propria Diœcesi oriundi, ut eorum subvenirent necessitatibus, pendente vita. Et vox illa (*peregrini*) qua tum Pontifex, tum Concilium utuntur, non modo complecti, & significare videtur pauperes peregrinos, qui aliunde veniebant; verum etiam Laicos omnes, qui veluti peregrini sunt respectu Clericorum, qui veri filii sunt, & quasi primogeniti domus Dei, quæ est Ecclesia.

Quin

Quin etiam aliquando Laici conjugati bona sua tradebant Ecclesiæ hoc pacto, ut ipsis relinqueretur usufructus pendente vita, ita ut ea Ecclesiæ nomine possiderent. Nonnunquam etiam ea lege, ut Episcopus ipsi concederet aliquem Ecclesiæ fundum, quo durante vita gauderent, perinde ac propriis terris, seu bonis, quæ Ecclesiæ post suam tantum mortem relinquere volebant. Id autem fiebat consentiente Clero, ne aliquod damnum ex hujusmodi pactis pateretur Ecclesia, ut videre licet apud Marculphum Monachum, qui septimo vivebat sæculo, & nonnullas harum concessionum formulas refert libro secundo, ubi hæc habentur (*in suis Formulis l.* 2. *c.* 39. & 40.): „ Ea tamen conditione, ut dum audivi„ mus, suprascripti loci, tam illi quos nobis præstitistis, „ quam quos pro animæ nostræ remedio ad ipsam Ec„ clesiam delegavimus, absque ullo præjudicio Ecclesiæ „ vestræ, de qualibet re usufructuario ordine possidere „ debeamus.

Quæst. 8. Episcopus disponebat-ne de singulis Proventibus Parochiarum Diœcesis suæ, postquam plures erectæ fuerunt variis in locis pro majori populi commodo?

Resp. Constat, ad sextum usque sæculum disposuisse Episcopos de singulis reditibus, & oblationibus, quæ fiebant in Parochiis suæ Diœcesis; nam cum dictæ Ecclesiæ essent veluti divisiones, & proportiones Ecclesiæ Cathedralis quæ originalis sola erat illius Diœcesis Ecclesia matrix, & fundatrix aliarum; Episcopus retinebat in eas idem jus, quod in Ecclesia Cathedrali; instituebat, seu nominabat in illis Parochos, & Beneficiarios, seu Vicarios, quibus relinquebat, quod sibi conveniens videbatur, ex fundis seu oblationibus harum Parochiarum.

Verum Concilium Aurelianense primum (*anno* 511. *Can.* 15.) hoc circiter tempore ita statuit: „ De his quæ „ Parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis, „ quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum sta„ tuta serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant. „ De his tamen quæ in altario accesserint, tertia fideliter „ Episcopis deferatur". Concilium Carpentoratense paulo post celebratum (*anno* 527. *Can. unic.*), sequens Decretum fecit: „ Hujusmodi ad nos querela pervenit, quod „ ea, quæ a quibuscumque fidelibus Parochiis conferun„ tur, ita ab aliquibus Episcopis præsumantur, ut aut „ parum, aut prope nihil Ecclesiis, quibus collata fue„ rant, relinquatur: hoc nobis justum & rationabile vi„ sum est, ut si Ecclesia civitatis ejus, cui Episcopus „ præest, ita est idonea, ut Christo propitio nihil indi„ geat, quidquid Parochiis fuerit derelictum, Clericis, qui „ ipsis Parochiis deserviunt, vel reparationibus Ecclesiarum „ rationabiliter dispensetur; si vero Episcopum multas ex„ pensas & minorem substantiam habere contigerit, Paro„ chiis, quibus largior fuerit collata substantia, hoc tantum,

„ quod

„ quod Clericis vel sartis rectis rationabiliter sufficiat, „ reservetur: quod autem amplius fuerit, propter majo„ res expensas Episcopus ad se debeat revocare.

Sequentibus deinceps temporibus oblationes omnes, quæ Ecclesiis Parochialibus fiebant, Parocho cæterisque Clericis ibidem deservientibus concedebantur. Ipsi etiam Episcopi terras quasdam Ecclesiæ Parochis concedebant, ut patet ex Concilio Toletano tertio (*anno* 589. *Can.* 33.), ubi sic habetur: *Si quod vero quod utilitatem non gravet Ecclesiæ, pro suffragio Monachorum, vel Ecclesiis ad suas Parochiam pertinentibus dederunt* (*Episcopi*) *firmum maneat*. Quia scilicet Parochi post hanc vitam nulla re indigent; Parochiarum vero indigentia semper durat, quia perpetuæ esse debent.

Deinde etiam decimæ ipsis Ecclesiis Parochialibus concessæ fuerunt; iis renuntiarunt Episcopi, ut se liberarent ab omni cura providendi res necessarias Parochis, seu etiam Vicariis, & aliis Clericis: quin etiam ipsi Episcopi & Abbates decimas solvere tenebantur ex terris, seu fundis ad se pertinentibus, ut uniformis ubique vigeret usus, nullaque immunis terra foret a solvendis propriæ Parochiæ decimis; ut videre est in Concilio Cabilonensi secundo (*anno* 803. *Can.* 19.), ubi sic habetur: „ Questi „ sunt quidam fratres, quod essent quidam Episcopi & „ Abbates, qui decimas non finerent dari Ecclesiis, ubi „ illi coloni Missas audiunt, proinde decrevit sacer iste „ Conventus, ut Episcopi & Abbates de agris & vineis, „ quæ ad suum vel Fratrum stipendium habent, decimas „ ad Ecclesias deferri faciant: familiæ vero ibi dent de„ cimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per „ totum anni circulum Missas audiunt “.

Et quia varii Episcopi quartam partem decimarum & oblationum in singulis quibusque Parochiis habere prætendebant juxta antiquiorum Decreta Canonum; ideo Concilium Parisiense sextum (*ann.* 819. *Can.* 31.) sic decrevit: „ Quamquam authoritas Canonica doceat, ut „ quarta pars decimarum, & redituum ex oblationibus „ fidelium in usus Episcoporum cedat, ubicumque tamen „ Episcopus suas habet, suis contentus sit: ubi autem ni„ hil rerum Ecclesiæ habet, accipiat de memorata quar„ ta parte sibi suisque, non quod avaritia, quod absit, „ suaserit, sed potius quod compulerit. Cæterum si acci„ piendi nulla necessitas urserit, nihil de memorata quar„ ta parte accipiat, sed usibus Ecclesiarum vel pauperi„ bus Christi impertiendam secundum suam dispositionem „ relinquat “. Et ita Parochiæ omnes diversis gradibus erectæ fuerunt in beneficia perpetua, cum perpetuis & fixis proventibus & oblationibus & fundis, quos Episcopi Parochis concesserant.

Quæst. 9. Quomodo alia Ecclesiæ bona distracta seu divisa fuerunt varias in portiones, seu beneficia?

Resp. Cum plerique Episcoporum voluissent nono cir-

citer sæculo vitam communem inter Clericos stabilire, & Ecclesiarum Cathedralium Canonicos in unum corpus congregare; assignarunt ipsis quidquid ad sustentationem opus erat, sive per unionem Parochiarum cum jure in oblationes & decimas, sive tradendo in perpetuum varios Ecclesiæ fundos: hoc eodem tempore plura fundarunt Monasteria ex Ecclesiæ bonis, variaque xenodochia seu hospitalia ad recipiendos peregrinos, aut alendos, seu curandos pauperes Diœcesis. Hinc factum est, ut per has varias divisiones eximerentur Episcopi ab administratione trium partium bonorum Ecclesiasticorum, quorum omnimodam curam antea gerebant, cum obligatione tamen distribuendi Clero, pauperibus, & Ecclesiis, ut superius dictum fuit.

Quæst. 10. Quo tandem modo omnes hi reditus divisi fuerunt in varia beneficia, qualia nunc videntur?

Resp. Progressu temporis cum omnia fere Capitula communem vitam & mensam reliquissent, præbendæ divisæ fuerunt inter Canonicos, aliosque Clericos Ecclesiæ inservientes; & hoc modo plura erecta fuerunt beneficia cum reditibus propriis ac perpetuis, & distributionibus pro cujuslibet dignitate, ac Ecclesiæ servitio. Eo quoque fere modo erecta sunt beneficia regularia, quorum plurima postmodum in Commendam Clericis sæcularibus concessa sunt. Primo namque Abbates privatam voluerunt habere familiam, & mensam segregatam a communitate Monachorum; quibus etiam postea tradiderunt aliquam redituum Monasterii partem ad sustentationem. Multa denique Monasteria divisa fuerunt, eorumque reditus inter Monachos distributi, qui partes suas sub beneficii regularis nomine possidere cœperunt; quin imo plurima ex hujusmodi beneficiis effecta sunt sæcularia, & nunc ab Ecclesiasticis sæcularibus obtinentur.

Quæst. 11. Prædictæ bonorum divisiones immutaveruntne eorum naturam? & beneficiarii tenentur-ne reditus considerare, ut patrimonia pauperum?

Resp. Illud quod superius numero quarto dictum fuit, huic quæstioni satisfacere posset; verum quia multum interest, ut omnes Clerici penitus intelligant hæc status Ecclesiastici fundamenta, non abs re erit hic denuo repetere, omnes mutationes, quæ contigerunt in distributione bonorum Ecclesiæ, omnesque divisiones ab aliquot sæculis factas in varia beneficia, horum bonorum naturam minime commutasse, atque adeo vere ea semper esse patrimonium pauperum: ac proinde beneficiarios quoscumque non debere sibi assumere ex reditibus Ecclesiasticis, nisi id quod est necessarium ad honeste vivendum. Licet autem hæc veritas per se satis manifesta sit; nihilominus quia secreta latensque quandoque cupiditas prætextus semper speciosos subministrare solet, ut nobis in his rebus adulemur, juvabit ad majorem hujus veritatis lucem in medium afferre, quid hac de re

sen-

senserint sancti Patres & Concilia, etiam post divisionem bonorum Ecclesiasticorum in varia beneficia.

In Concilio Turonensi hanc orationem habuit Arnulphus Episcopus Lexoviensis (*in Oratione Synodica habita in Concil. Turonensi anno* 1163.): *Possumus licite divitias possidere, si tamen earum nos non reputaverimus dominos, sed si ministros; si intellexerimus, patrimonium pauperum esse patrimonium Christi; si proventibus Ecclesiæ, si pauperum necessitatibus erogantur: alioquin fures & latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas, invitis dominis, nostro præsumpserimus arbitrio contrectare.* Sanctus Bernardus hac de re ita scribit ad Fulconem Beneficiarium (*epist. 2. ad Fulcon.*): *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum, de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

In Synodo Excestriensi in Anglia (*ann.* 1287. *Can.* 18.): *Ecclesiastici quidquid vitæ suæ necessitati superfuerit de patrimonio Jesu-Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, tenentur ex debito erogare.* S. Carolus in Concilio Mediolanensi primo (*cap. Quæ pertinent ad Jurium Ecclesiasticorum conservationem*): *Sacrorum*, inquit, *Canonum Decretis statutum est, & sanctissimorum Patrum testimoniis celebratum, quæ bona fidelium pietas Deo consecravit, ea vel illorum necessitatibus honeste sublevandis, qui divinis dicati obsequiis, Christi ministri, & dispensatores mysteriorum Dei effecti essent, vel Ecclesiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse; siquidem ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium quam in sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset. Quare cavendum est, ne cupiditate prolapsi, quæ radix est omnium malorum, dum vel propriis, vel propinquorum & familiarium divitiis & honoribus studemus, quæ Deo dicata sunt bona, & Ecclesiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offensione, ad aliorum usum convertamus.*

Plura de hac obligatione dicemus capite undecimo hujusce Tractatus.

Quæst. 22. Quomodo dividuntur Beneficia?

Resp. Beneficia dividuntur primo in sæcularia & regularia: sæcularia illa sunt quæ Clericis sæcularibus conferri debent, juxta Concilium Tridentinum cap. 11. de reformatione sess. 14. seu illis qui nullam professi sunt regulam, sed Deo in sæculo serviunt; Regularia, juxta idem Concilium c. 10. ea sunt quæ professis in aliquo Ordine regulari conferri tantum possunt. In Gallia, ut & in aliis etiam regionibus, sufficit, ut quis novitiatum inchoet, ad hoc ut possit obtinere Beneficium regulare.

Beneficia sæcularia dividi possunt in beneficia curam animarum habentia, & in simplicia: Curam animarum habentia ea sunt, quæ obligant ad Sacramentorum administrationem; simplicia vero non obligant.

Beneficia etiam dividuntur in Beneficia in titulum & in Commendata: Beneficia in titulum ea sunt, quæ a titularibus seu habentibus titulum possidentur: Commendata vero sunt ea, quæ licet regularia sint, a summo tamen Pontifice conferuntur Clericis sæcularibus, non mutata nihilominus eorum natura; unde beneficiati potius administratores, quam titulares dicuntur, ut habetur in Canone.

Jurisperiti alias afferunt Beneficiorum divisiones: v. gr. in Beneficia habentia dignitatem annexam, & Beneficia sine dignitate; in Beneficia residentialia, & non residentialia: quæ tamen divisiones non sunt omnino necessariæ in præsenti Tractatu de Beneficiis, ubi agitur de iis tantum, quæ pertinent ad conscientiam.

CAPUT II.

De Qualitatibus requisitis in illis, qui ad Beneficia assumuntur.

Quæst. 1. Quænam requiruntur in eo qui Beneficium obtinet?

Resp. Requiruntur boni mores, scientia, ætas, Ordo conveniens; ut enim dicitur in cap. *Licet* (*de elect. in 6.*): *Nullus ad regimen Ecclesiæ Parochialis assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, ætate, & infra annum se faciat ad Sacerdotium promoveri.* Proindeque nullus ad quodcumque Beneficium promoveri debet, nisi sit idoneus ad tale Beneficium administrandum. Concilium Aquisgranense (*Can.* 27. ann. 816.) doctrinam præsertim & probitatem in Clerico desiderat; nam *Doctrina sine vita, Clericum arrogantem reddit; vita sine doctrina, inutilem facit.* Deinde opus est ut observent, quod sacris Canonibus continetur; & ut habetur in regulis Juris (*Regula* 1. *de reg. jur. in* 6.): *Beneficium Ecclesiasticum non potest sine institutione Canonica obtineri. Pertinet autem ad institutionem Canonicam*, ut docet sanctus Antoninus explicans hanc regulam (*p.* 3. *tit.* 15. §. *De Beneficiis*), *ut Beneficium conferatur ei qui sit habilis ad hoc, puta, ut non sit irregularis, vel infra legitimam ætatem, & hujusmodi.* Debet etiam Clericus non esse interdictus nec suspensus, neque excommunicatus; nam juxta Canones (*Can. Postulastis, de Clerico Excommunicato*) *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt.*

Quæst. 2. Quid significatur per bonos mores, quos Sacri Canones requirunt?

Resp. Intelligitur ea totius vitæ ratio, quæ deceat bo-

num Ecclesiasticum: de qua ita disserit Concilium Tridentinum (*Sess.22. de ref.c.1.*) *Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem*. Idem desiderat Clemens V. cum ait(*Clementina, Cum ei de concessione præbendæ*): *Ad beneficium promovendus debet esse vitæ laudabilis, & conversationis honestæ*. Et Innocentius III. *Sane adjicimus*, inquit (*Cap. in Lateranensi de præbendis & dignitatibus*), *ut illos repræsentare procurent, quos vel conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Prælatorum*.

Quæst. 3. Quænam scientia requiritur, ut quis ad Beneficium promoveatur?

Resp. Ex S. Carolo (*Act. Ecclesiæ Mediol. lib. 3. tit. de Examine eorum qui præficiendi sunt*): *Qui causa Beneficii cujusvis generis ad examen accedit, de eo hæc investigentur, an teneat, quæ scitu necessaria sunt ad functiones illius Beneficii recte, riteque præstandas*. Ex quo sequitur, plus scientiæ requiri in Episcopo, quam in Parocho; & plus in Parocho, quam in simplici Beneficiato.

Quædam etiam Beneficia, puta Decanatus, Archidiaconatus, Præbendæ Theologales, & alia, gradum aliquem exigunt in Theologia, aut Jure Canonico; unde in Concilio Tridentino (*c. 12. sect. 24. de ref.*) ita statuitur: *Nemo deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum annum attigerit, & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur: Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico*.

Quæst. 4. Quænam scientia requiritur in Episcopo?

Resp. Debet præcipue habere scientiam sacræ Scripturæ & Canonum (*Can. Hoc ipsum 33.l. 2.*), quos *Non electione proprii arbitrii sancti Patres, sed potius ex sententia divini judicii sanxerunt*. Unde in Canone sic statuitur (*Can. Omnes Psallentes, dist. 38.*): „ Inquiratur autem diligenter a Metropolitano, qui ad Episcopatus est promovendus gradum, si in promptu habeat legere scrutabiliter & non transitorie, tam sacros Canones & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam scripturam, atque secundum mandata conversare, & docere sibi populum commissum. Substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est, vera divinarum Scripturarum disciplina. Quod si disceptarit, & ita libenter facere & docere minime spoponderit, nullatenus ordinetur. Ait enim Prophetæ Deus “; Tu

scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Quæst. 5. Tenentur-ne Parochi scire sacros Canones & sacram Scripturam?

Resp. Constat ex pluribus Conciliis, id expresse Parochis impositum & præceptum. In Concilio Toletano sic habetur (*Can. Ignorantia, dist.* 38.): *Sciant ergo sacerdotes Scripturas sanctas & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam morum disciplina.* Idem statuere videtur summus Pontifex Cœlestinus: *Nulli*, inquit (*Can. Nulli sacerdotum, dist.* 83.), *sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare.* Demum Siricius Papa diserte ait (*ep.*1. *ad Himerium Tarraconensem, c.* 15.), quod *Statuta Sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum ignorare est liberum.* Per Sacerdotes autem principaliter Parochi intelliguntur, quibus præcipue, ob dignitatem status, & necessitatem populi commissi, convenit sacras Scripturas intelligere, & ita Canones nosse, ut utiliter conscientias regere valeant.

Quæst. 6. Tenentur-ne Episcopi & Presbyteri plene scire, quidquid in sacra Scriptura & Canonibus continetur, & ea omnia, quæ ad proprium spectant ministerium?

Resp. Juxta Innocentium tertium sufficit, ut habeant scientiam convenientem, ait enim (*Cap. Cum nobis olim de electione & electi potestate*), *Illius quoque litteraturæ, licet non eminentis, tamen convenientis, electus existat, ut pro defectu scientiæ ab electione non deberet excludi*: Et juxta Glossam: *Eminens scientia bene est desideranda in Prælato, competens toleranda.*

Quæst. 7. Quid vocas scientiam eminentem in Episcopo & Parocho desiderandam, quid vero scientiam convenientem, seu competentem, quæ ipsis sufficit?

Resp. Scientiam reputamus eminentem, ait Innocentius IV. (*in c. Cum in cunctis de electione & electi potestate*) *quæ subtiles quæstiones discutere & definire novit, & in promptu nesponsiones habet: ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere; & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habeat.*

Quæst. 8. Qui, ut Beneficium consequatur, quod Doctoris gradum desiderat, hunc gradum in aliqua Universitate sine debita scientia assequitur, peccat ne, & tenetur-ne Beneficium deserere, quod per talem gradum obtinuit, quia tale Beneficium in mense graduatis assignato vacavit?

Resp. Certum est, quod obtinens Beneficium requirens Doctoris gradum, absque scientia necessaria, peccat, & tenetur illud dimittere, nisi possit brevi scientiam

comparare necessariam ad Beneficii functiones omnes exercendas, & gradui Doctoris convenientem. Ratio est, quia ad possidendum Beneficium, quod ex Tridentina Synodo gradum Doctoris requirit, necesse est, ut quis ea ornetur scientia, quam hujusmodi gradus exigit; cum Concilium non aliam ob causam hunc gradum requirat, nisi quia credidit, scientiam tali gradui convenientem, necessariam esse ad obeunda munia talium Beneficiorum. Cumque hæc Concilii Tridentini ratio semper subsistat, consequens est in casu proposito, eum non posse retinere Beneficium, quod Doctoratus gradum exigit, qui scientiam Doctoris non habet: quia, ut habetur in regulis Juris (*Reg. Certum est*, 98. *de reg. jur. in* 6.) *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

Secundo, constat, eum qui Beneficium consecutus est ratione Doctoratus, quem pretio aut favore comparavit sine debita scientia, teneri tale Beneficium dimittere; quia collatio Beneficii ei facta ita nulla est, ac si facta fuisset in favorem alterius, qui talem gradum non haberet; Concilium enim Tridentinum voluit, graduatos in collatione Beneficiorum cæteris præferri, ut viris doctis ea Beneficia conferrentur, non autem iis qui Doctoratus gradum sine debita scientia haberent; quod etiam evidenter patet in Constitutionibus Regum Galliæ in executionem sacrorum Canonum sæpius editis, in quibus asseritur, collatores ordinarios & Patronos Ecclesiasticos non teneri conferre graduatis simplicibus Beneficia vacatura in mensibus dictis graduatis assignatis, nisi competenti tempore studuerint (*Henricus III. Rex Galliæ, an.* 1585.).

Unde etiam in Concilio Toletano (*ann.* 1590.) sic statuitur: *Ad Doctoratus lauream, gradusque alios, ii soli promoveantur, qui vitæ integritatem, studii tempus dignum, doctrinæ eruditionisque speciem severo examine præbuerint.*

In Concilio autem Lateranensi sub Leone X. (juxta quod collatores Beneficia in Regno Galliæ vacantia tenentur conferre graduatis) ita statuitur: „ Monemus „ autem præfati Regni Universitates sub pœna privationis omnium & singulorum Privilegiorum a nobis „ & Sede Apostolica obtentorum, ne Collatoribus seu „ Patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi „ eos, qui secundum præfata tempora studuerint, (tempus autem competens est, decennium in Magistris, „ seu Licentiatis, aut Baccalaureis in Theologia; septennium vero in Doctoribus, seu Licentiatis in Jure „ Canonico, Civili, aut Medicina; quinquennium autem in Magistris seu Licentiatis in Artibus, cum rigore examinis a Logicalibus inclusive aut in ulteriori „ Facultate) & secundum dictarum Universitatum statuta, ad gradus, & non per saltum profecti fuerint.

„ Quod si secus fecerint, ultra nullitatis pœnam, quam „ in præfatarum nominationum litteris declaramus, „ Universitates ipsas nominandi Privilegio ad tempus, „ secundum culpæ qualitatem, suspendemus. "

Quæst. 9. Quanam ætate obtineri possunt Beneficia?

Resp. Sacrum Concilium Tridentinum (*sess.* 23. *de ref. c.* 6.) statuit, ut, *Nullus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere*. Et ut (*Ib. sess.* 24. *de ref. c.* 12.) *Nemo ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum ætatis annum attigerit*. Præterea decernitur in Canone (*Cap. Cum in cunctis, de electione & electi potestate*), ut, *Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum ætatis annum exegerit*. Notandum tamen est, quod juxta Concilium Lateranense sub Leone decimo vigesimus septimus tantum ætatis annus requiritur; nam sic habetur in dicto Concilio (*sess.* 11.): *Statuimus & ordinamus, quod Rex Franciæ, unum gravem Magistrum, in 27. suæ ætatis ann. ad minus constitutum, nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus nominare possit*. In Gallia etiam requiritur tantum decimus quartus annus completus ad obtinendum Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus decimus autem in Collegialibus; & absolute loquendo, Beneficium simplex intra octavum annum obtineri potest.

Quæst. 10. Exigitur-ne necessario, ut ad Beneficium promovendus Ordines habeat requisitos ad Beneficii functiones exercendas?

Resp. In Canone *Licet* (*Can. Licet Canon. de electione & electi potestate, in* 6.) solummodo *requiritur, ut intra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad sacerdotium promoveri is, qui ad regimen assumitur Parochialis Ecclesiæ*. Et Concilium Tridentinum statuit, ut Episcopi & Canonici in capitulo congregati (*sess.* 24. *de ref. c.* 1.), *Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro sit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure & ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat*. Et sessione septima (*de ref. c.* 12.) jam decretum fuerat, ut *Facultates de non promovendo concessæ, ad annum tantum suffragentur*.

Quæst. 11. Præter mores, scientiam, & ætatem, desideratur-ne præterea ad Beneficia rite obtinenda vera Dei vocatio?

Resp. Omnino necessaria est Dei vocatio in omni Beneficiorum genere, & in iis præsertim, quibus annexa est cura animarum; quia nemo sperare debet se posse utiliter aliorum salutem procurare, sicut tenetur in talibus Beneficiis, nisi a Deo sit vocatus: quemadmodum enim ad solum Deum pertinet benedictionem & incrementum dare verbi semini, dicente Apostolo (1. *ad*

Cor.

Cor. c. 3.), quod: *Neque qui rigat, est aliquid, neque qui plantat: sed qui incrementum dat, Deus:* ita quos Deus ipse non vocavit, neque misit, hanc ab eo benedictionem expectare minime debent. *Quomodo enim*, inquit idem Apostolus (*Ad Rom. c.* 10.), *prædicabunt, nisi mittantur?* Unde sanctus Gregorius Papa: *Sicut*, inquit (*Can. in Scripturis*, 8. *q.* 1.), *locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus; & sicut scriptum est*, Nec quisquam sibi sumat honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Unde merito exclamat sanctus Bernardus (*S. Bern. Serm. in Cant.*): *Ad regimen animarum sese ingerere quanta impudentia est.*

Quæst. 12. Quo pacto dignoscere quis poterit, se a Deo ad Beneficium vocari, aut ad aliud Ecclesiasticum munus?

Resp. Primo: *Unusquisque*, ait S. Ambrosius (*S. Ambros. lib.* 1. *Officior. cap.* 44.) *suum noverit ingenium, & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit: itaque quid sequatur, prius consideret: non solum bona sua noverit, sed etiam vitia cognoscat.* Videat igitur, an habeat eas partes, & dotes, quas Concilia requirunt, scientiam, bonos mores, & cætera: utrum possit videri idoneus ad tale Beneficium suscipiendum, & digne Deo administrandum. Consideret in primis, Deum neque ignaros, neque vitiis deditos, neque eos qui nullum in pietate progressum fecere, ad obtinenda Beneficia vocare, quibus annexa est animarum cura.

Secundo, Deum oret per se & per alios, ut suam voluntatem dignetur manifestare, exemplo ipsiusmet Christi, qui, ut ostenderet necessitatem orationis in discernenda vocatione Dei, antequam Apostolos eligeret (*Lucæ c.* 6.): *Exivit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.*

Tertio, exploret quis, utrum, juxta Concilium Tridentinum (*Sess.* 21. *de refor. c.* 16.) *Judicio sui Episcopi sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis.* Et antequam Beneficium quodcumque suscipiat, sincere paratus sit proprio Episcopo obtemperare, ejusque voluntatem humiliter exequi: quia ut plurimum nemo melius Dei vocationem agnoscit, quam Episcopus, qui suo munere rite fungitur, & præscriptas a Deo & Ecclesia regulas sequitur.

Quarto, videndum est, & attente examinandum, an quis mediis omnino licitis ad Beneficium pervenerit; an ambierit; an quæsierit; an aliquod obsequium præstiterit, ut id consequeretur; utrum parentum aut consanguineorum ope id obtinuerit; utrum precibus importunis, potius quam personalis alicujus meriti consideratione electus fuerit; utrum nec per se, nec per alios conventio aliqua facta fuerit, quæ licet ab hominibus non improbetur, apud Deum tamen facile reprobatur; utrum graviorem quam par est imponi patiatur pensio-

nem, quæ tertiam partem redituum Beneficii superet, aut non relinquat, unde Beneficiarius vivere possit, aut quæ sine legitima causa sit imposita; utrum nullam Capellaniam fundaverit permutationis causa; denique coram Deo quisque seipsum interroget, utrum vere dicere possit, se tale Beneficium non concupisse, aut in tale ministerium se non ingessisse, ita ut a Deo potius quam a se ipso ad id vocari videatur.

Quinto, nullum acceptari debet Beneficium sine prævio sapientium in Domino virorum consilio, qui nulla humana ratione moveantur, sed unice gloriam Dei quærant, multo magis divino cultui quam humanis rebus intenti.

Sexto, nullam omnino intentionem malam habere debet, qui Beneficium suscipit; sed potius sincerum animum quærendi non gloriam mundanam, non opes, non vitam quietam & voluptuosam; sed laborem, Dei gloriam, salutem animarum, & propriam sanctificationem.

Hanc dispositionem requirit Tridentina Synodus (*sess.* 21. *de ref. c.* 4.) in iis, qui initiandi sunt prima Tonsura, sine qua nulla Beneficia obtineri possunt: *Prima Tonsura*, inquit, *initientur, de quibus probabilis conjectura sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Universos siquidem*, inquit sanctus Bernardus (*super hæc verba: Ecce nos reliquimus omnia*), *in ordinibus Ecclesiasticis constitutos, honorem quærentes proprium, & divitias, seu corporis voluptates, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, manifeste prorsus & indubitanter non ea, quæ a Deo est, gratia, sed quæ omnium radix malorum est cupiditas, introducit.*

CAPUT III.

De recta intentione, quam habere debet, qui Beneficium suscipit.

Quæst. I. QUænam debet esse ejus intentio, qui ad Beneficium assumitur?

Resp. Intendere debet Deo & Ecclesiæ fideliter inservire, sicque propriam salutem operari: *Ut Deo fidelem cultum præstet*, inquit Concilium Tridentinum loco citato. Et sanctus Bernardus, seu potius ejus Secretarius Hodefredus Abbas Igniacensis, & postea Claravallensis (*ib.*): *Qui ea intentione*, inquit, *gradus Ecclesiasticos & ministeria Sanctuarii quærit, imo quæritur, & sine curis sæculi in sanctimonia cordis, & corporis vivit, illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis.*

Quæst. 2. Quænam sunt in captandis Beneficiis vitiosæ plurimorum intentiones, quæ caute vitandæ sunt?

Resp. Plurimæ enumerari possunt: prima est, quando Beneficium ex spiritu superbiæ & ambitionis inquie-

te

te suscipitur: nam, ut ait sanctus Leo (*Can. Principatus*, 1. *q.* 1.): *Principatus, quem ambitus occupavit, etiamsi moribus aut actibus non offendit: ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo; & difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio*. Unde merito reprobantur in Concilio Toletano relato in Canone (*Can. Qui in aliquo, dist.* 51.) *Qui ambitu honorem quærunt*.

„ *Quem enim, inquit sanctus Joannes Chrysostomus* „ (*in Hom.* 2. *in Acta Apostol.*), conscium adibis, si „ procuraris vel per te ipsum, vel per alium? quibus „ oculis obtueberis illum, qui tibi fuit auxilio? quid „ habebis, quod excuses? Etenim qui nolens & invitus „ compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. „ Quamquam maxime & hic privatus est venia, nisi „ quod ad hoc coactus habet aliquid excusationis. Cogi- „ ta, quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si non „ das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, „ multaque machinaris? Pecunia tua sit tecum in per- „ ditionem, ad illum dictum est; & his dicetur: Ambi- „ tio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti, „ ambitu humano parari donum Dei “.

Quapropter, juxta mentem S.Greg.Pp.(*l.* 7. *ep.* 110. *aut* 112.) „ Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, „ sacris est Altaribus admovendus; sic qui ultro ambit, „ vel importune se ingerit, procul dubio est repellendus. „ Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, „ nisi ut crescendo decrescat; & ascendendo exterius, „ interius ad profunda descendat? “

Secunda intentio prava est, quæ ex cupiditate nascitur, qua plures reditus tantum & divitias sibi avaro animo proponunt: quod tamen ipsis fortasse non contingeret, si adverterent ad illud Divi Augustini (*in serm. Domini in monte lib.* 2.): *Si intentio nostra appetitu rerum temporalium inquinatur, ipsum quoque opus ea intentione susceptum sordescit*. Unde sanctus Carolus, in Concilio Mediolanensi secundo, ita loquitur: *A clero evellatur & extirpetur prava illa bonorum temporalium cupiditas, & illicitus Beneficiorum* Ecclesiasticorum *ambitus*. Et sanctus Bernardus (*de vita & moribus Cleric. c.* 5.): *Si Beneficium*, inquit, *eo quærit aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria, evangelizat, ut manducet, & perverso nimis ordine Cælestibus terrena mercatur*; quia scilicet finem ad media refert, cum media referre debeat ad finem; Deo & Ecclesiæ servit, ut vivat, cum vivere potius debeat, ut Deo & Ecclesiæ fideliter inservire possit.

Idcirco sanctus Antoninus expresse docet (*p.* 2. *tit.* 3. *c.* 3. §. 4.), quod *Quærere aut appetere hujusmodi Curata principaliter propter honorem & divitias, quæ inde sequuntur hominibus, videtur esse mortale; & ratio est quia est contra ordinem charitatis; est enim de ordine*

dilectionis, ut diligatur prius salus animarum quam corporum. Quapropter Concilium Bituricense (*ann.* 1584. *tit. de Benef.* §. 1.) diserte ita statuit: *Cum beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed officium suum exequentibus sit constitutum, cum, & propter officium datur beneficium: denuntiat hæc Synodus omnibus cujuscumque gradus & conditionis, qui Beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.*

Tertia prava intentio est, cum quis vitæ mollioris, otiosæ, & voluptuosæ studio Beneficia & munera suscipit Ecclesiastica, contra Conc. Trid. mentem (*Sess.* 25. *de ref. c.* 1.); dum Clericis ita loquitur: *Ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.*

Dionysius Carthusianus vehementer invehitur in Clericos, qui cum tali intentione Beneficia consequuntur. „ Qui, *inquit* (*lib. contra pluralitatem beneficiorum*), „ Ecclesiastica Beneficia optant, quærunt, impetrant, „ suscipiunt, non intuitu spiritualis boni, puta divini „ officii, ut scilicet competentiam habentes, Deo devo- „ tius quietiusque ministrent, sed intuitu commodi tem- „ poralis; isti sunt subversores rectissimi ordinis rerum, „ atque in temporalibus finem sibi constituunt. Idcirco „ mortaliter peccat, etiam unicum Beneficium competens „ taliter cupiendo, obtinendo, habendo. Tales sunt o- „ mnes qui amore temporalium divitiarum, aut carna- „ lium delitiarum, seu transitoriorum bonorum Ecclesia- „ stica beneficia quærunt, procurant, seu habent ".

S. Thomas idem jam asseruerat, his verbis (*Quodlib. art.* 15.) „ Si aliquis hac intentione plura Beneficia habeat, ut „ sit ditior, ut lautius vivat, ut facilius ad Episcopatum „ perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est præbendatus, „ non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur: quia „ cum tali intentione & unum Beneficium habere, quod „ nullam inordinationem importat, esset illicitum. "

CAPUT IV.

De Obligationibus eorum, qui Beneficia conferunt, aut ad illa nominant.

Quæst. 1. Potest-ne Beneficium conferri indigno?

Resp. Id fieri omnino non potest sine gravi Dei offensa; quia non modo repugnat talis collatio aut nominatio juri Ecclesiastico id expresse prohibenti, cum in Concilio Tridentino (*Sess.* 7. *de ref. c.* 3.) statutum sit, ut etiam *Inferiora Beneficia personis dignis & habilibus conferantur*: verum etiam talis collatio indigno facta, adversatur Juri naturali & sensui communi; nam, ut dictum alibi fuit, cum Beneficium detur propter officium, id est, ut exerceantur functiones Benefi-

cio convenientes, conferri iis non debet, qui carent requisitis ad munera obeunda.

Quæst. 2. Quid intelligitur per personam indignam?

Resp. Id explicat Concilium Tridentinum (*Seff.* 24. *c.* 12. *de reform. S. Thom. Quodlib.* 8. *art.* 6.), dum ait: *Nemo deinceps ad dignitates quascumque promoveatur, nisi morum integritate commendetur.* Et juxta Divum Thomam, dicendum est: *Quod oportet eligere ad prælationem, vel Ecclesiasticum officium, aliquem qui sit bonus simpliciter, quia per quodlibet mortale peccatum aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exercendum.* Ex quo sequitur, quod saltem quolibet habitu mortalis peccati carere debet qui ad Ecclesiastica Beneficia promovetur; ac proinde mortaliter peccaret collator, qui eum eligeret, quem sciret in prava peccandi consuetudine versari. Demum generaliter loquendo, per personam indignam intelligitur ille, qui non habet omnia requisita ad exercendas Beneficii functiones digne Deo.

Quæst. 3. Numquid sufficit ad exonerandam conscientiam collatoris, quod sciat aliquem non esse indignum, ut illi Beneficium recte conferat?

Resp. Ut huic difficultati recte respondeatur, præmittendum est, collatorem Beneficii, cum non possit eligere licite indignum, ut mox diximus, peccare, quoties eligit hominem sibi ignotum, quia se committit periculo eligendi indignum; proindeque scire debet, eum, quem electurus est, habere dotes requisitas, quæ eum tali Beneficio reddant dignum. Et ratio est, quia ut is, qui jus habet conferendi Beneficium, minister ac dispensator fidelis habeatur bonorum Ecclesiæ secundum Apostolum, debet saltem eamdem adhibere curam, ut bonos ministros Ecclesiæ eligat, quam impenderet in negotio temporali alicujus momenti: proindeque quemadmodum nemo vellet eligere in administratorem bonorum suorum temporalium, hominem, quem non sciret idoneum fore & capacem ad ea utiliter gerenda; ita nec collator Beneficium conferre debet illi, quem nescit habere qualitates requisitas ad obeunda illius munia, & functiones convenientes rite exercendas.

Unde Concilium Tridentinum (*Seff.* 23. *de refor. c.* 9.) statuit, ut *Nullus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere*; quia scilicet ante eam ætatem sciri vix potest, an is qui eligitur, habeat dotes requisitas ad Beneficium etiam simplex obtinendum; quod certe a bonis moribus præsertim pendet. Unde concludere licet, Beneficium conferri non posse puero, qui non est idoneus ad id obtinendum, sub specie ac prætextu, quod aliquando futurus est idoneus. Constat enim experimento quotidiano pueros qui aliquam spem dabant se utiliter Ecclesiæ inservituros in aliquo Beneficio, obtento tali Beneficio, superbire, studium negligere, seque ad aliquod officium Ecclesiæ præstandum inutiles

tiles ineptosque reddere; habito enim fine, cessat ut plurimum motus ad finem.

Verum si nequeunt pueris Beneficia simplicia conferri absque periculo nocendi Dei & Ecclesiæ servitio, potiori Jure Canonicatus, aut Beneficia curam animarum habentia eis conferri non debent, sub prætextu dispensationis, ut plurimum per subreptionem obtentæ. Etenim cum hæc Beneficia gravioris sint momenti, diligentius requirunt examen, ut digniores possint eligi, & non illi quibus rei alicujus temporalis administratio ea in ætate non committeretur, quamvis maxima spes esset, eos aliquando habituros requisita ad illud negotium recte agendum.

Hac in re, ut refert Guillelmus Parisiensis Episcopus (*in tractat. de Collatione Benef. c. 3.*): *Pulchre Episcopum habentem pyrum onustam fructibus, & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo nepotulo suo, quidam delusit: cum interrogaret Episcopus, cui pyrum illam committeret custodiendam, & responsum esset a quodam, ut illam memorato Robinulo committeret, Episcopus respondit, Absit, quia pyra illa omnia devoraret. Dixit Episcopo: Domine, qualiter committetis Robinulo tot millia animarum custodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?*

Quæst. 4. Qui Beneficia tantum permutant, resignant, aut ad ea præsentant, tenentur-ne eligere dignos?

Resp. Constat, hos omnes teneri ex Concilio Tridentino (*sess.* 21. *c.* 1.), in quo sic decernitur; *Omnes vero & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus quacumque ratione a Sede Apostolica habent, sancta Synodus hortatur & admonet, ut meminerint eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Quod licet ad Episcopos spectare videatur, ad reliquos tamen extendi recte potest; quia Papa aut Episcopi qui omnia Beneficia de jure conferre deberent, non majorem Patronis potestatem concessere, quam ipsi habuerint; cum igitur constet ex dictis, summum Pontificem & Episcopos teneri dignos eligere ad Beneficia, ad id etiam tenentur Patroni, quicumque sint.

Idem etiam dicendum est de iis, qui resignant, aut permutant aliquod Beneficium, quia, ut infra dicetur, præcipua eorum intentio esse debet, procurare utilitatem Ecclesiæ: quod certe non facerent, si resignarent aut permutarent in favorem minus digni, & in hoc committerent grave peccatum acceptionis personarum; quod etiam extendi debet ad eos, qui facultatem aliquam habent nominandi & eligendi; qui grave damnum inferunt Ecclesiæ juxta qualitatem Beneficii, dum indignum nominant, aut in favorem illius resignant, vel permutant, ut suo loco plenius inferius demonstrabimus.

Quæst. 5. Nonne possunt Patroni rem totam committere

tere

tere judicio Episcopi, qui titulum aut forma dignam conferre debet illis, quos nominant vel præsentant ad Beneficia?

Resp. Tenentur Patroni præsentare eos quos judicant digniores & aptiores, aliter enim inciderent in peccatum acceptionis personarum: nec ideo in conscientia tuti censendi sunt, quia dicunt, se rem committere judicio Episcopi eos examinaturi. Primo, quia juxta Concilium mox relatum, tenentur Patroni præsentare digniores. Secundo, quia experientia compertum est, eos qui Episcopi Diœcesani judicio censentur indigni, quique ab eo forma dignum consequi minime possunt, ad alios recurrere, variisque modis obtinere ut plurimum, quod a proprio Episcopo habere non potuerunt; quod satis ostendit, examen Episcopi non liberare Patronum ab obligatione digniores eligendi. Addo etiam, nonnullas esse indignitatis rationes, quæ cum probari non possint in foro externo, non dant locum Episcopo, ut recuset talem forma dignum.

Quæst. 6. Potest ne aliquis tuta conscientia ab alio Episcopo postulare forma dignum, quando proprius Episcopus Beneficii illud recusavit?

Resp. Ex S. Gregorio (*Can. Sententia*, 11. *q.* 3.), *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta fuerit, timenda est*: unde recusatus a proprio Episcopo, timere debet, ne cupiditas, aut ambitio obtinendi Beneficium perstringat oculos, & efficiat ut judicet, se injuste rejectum fuisse ab eo, quem Deus constituit immediatum & legitimum suarum ovium judicem & custodem. Attamen si injustitia Episcopi esset notoria, certum est, posse haberi recursum ad superiorem.

Quæst. 7. Quomodo se gerere debet Metropolitanus, aut Episcopus delegatus authoritate Apostolica, cum ab Ordinario recusatus, ad eum recurrit, ut obtineat forma dignum pro Beneficio?

Resp. Debet postulantem examinare super recusationis causis, & videre, utrum bene vel male judicatum sit, non autem ipsum iterum examinare; ideoque processum verbalem, quem vocant, ab Ordinario factum requirere debet, & in illo contentas causas recusationis expendere. Et si recusatus non probat, talem processum contrarium esse veritati, aut se ab Episcopo interrogatum fuisse super his quæ scire minime tenebatur pro qualitate Beneficii, cum ipso procedi debet, sicuti in omnibus passim appellationibus, in quibus judex, ad quem recurritur, cognoscit tantum an bene, vel male appellatum fuerit, non autem de re ipsa.

Ratio est, quia si Metropolitanus, aut Episcopus delegatus rejectum ab Episcopo suo de novo examinaret, eumque admitteret, sæpius injuste condemnaret Episcopi proprii recusationem; cum fieri possit, ut juste rejectus, postmodum iis rebus studuerit, quas ignorabat.

Id etiam constat ex verbis Bullæ, in qua datur Episcopo delegato facultas judicandi: *Constito de evidenti gravamine & injusta recusatione*; quæ verba satis ostendunt, Episcopum delegatum non habere jus examinandi eum, qui rejectus fuit ab Ordinario, nisi postquam per examen processus verbalis cognoverit illum injuste fuisse rejectum.

Id ipsum sancte decrevit Divus Carolus his verbis (*Concil. Mediol.* I. *tit. de Beneficiorum collatione.*): *Omnibus singulisque Notariis, Cancellario, Secretariisque prohibitum deinceps sit, ne si ejusmodi delegatæ executionis acta confecerint, eorum partem ad Canonum præscriptum edant: sed acta omnia & singula ab se ob eam causam conscripta illis ipsis ad alterum istiusmodi executionis judicem dent; ut hic, quid a priore judice actum, decretumve sit, scire possit, ne in Beneficio conferendo subreptio obreptiove indebite insit.*

Quæst. 8. Tenentur ne collatores Beneficiorum eligere non solum dignum, sed etiam digniorem, quando agitur de Beneficio cum cura animarum?

Resp. Tenentur omnino, & decretum Concilii Tridentini (*sess.* 24. *c.* 2.) dubitare non sinit, quin Electores, Patroni, & similes incidant in peccatum mortale acceptionis personarum, dum dignum præferunt digniori; decernit enim Concilium: *Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.*

Idem etiam probari posset ex Constitutione Pii V. in qua sic habetur (*De collatione Ecclesiarum Parochial.*):
„ Ut non solum dignis, sed etiam magis idoneis repertis, juxta Concilii Tridentini Decretum, Parochiales „ Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem authoritate decernimus: quod si Episcopus minus habilem, „ posthabitis magis idoneis, elegerit, possint illi, qui „ relicti fuerint, a mala electione hujusmodi, ad Metropolitanum appellare; & constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis „ magis idoneo per eumdem judicem appellationis authoritate nostra conferatur “.

Unde etiam in Concilio Provinciali Urbinatensi, a Felice Tiranno Archiepiscopo, anno 1569. congregata (*tit. de Beneficiis*), sic statuitur: „ In beneficiis per „ Episcopos conferendis, curam præsertim animarum „ habentibus, Sacrorum Canonum instituta, Conciliaque Decreta quæcumque quam diligentissime observentur, humana quavis affectione postposita; iisque dumtaxat, quos ob eorum virtutes, ac merita „ digniores, & vacanti Ecclesiæ utiliores, Episcopi judicaverint, eadem conferant, juxta Sanctissimi D. „ N. Pii V. Bullam. Quos autem non religione, atque animi devotione beneficia appetere prospexerint, „ sed ut Ecclesiasticis bonis ditati, vel suos potissimum

„ juvent, vel proprio commodo indulgeant, ne simpli-
„ cibus quidem beneficiis dignos esse judicent “.

Demum S. Augustinus explicans hæc verba Epistolæ Jacobi (*S. Aug. in Ep. 29. in c. 1. Jacobi 20.*); *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi: Non est putandum*, inquit, *leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ; quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris gloriæ Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore?* Unde S. Gregorius Papa in duabus Epistolis loquens Episcopis electoribus, sic dicit (*l. 4. ep. 47. & lib. 9. ep. 74.*): *Ille qui Deo placuerit, & utilior visus fuerit, ordinetur*.

Verum quia, non obstantibus tam validis, inconcussis, radioque solari clarioribus authoritatibus, adhuc insurgebant Doctores prurientes auribus, docentesque licere collatoribus non eligere digniores ad Beneficia curata; Apostolica Sedes sequentem damnavit propositionem (*Decretum Innoc. XI. contra 65. Propos. 47. Propos. damnata*): „ Cum dicit Concilium Tridentinum; eos
„ alienis peccatis communicantes mortaliter peccare,
„ qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi
„ judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel
„ primo videtur per hoc *Digniores*, non aliud signifi-
„ care velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto
„ comparativo pro positivo: vel secundo locutione mi-
„ nus propria ponit *Digniores*, ut excludat indignos,
„ non vero dignos: vel tandem loquitur tertio quando
„ fit concursus “.

Quæst. 9. Tenentur-ne collatores non tantum dignum, verum etiam digniorem eligere, quando agitur de Beneficio simplici?

Resp. Videtur quod omnia Beneficiorum genera conferri debent non solum dignis, sed etiam dignioribus: quia ex D. Thoma (2. 2. q. 63. *art.* 3. *ad* 1.): *Si minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune, dignioribus præferantur, est peccatum acceptionis personarum in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus Ecclesiasticus non est dominus, ut possit ea dare pro libito; sed dispensator, secundum illud* 1. *ad Corinth.* 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.

Idem S. Doctor rem in alio loco fusius exponit, iisque rationibus confirmat, quibus acquiescere deberent omnes Electores, & Patroni, licet cupiditas procurandi Beneficia consanguineis, & amicis, ita eos excæcaret, ut auderent quodammodo contemnere tanti Doctoris authoritatem, licet plurium summorum Pontificum judicio illius doctrina fuerit approbata, & de eo dicat Joannes 22. in Bulla Canonizationis, quod *Et si nulla alia extarent miracula, ob quæ sanctus hic canonizari posset, quælibet quæstionum, quas determinavit, & quilibet articu-*

ticulorum, quos scripsit, unum est per se miraculum. Tot igitur miracula fecit, quot articulos scripsit; quia omnes resolvit lumine plusquam humano.

Ita igitur differit S. Doctor (*S. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3.*): *Ad hoc quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam; sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet, quod hoc sit propter aliquam causam; quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus; si vero non pertineat ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personæ.*

Id ipsum clarius explicat S. Thomas, dum ait (*Quodlib. 6. art. 9.*); *Non ergo Episcopus tenetur semper meliori simpliciter, id est sanctiori, sed tenetur dare meliori quoad hoc (id est, quod Beneficium percipiat) non enim potest esse, quod unum præferat alteri, nisi propter aliquam causam, quæ si quidem pertineat ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ, quantum ad hoc ille est melior; si autem illa causa ad hoc non pertineat, erit acceptio personarum quæ tanto est gravior, quanto in rebus divinis committitur.*

Hic autem observandum est, rationes omnes Sancti Thomæ superius allatas, æque militare pro Beneficiis simplicibus, ac pro Beneficiis curatis, de quibus omnibus dicitur in Canone (*Cap. Unico, tit. ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*): *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium, & Beneficium in persona magis idonea dispensare.* Verum tamen est, quod cum minus dignus digniori præfertur dum agitur de Beneficio, cui annexa est cura animarum, peccatum est gravius, quam si ageretur de Beneficio simplici; sed ex alia causa, quia scilicet gravius infertur damnum Ecclesiæ, & saluti proximi: excepta tamen hac unica ratione, cætera militant etiam in collatione Beneficiorum simplicium; cum incurratur peccatum acceptionis personarum in spiritualibus, ex eo, quod minus dignus digniori præponitur: cum fiat contra rectam rationem, & justitiam, quæ exigit, ut in dispensatione bonorum communium, utpote Beneficiorum, solum ratio habeatur meriti personarum, injuria etiam fit Ecclesiæ, quæ vult, ut magis idonei minus idoneis præferantur, & bona a fidelibus data, ad majorem Ecclesiæ utilitatem conferantur.

Infideliter etiam agit præferens digniori minus dignum, sicut infideliter ageret, qui debens ex officio eligere procuratorem, aut domesticum pro amico, eligeret scienter minus idoneum eodem pretio. Neque objici potest leve damnum

num inferri Ecclesiæ, quia Beneficia simplicia sunt, quæ obligant tantum ad divinum officium, & ad celebrationem paucarum Missarum: Nam etsi obtinens tale Beneficium, tantum obligetur in foro externo ad recitationem privatam divini Officii: ratio tamen naturalis dictat, quod is, qui Ecclesiæ reditus percipit, & de iis vivit bonis, quæ pietate fidelium ejus usibus sunt consecrata, juxta talentum sibi a Deo concessum laborare debet, & Ecclesiæ inservire. Et licet nullum certum munus habeat, justum & æquum est, ut aliquod sibi procuret ab Episcopo, ne sententiam a Domino latam subeat (*Matth. c.25. v. 39.*): *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.* Inutilis autem est ille servus, qui bona domini manducat, eique nullum obsequium præstat.

Præterea cum Beneficia simplicia dignioribus non dantur, Diœcesis privatur ministerio magis idonei, qui in illa propter tale Beneficium commoratus fuisset, & utilem operam præstitisset ad Dei gloriam, & animarum salutem; tota etiam fraudatur Ecclesia, quia non habens, unde honeste vivat, librosque & alia necessaria comparet, sæpius negliget talentum sibi a Deo creditum ad conciones habendas, aut aliud ministerium Ecclesiasticum recte implendum, sicque fere inutilis erit Ecclesiæ, cui valde prodesse potuisset cum tali auxilio simplicis Beneficii.

Pauperes etiam privantur eleemosynis, quas liberalius ut plurimum recepissent a dignioribus, quam a minus dignis, qui injuste præferuntur. Ecclesiæ quoque reparationibus, & ornamentis fraudantur, & digniori injuria fit aliquo modo, dum tale Beneficium, quod sua virtute mereri videbatur, minus digno, se spreto, confertur, nulla habita ratione majoris Dei gloriæ.

Nocet etiam hæc injusta Beneficiorum distributio divinæ gloriæ, & Ecclesiæ utilitati, dum removet stimulum & motivum, licet minus perfectum, quo multi Ecclesiastici excitari possunt ad studium sacræ Theologiæ & Canonum, & ad pietatem ferventius amplectendam, certa spe ducti nihil ipsis defuturum, si scientia ac virtute insignes essent, seque facile habituros quæcumque Beneficia etiam simplicia ad honestam sustentationem sufficientia. Et ita dici posset, illos qui Beneficia simplicia minus dignis conferunt, non minus Ecclesiæ nocere, quam eos qui quotidianas distributiones Canonicis choro non inservientibus æque darent, ac aliis qui Divinis officiis assidue interessent.

Præterea hæc perversa rerum communium distributio, majus etiam præjudicium affert; dum scilicet plures Clerici videntes, favore, precibus, ambitu, consanguineorum ope, non autem pietate, & doctrina Ecclesiastica, aut merito ullo obtineri Beneficia: iisdem pravis mediis, plerumqe simoniacis in praxi, eadem Beneficia confe-

qui

qui nituntur, parumque curant eas sibi comparare dotes, quibus proximo utiles esse possent.

Denique damnum, quod Ecclesiæ infertur præferendo minus dignos dignioribus in distributione Beneficiorum simplicium, eo certe gravius est, quod sæpius per sæcula etiam integra durat; quia hic Ecclesiasticus minus dignus, renuntiando seu resignando Beneficium, imitatur ut plurimum exemplum illius, a quo illud accepit; & ita Beneficium minus digno tradit, & hic alteri, & ita deinceps; ita ut in die judicii, in quo Deus, testante Psalmista (a) *Justitias judicabit*, sæpius constare possit, collationem aut præsentationem factam in favorem minus digni, rejecto illo, quem digniorem esse constabat, multorum malorum originem fuisse, variaque impedisse bona: & ita gravissimum onus collatori, dum de æternitate agitur, impegisse. Eo magis, quod hæc exempla scandalosa sunt, & pestis instar serpere solent, multosque impellunt ad imitandam hanc Beneficiorum iniquam distributionem, quæ cum gravi Ecclesiæ, & collatoris, seu præsentantis damno, sæpius fieri videtur.

Unde non amplius miror, quod S. Antoninus, loquens de collatione Beneficiorum simplicium in favorem minus digni, dixerit, illam esse contrariam juri divino, & justitiæ distributivæ; „ Ad hoc, *inquit* (3. *p. tit.* 15. „ *c.* 1. §. 3.), ut quis valeat habere Beneficium simplex, „ vel præbendam, sufficit, quod major sit septennio: „ tamen quamvis jure humano non irritetur talis colla„ tio, jure tamen divino illicitum est dare talia Bene„ ficia talibus, nisi quando alii non inveniuntur; quia „ contra justitiam distributivam est, si detur minus di„ gno. Quamvis autem iste puer non sit indignus posi„ tive propter defectum, quia est innocens; respectu ta„ men illius est indignus, quia alius est dignior. Un„ de contempto meliore, sanctiore, justiore, dare alteri „ est grave peccatum, ut dicit Augustinus super Episto„ lam Jacobi ".

Hinc etiam est, quod Innocentius III. graviter hac de causa arguit Archiepiscopum Mediolanensem; *Non*, inquit (*Cap. Unic. tit. ut Ecclesiasticæ Beneficia si diminutione conferantur*), *ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium, & Beneficium in persona magis idonea dispensare*.

Quæst. 10. Quo sensu intelligi debet, quod quis semper teneatur eligere digniorem?

Resp. Hoc ita intelligi debet, ut per acceptionem personarum dignus non præferatur digniori, verbi gratia, quia consanguineus est, aut amicus, aut a potentibus, vel amicis commendatus; nam si id fieret bona aliqua ratione, quæ utilitatem Ecclesiæ respiceret, tunc nul-

lum

(a) Ps. 64. v. 2. Cum accepero tempus, ego justitias dicabo.

lum omnino peccatum involveret. Unde non semper tenetur Episcopus conferre digniori aliquod Beneficium, quod parvam habet administrationem, dum judicat, talem utilius Ecclesiæ inserviturum in urbe. Ac proinde, dummodo prudenter agatur, & major Dei gloria attendatur, aut utilitas Ecclesiæ in eligendo, præsentando, nominando, aut resignando, vel permutando; tunc proprie dignior eligitur, quia semper ille præfertur, qui attentis omnibus circumstantiis, magis idoneus videtur ad majorem Dei gloriam in tali Beneficio procurandam; ita ut magis expedire videatur, ut talis potius, quam alius eligatur, licet fortasse alius sit magis pius, aut etiam magis doctus.

E contra vero quando quis propriis ducitur commodis, carnis & sanguinis affectu, spe alicujus obsequii, quod vel ab ipso nominato, vel ab ejus parentibus, consanguineis, aut amicis expectat; aut denique timore, seu amicitia male ordinata; in his omnibus casibus vix possibile est, ut dignior ad Beneficium nominetur, aut eligatur: quia illis affectibus obcæcamur, iisque impellimus, ut in re tanti momenti creaturam Creatori præferamus, & bonum privatum publico bono.

Quæst. 11. Per digniorem, intelligitur-ne semper doctior, aut sanctior?

Resp. Juxta Sanctum Thomam (*2. 2. q. 63. art. 2. in corp.*): „ Dignitas personæ potest attendi dupliciter; „ uno modo simpliciter, & secundum se; & sic majoris „ dignitatis est ille, qui magis abundat gratiæ donis; „ alio modo per comparationem ad bonum commune: „ contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus „ sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad „ bonum commune propter potentiam, vel industriam „ sæcularem, vel propter aliquod hujusmodi: ideo quan„ doque, absque acceptione personarum in dispensatio„ ne spiritualium, illi qui sunt simpliciter minus bo„ ni, melioribus præferuntur". Sicut superius dictum est.

Quæst. 12. Potest-ne quis, tuta conscientia, conferre Beneficium consanguineo?

Resp. Potest, modo tamen principalis intentio, ob quam datur Beneficium, seu præcipuum motivum, non sit ipsa consanguinitas; nam, juxta S. Thomam (*in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 7.*): *Ille qui dat ratione consanguinitatis Præbendam alicui principaliter, peccat graviter*. Quod certe multum coram Deo considerari debet, antequam talis fiat electio, aut resignatio in favorem consanguinei.

Quæst. 13. Quomodo dignosci potest, an is, qui dat Beneficium consanguineo suo, det illud principaliter ratione consanguinitatis, aut ratione meritorum?

Resp. Id facile cognosci poterit, observando in hac materia id, quod Sanctus Antoninus in materia usuræ obser-

observavit : quod scilicet (*p. 2. tit. 1. c. 7. p. 1.*) : *Dicitur intentio principalis, cum aliquis magis movetur ad mutuandum propter lucrum, quod sperat evenire, quam propter aliud : sed intentio secundaria dicitur, quando etsi sperat aliquid sibi dari ab eo, cui mutuavit, ex sua liberalitate ; tamen non illud eum movet, sed magis benevolentia, ita quod etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret.* Et ita in hac materia dicitur intentio principalis, cum aliquis magis movetur ad conferendum Beneficium propter consanguinitatem, quam propter dignitatem personæ, aut utilitatem Ecclesiæ. Sed intentio minus principalis, seu secundaria, dicitur, quando etsi confert consanguineo, tamen consanguinitas in se non movet eum, sed magis dignitas personæ; ita quod etiam si non esset consanguineus, adhuc tamen illi conferret propter utilitatem Ecclesiæ.

Quæst. 14. Licet-ne Beneficium conferre consanguineo, quando id non fit ratione consanguinitatis?

Resp. Huic quæstioni expresse respondere videtur sanctus Thomas, dum ait (*2. 2. q. 63. art. 3. ad 1.*) : „ Quandoque consanguinei Prælati Ecclesiastici sunt æque digni, ut alii : & sic licite potest, absque personarum acceptione, consanguineos suos præferre, qui saltem in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent : esset tamen hoc dimittendum propter scandalum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi.

Ex his Angelici Doctoris verbis patet, Beneficium non esse conferendum consanguineo, nisi ubi dignior illo non reperitur, & cum creditur magis idoneus, quam alii, ut Ecclesiæ *unanimiter* cum Prælato inserviat ; qua de causa, etiam juxta doctrinam sancti Thomæ, tamquam dignior haberi debet, propter utilitatem Ecclesiæ, quam is facilius, quam alii, procurare posse supponitur.

In his autem casibus magna prudentia, magnaque circumspectione uti necesse est ; quia scilicet periculum est, ne quis sibi aduletur in similibus collationibus in favorem consanguineorum, quos nonnulli imaginantur, & fingunt cæteris præferre propter solam majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, cum revera caro, & sanguis magis ipsos movet, & impellit, imo quandoque excæcat, ad talem electionem faciendam.

Unde Petrus Cantor, non ignoti nominis author, qui duodecimo floruit sæculo, & ad Episcopatum Tornacensem electus fuit, de consanguineis loquens ; „ Sed quid, *inquit* (*c. 43.*), si æque honestus est, & dignus, ut extraneus ; sed & hoc periculosum est, & nisi probitas ejus exigat, & excludat omnem infamiam, scandalum, & malum exemplum ; quod de facili non fit : non enim exemplum a bene gestis nostris sumitur, sed a cortice, specie, & superficie illorum, non a veri-
„ tate.

„ tate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii „ utentur meo exemplo, ut dent suis magis propter na- „ turam, quam propter gratiam ".

Fatendum est, raro admodum, ac difficile omnes has conditiones in electione consanguineorum reperiri, ac cavendum ne sanguinis sui amore, secretaque naturæ illusione, quis decipiatur, neve vituperetur a multis, qui non facile sibi persuadebunt, Prælatum, aut alium puro Dei, & Ecclesiæ amore moveri in tali electione: neve quis præbeat occasionem scandali, & lapsus multis, qui talem affinis, aut consanguinei nominationem, quam vident, imitabuntur, purum autem motivum, quod videre nequeunt, quodque non credunt, facile prætermittent.

Denique attendant collatores, seu præsentantes, & similes, quid hac de re dicat Concilium Coloniense (*ann.* 1536. *p.* 1. *cap.* 4.): *Nulla itaque consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis contemplatio facere debet hoc, ut gubernatio populi alii quam meliori tradatur: cessent omnes affectus humani, qui sua, non quæ Jesu Christi sunt, quærunt*. Id probat sanctus Hieronymus, & confirmat exemplo Moysis, his verbis, relatis in Canone (*Can. Moses*, 8. *quæst.* 1.): *Moses amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Deus, potuit utique successores Principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia Tribu eligitur Jesus, id est Josue: ut sciremus, Principatum in populis non sanguini deferendum esse, sed vitæ*.

Quæst. 16. In electionibus, seu provisionibus, quæ fieri debent per concursum juxta Concilium Tridentinum, quo pacto debet in praxi fieri examen?

Resp. Postquam ea omnia impleta sunt, quæ ante dictum examen a Concilio pro parochiis præscribuntur, sess. 24. de reformat. cap. 18. examen utiliter potest fieri eo plane modo, qui indicatur in præclara Synodo Cæsenatensi, a Casimiro Cardinali Denhoff congregata (*lib.* 2. *c.* 8. *p.* 1. 163.), & in lucem edita, his verbis: „ Cum examinatur is, cujus curæ certa Ecclesia Parochialis tradenda est, videant Examinatores, ut ferendo suffragium, juxta Tridentini Concilii præscriptum, æqua lance perpendant illius mores, doctrinam, prudentiam, aliasque res ad gubernandam Ecclesiam opportunas; quæ nimirum sit Parochiæ amplitudo, & situs, quæ etiam Candidati corporis habitudo, ac laborum patientia: non enim quicumque generaliter aptus ad animarum curam censetur, is etiam omnibus locis idoneus est.

„ Ut vero aliqua ratione consulatur timori Examinandorum, quo subinde correpti, ea ipsa, quæ probe norunt, explicare nequeunt, poterit pro concursu ad beneficia parochialia examen institui in hunc fere modum. „ Die examinis, hora competenti convenient omnes exa-

„ mi-

„ minandi, quibus ad mensam oblongam consulentibus, & „ ad scribendum paratis, dictabit quilibet Examinator tres „ ad minus quæstiones, ex eo Tractatu Theologiæ Moralis „ depromptas, qui unicuique illa vice obtinget, Episcopo „ vel ejus Vicario generali præmonente, ne in eadem materia plures conveniant. Aderit tunc præsens Vicarius „ generalis, & toto tempore, quo examinandi resolutiones scribent, aderunt cum illo tali duo Examinatores. „ Assignabitur etiam iisdem Examinandis sententia aliqua „ ex Evangelio deprompta, quæ sermonis ad populum sit „ thematis instar; propositionemque, quam inde probandam assument, argumentis fluxius explicatis communient, ut ingenii sui, & eruditionis Ecclesiasticæ experimentum prebeant; nec enim minus istud exercitium „ ad instruendum populum necessarium est, quam Theologiæ moralis scientia ad reliqua parochialia munia rite „ obeunda. Omnibus his absolutis, scripta arcæ includentur, & vocatis Examinatoribus, qui dubia proposuerunt, coram Episcopo, vel ejus Vicario generali, leget „ ea Cancellarius, præsentibus singulis, qui scripserunt: „ iisque postea dimissis, Examinatores suffragia secrete ferent, tum super scientia, & docendi populum peritia, „ tum super reliquis, quæ in illo examine ponderanda „ sunt ex præscripto Tridentinæ Synodi.

„ Hic modus servari poterit in examine, non modo ad „ parochias, sed quandoque etiam ad Confessiones audiendas. Cum vero examen fit per interrogationes, si is qui „ examinatur, adeo se rudem, & ignarum prima fronte „ prodat, ut rerum magis obviarum nullam fere scientiam, „ usumque habere videatur, Examinatores ultra non procedant, ne tempus frustra teratur. Rursus cum quempiam doctum, & litterarum bene peritum Examinatores „ animadverient, ejusmodi paucis expediant “.

Et Concilium Provinciale Avenionense a Francisco Maria postea Cardinali Taurusio congregatum (*anno* 1594. *De Exam.*), statuit, ut, *cum quis ad examen venerit, ejus vultus, & habitus corporis, vestitus, & incessus, gestus, & sermo diligenter inspiciatur: ex his enim animi levitas, vel gravitas deprehenditur. In examine vero is potissimum ordo teneatur, ut primo de toto vitæ statu, genere, patria, domicilioque quæratur illius, qui examen subit. His perquisitis, Examinatores ad explorandam scientiam mox descendent.*

CAPUT V.

De Resignatione, seu Renunciatione Beneficiorum.

Quæst. I. QUid est Resignatio, seu renunciatio Beneficii?

Resp. Ex sancto Antonino (*p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 11.); *Renunciatio est juris proprii spontanea refutatio; quæ fieri debet in manibus ejus, a quo habetur institutio, & confirma-*

firmatio. Quæ verba diligenter sunt observanda; multi enim Clerici existimant, quod resignare Beneficium nihil aliud sit, quam id alteri remittere, quod tamen contrarium est resignationis naturæ, quia cum Beneficium ad Ecclesiam pertineat, & non ad ejus possessorem, seu beneficiarium, qui illius est tantum administrator, nullum omnino jus habet illud dandi alteri per resignationem, seu renunciationem: sed illud pure, & simpliciter remittere debet ei, cui Ecclesia curam commisit providendi tali Beneficio.

Quæst. 2. Quotuplex est resignatio, seu renunciatio Beneficii?

Resp. Dividitur primo in tacitam, & expressam: resignatio tacita est ea, quæ a jure procedit, non autem a verborum resignantis expressione: quando scilicet Beneficiarius matrimonium contrahit, aut professionem emittit in aliqua religione, aut possessionem consequitur alterius Beneficii incompatibilis cum priore Beneficio.

Expressa vero resignatio ea est, quæ fit expressa voluntate Beneficiarii, qui vult renunciare, & de facto renunciat juri, quod in Beneficio habet.

Hæc renunciatio expressa subdividitur in puram & simplicem, & conditionalem: per puram & simplicem resignationem Beneficium sine ullo pacto, & conditione ei traditur, & remittitur, qui jus habet illud conferendi, ut illud det, cui melius voluerit. Alia vero resignatio est conditionalis, quæ communiter vocari solet *in favorem*, qua Beneficium ea conditione resignatur in manibus collatoris, ut illud conferat ei, in cujus favorem facta est dicti Beneficii dimissio.

Hæc rursus resignatio in favorem subdivi potest in resignationem, quæ fit causa mortis, & eam, quæ nullo mortis metu fit, atque illam, quæ fit causa permutationis.

Quæst. 3. Resignationes in favorem sunt-ne usitatæ in Ecclesia jam a longo tempore?

Resp. Tales resignationes numquam in jure antiquo fuerunt permissæ, neque harum aliquod reperiri potest exemplum in Gratiani Decreto, vel in Decretalibus, aut etiam Clementinis: ita ut dici possit, illarum usum sensim sine sensu in Ecclesiam fuisse introductum circa finem decimiquinti sæculi, contra puritatem regularum omnium Sacrorum Canonum, qui nullam umquam facultatem dabant Beneficiario cuicumque, sibi deligendi successorem mediante conditione expressa inserta in procuratione ad resignandum in manibus summi Pontificis; quia, ut dicitur in Epistola Zachariæ summi Pontificis ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, relata in Canone (*Can. Petisti*, ¶ *q*. 1.): *De eo autem, quod tibi successorem constituere dixisti, ut te vivente, in tuo loco eligatur Episcopus: hoc nulla ratione concedi patimur; quia contra omnem Ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur.*

Verum cum hic resignationum usus valde commodus visus sit iis, qui considerant Beneficia non ut munera, & officia sibi ab Ecclesia commissa, & quasi sacra quædam deposita, sed ut dignitates valde utiles, & commoda temporalia, quorum se dominos pro libito voluntatis esse putant, quæque libenter ad consanguineos, aut amicos charissimos transmittere optant; resignationes in favorem factæ sunt frequentes, & eo jam talis usus processit, ut vix ullus reperiri possit Beneficiarius, qui post aliquot periculosi morbi dies, sibi non deligat successorem in Beneficio per resignationem in favorem. Unde fit, ut mediante tali usu, plures in id solum incumbere videantur, ut Beneficia perpetuo in eadem familia conservent: & non pauci considerare videantur dignitates Ecclesiasticas, & ipsa etiam Beneficia curam animarum habentia, tamquam proprium familiæ patrimonium; & revera videantur hæreditate possidere sanctuarium Dei, cum de Beneficiis disponant, perinde ac de fundo, aut feudo temporali, cujus proprietatem, & dominium haberent. Quod tamen est contra intentionem summorum Pontificum, qui solum tolerare videntur has resignationes, quia putant, Beneficiarios (qui melius ut plurimum agnoscere possunt, quam alii, onera annexa Beneficio ab ipsis possesso, & dotes necessarias successori ad illud digne Deo administrandum) eligere illum, quem utiliorem esse putant Ecclesiæ; quæ sine dubio non permittit, ut ita violetur disciplina, & libertas eligendi legitimis collatoribus, & ipsi etiam summo Pontifici auferatur, nisi propter majus bonum: non autem, ut introducatur hæreditaria quædam successio in Beneficiis.

Ex quibus inferre licet, resignationes in favorem, considerari debere solum tamquam toleratas in Ecclesia, & a paucis sæculis introductas; atque hunc qualemcumque usum, licitum esse non posse coram Deo, nisi dum in praxim deducitur ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem procurandam, & cum successor in Beneficio ob id solummodo Pontifici nominatur, ut succedat is, quem, omnibus prudenter pensatis, nulla habita ratione carnis, & sanguinis, putamus magis idoneum fore ad implenda Beneficii munia, & Ecclesiæ inserviendum.

Quæst. 4. Potest-ne resignari Beneficium sine causa; & quæ sunt resignationis causæ legitimæ?

Resp. Non licet resignare Beneficium sine causa legitima, quæ Ecclesiæ utilitatem, & spiritualem resignantis profectum spectet. Hinc est, quod Innocentius III. scribens Episcopo renunciare volenti: *Si*, inquit (*Cap. Nisi cum pridem, de Renunciatione.*), *propter aliquam causam utilem, & honestam, in hujusmodi proposito cedendi Beneficio perseveres, de licentia nostra cedas; alioquin cedendi licentiam authoritate Apostolica tibi scias esse penitus interdictam.* Hæ causæ expressæ, & enumeratæ sunt in Canonibus, & his duobus versibus continentur:

Debi-

Debilis, *ignarus*, *male conscius*, *irregularis*,
Quem mala plebs odit, *dans scandala*, *cedere possit*.

Præscribuntur etiam hujusmodi casus in Bulla B. Pii V. in qua summus Pontifex, volens mederi gravibus incommodis, quæ oriri videbantur ex frequentibus Beneficiorum resignationibus, sic loquitur (*in Bulla* 58. *Quanta Ecclesiæ Dei*.): *Episcopi & alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel Beneficio inservire, seu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri*.

Quæst. 5. Licet-ne resignare Beneficium, ut commodius vita transigatur?

Resp. Id legitime, & inculpate fieri nequit; nam Clerici ad labores & solicitudines pro Dei gloria vocati sunt, non ad propria commoda, ut superius dictum est ex Concilio Tridentino (*Sess.* 23. *de ref. c.* 1.)

Unde hæc causa merito rejicitur in Institutionibus Juris Canonici, his verbis (*Lib.* 1. *Inst. Juris Can. ut de Renunciat.*): *Cæterum ob alias causas renunciationem affectantes, audiendi non sunt, dum forte aliqui laboris angustias declinantes, ad otium, adversus gloriosi Pontificis* (*id est, ut ait Glossa*, Divi Martini) *exemplum, aspirare contendunt*. Hic quippe Sanctus dixisse refertur: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Et ratio est, quia Clerici Deo in aliquo ministerio consecrati, non debent amplius de semetipsis disponere in detrimentum gloriæ Dei, & utilitatis Ecclesiæ.

Quæst. 6. Resignatio in favorem est-ne licita, scilicet, dum fit post conventionem factam cum Beneficii collatore, qua promisit se illud collaturum personæ, de qua conventum est; ita ut resignans ita dispositus, & animatus sit, ut nullo modo renunciaret Beneficio, nisi certus esset, illud conferendum esse tali personæ?

Resp. Hæc conventio illicita est, quia privat collatorem libertate, quam habere omnino debet, ut possit conferre Beneficium digniori, seu aptiori suo judicio: & efficit, ut Beneficia titulo quodam successionis suscipiantur; quod plane Sacris Canonibus contrarium est, ut satis patet ex Concilio Tridentino, sessione 25. de ref. cap. 7. & ex Bullis B. Pii V. in quibus sic loquitur (*Bulla* 114.): „ Nos volentes omnem hæreditariam Be-
„ neficiorum Ecclesiasticorum successionem de Eccle-
„ sia Dei tollere, ac libertati collatoris Beneficio-
„ rum hujusmodi providere, ut de persona ma-
„ gis utili, & idonea, prout requiritur, facilius pro-
„ videre valeat, &c. *Et in alia Bulla*: Caveant au-
„ tem, *inquit* (*Bulla* 58.), Episcopi, & alii præ-
„ dicti, itemque omnes electores, præsentatores, & Pa-

„ troni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicumque sint,
„ ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in hu-
„ jusmodi Beneficiis, & Officiis successores, ab ipsis re-
„ signantibus, aut aliis eorum significatione, vel horta-
„ tu designentur, aut de his assumendis promissio inter
„ eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

Hæc etiam veritas probari facile posset authoritate multorum Canonum, in quibus omnis pactio in rebus spiritualibus rejicitur, & præsertim in Canone *Tua nos*; in quo sic habetur (*Cap. Tua nos, de simonia*): *In spiritualibus omnis pactio, & conventio cessare debet, juxta Canonicas sanctiones.*

Quæst. 7. Resignatio in favorem, est-ne prohibita jure divino, an jure tantum humano?

Resp. Videtur tantum ex se prohibita jure humano, seu Ecclesiastico; *Renunciare autem Beneficio*, inquit sanctus Antoninus (*2. p. tit. 1. c. 5. §. 11.*), *ut detur alteri, est simoniacum, quia prohibitum, scilicet ex jure positivo.* Idem sentit sanctus Raymundus his verbis (*Summa, l. 1. tit. 1. de simonia*): *Quædam sunt simoniaca, quia prohibita, scilicet per constitutionem Ecclesiæ tantum, ut cum quis renunciat Ecclesiæ, illa conditione, vel pacto, ut nepoti suo detur, vel aliis.*

Quæst. 8. Quinam potest ab hac lege Ecclesiastica dispensare?

Resp. Solus summus Pontifex, qui sine dubio, ob plenitudinem potestatis, potest in iis omnibus dispensare, quæ Juris tantum sunt Ecclesiastici. Advertendum tamen videtur, quod, ut talis dispensatio locum habeat, requiritur, ut nihil fiat in resignatione, quod sit contra jus divinum, & ut resignans in favorem, id agat intuitu utilitatis Ecclesiæ, putans, illum, in cujus favorem resignat, esse magis idoneum ad serviendum Deo, & Ecclesiæ in tali Beneficio. Nam si resignatio fiat principaliter ratione alicujus commodi temporalis, aut quia resignatarius est consanguineus, aut amicus; & resignans intendat in hoc aliquod bonum in seipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, & similia; tunc fit simonia de jure divino, super qua summus Pontifex non dispensat. Nam, ut dicitur in Glossa (*in c. Cum pridem, de Pactis, verbo, Illicitæ Pactionis*): „ In his,
„ quæ in sua natura simoniaca sunt ..... ut vendere Sacra-
„ menta, & hujusmodi spiritualia, ibi non excusat au-
„ thoritas Papæ; in his vero quæ per constitutionem Ec-
„ clesiæ simoniam inducunt, excusaret authoritas Papæ,
„ quia potest dispensare in talibus. “

Id etiam probari potest ex Bulla 58. B. Pii V. superius relata, qua cavetur, ne collatores Ordinarii admittant similes resignationes.

Quæst. 9. Qua ratione fieri potest, ut resignationes factæ in favorem in manibus summi Pontificis, non sint simoniacæ de jure Divino, cum semper in illis fieri videatur con-

contractus, qui vocatur in jure, *Facio ut des?*

Resp. Quamvis negari non possit, quin ille: *Qui*, ut ait D. Thomas (*in 4. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 7.), *dat ratione consanguinitatis Præbendam, si intendit aliquod bonum in seipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit fortior, simoniam committit*; quæ est simonia de jure divino, cum faciat verum contractum saltem in mente non gratuitum, qui vocatur: *Facio ut des*: hoc est, cedo meo juri, renuncio Beneficio, ut illud conferatur nepoti meo; attamen si intenditur solum Ecclesiæ utilitas, non committitur simonia jure divino prohibita licet fiat contra prohibitionem Ecclesiæ nolentis, ut quis sibi deligat successorem, & adimat libertatem legitimis collatoribus, fiantque pacta, & conventiones in rebus spiritualibus: verum quia majus intenditur bonum Ecclesiæ, & visibile Ecclesiæ caput potest hoc probare, & reddere legitimum in his circumstantiis ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ.

Quæst. 10. Potest ne hæc resignatio in favorem fieri aliquando in manibus Ordinarii?

Resp. Id numquam licet juxta Bullam B. Pii V. mox relatam, qua prohibetur, ne Episcopi, aliique Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, tales admittant resignationes; imo ne Legatis quidem summi Pontificis id concessum est, & si ii, qui tales resignationes faciunt, æque metuerent æternæ vitæ, quam sui Beneficii jacturam, certum est, quod nullæ tales in praxi fierent resignationes; quia si constaret in tribunali externo, eos cum collatore convenisse, priusquam Beneficium resignarent, ut illud certæ personæ conferret, tunc Beneficium impetrabile esset ob simoniam.

Itaque hoc discrimen est inter resignationem, quæ in manibus summi Pontificis, & eam, quæ in manibus alterius cujuscumque collatoris fit: quod in priori explicite dicitur, eam fieri ea conditione, ut summus Pontifex Beneficium resignatum conferat tali personæ, & non alias, nec alio modo: quia cum Pontifex possit dispensare in Ecclesiastico jure, quando id faciat pro utilitate Ecclesiæ, non est, quod timeatur impetratio Beneficii, licet cum hac conditione resignetur.

Verum eadem illa conditio exprimi nequit in resignatione facta in manibus cujuscumque alterius collatoris; quia hæc conditio redderet Beneficium impetrabile, cum hic collator non habeat potestatem tollendi simoniam Ecclesiasticam. Unde sæpius supprimitur conditio, & a collatore exigitur tantum secreta promissio conferendi Beneficium tali personæ. Aut etiam in praxi duo simul supplices exhibentur libelli, quorum unus continet resignationem Beneficii, alter vero illius collationem, & Procurator seu Expeditionarius curat, ut ultimus prius subscribatur, quam prior: aut etiam alia

ejusdem farinæ fiunt pacta, quæ libertatem adimunt collatori conferendi Beneficium illi, quem digniorem putat, & efficiunt in praxi, ut Beneficiarius eodem modo sæpius disponat de Beneficio, ac de proprio temporali patrimonio; licet, juxta Ecclesiæ Canones & Decreta, id a solius collatoris voluntate pendere deberet.

Hi autem qui tales resignationes faciunt, propriam cæcitatem facile excuterent, si perpendere tantisper vellent varios dolos, quos per se, aut per alios adhibent, ut celent pactum tacitum aut expressum cum collatore factum, ut Beneficium personæ nominatæ seu designatæ conferatur; quod pactum sine dubio ab Ecclesia prohibetur.

Quæst. 11. Possunt-ne Legati a latere admittere resignationes in favorem?

Resp. Certum est, summum Pontificem eam facultatem, quæ sibi soli reservata est, nulli unquam Legato a latere aut Vice-Legato communicare, eosque æqualem tantum potestatem habere in resignationibus cum Episcopis seu Ordinariis, excepta tamen sola facultate dispensandi a regula viginti dierum, qui debent effluere post resignationem factam ante mortem resignantis; a qua regula Ordinarius non potest dispensare, licet Legatus dispenset. Sed in cæteris pari passu ambulant, ita ut si constaret in foro externo, factam fuisse resignationem in favorem in manibus Legati a latere, illa protinus tamquam nulla & simoniaca rejiceretur. Unde magna cautela & industria adhibetur, ne id innotescat hominibus. Verum hæc coram Deo prorsus inutilia sunt, qui scilicet cognitor est secretorum, & scrutator est cordium.

Et ita concludere possumus, illos qui resignant in favorem in manibus alterius quam summi Pontificis incurrere simoniam Juris Ecclesiastici, & sæpius etiam reos fieri veræ simoniæ de jure Divino, quia ut plurimum renunciant Beneficio propter aliquod commodum temporale, quod in ipsos aut eorum familias inde redundat, aliter non facturi.

Quæst. 12. Quid dicendum de consuetudine, quæ in quibusdam Ecclesiis observatur, ut Canonici collatores inter se tacite conveniant de conferendo Beneficio ei qui puram & simplicem resignationem in manibus Capituli factam offert, aut certe ei quem resignans aliquo modo indicat?

Resp. Hæ resignationes simoniacæ videntur, ut patet ex Bulla B. Pii V. in qua sic habetur (*in Bulla* 58.):
„ Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes
„ electores, præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiasti-
„ ci, quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem,
„ aut nutu, vel signo, futuri in hujusmodi Beneficiis suc-
„ cessores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum signifi-
„ catione vel hortatu designentur, aut de his assumendis
„ promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque

„ in-

„ intercedat “. Certum est autem in casu proposito, eum qui resignat, successorem suum indicare, eosque, qui resignationem acceptant, intentionem habere conferendi Beneficium ei quem resignans indicavit; itaque tam resignans, quam collatores simoniam committunt juxta hanc Bullam.

Et, ut docet Sanctus Raymundus, id fieri nequit sine gravi peccato: „ Quid, *inquit sanctus ille Doctor* (in „ summa l. 1. §. 23.), de quadam consuetudine, quæ in „ plerisque Ecclesiis inolevit? videlicet dum debent fieri „ multi Canonici, dicunt majores præcipue ad invicem: „ Canonizemus nepotulos nostros: placeat tibi de meo, „ & mihi placebit de tuo: sic paciscuntur per hæc ver- „ ba, vel æquipollentia. Respondeo, quod committitur „ simonia; quia dicit Canon: Absit omnis pactio, cesset „ omnis conventio “.

Secundo, hæc consuetudo est illicita, quia adinventa est, ut Capitulum revera idem præstet, quod fieret per resignationem in favorem; cum tamen ad solum summum Pontificem pertineat talem resignationem admittere, & a simonia Ecclesiastica purgare.

Tertio, quia, juxta Concilium Tridentinum (*Sess.* 25. *de ref. c.* 7.), *In Beneficiis Ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sunt odiosa, & Patrum Decretis contraria.* Sed nihil magis in praxi hæreditariæ successionis imaginem refert, quam supradicta consuetudo, quæ idcirco non potest non reprobari.

Plures hic afferri possent Canones, in quibus Ecclesia passim declarat, se tales modos obtinendi Beneficia semper horruisse, & constanter prohibuisse: videndi sunt hi Canones in margine Concilii Tridentini loco citato relati, videlicet Canon *Plerique*, Canon *Apostolica*, 8. *q.* 1. Canones *Ex transmissa*, & *Ad extirpandas successiones*. De Filiis Presbyterorum, *Quia Clerici*. De Jure Patronatus. Videri etiam potest Concilium Romæ sub Papa Hilario celebratum, Canone 4. Concilium secundum Lateranense, Canone 16. & Bullæ 38. & 134. B. Pii V.

Quod certe multum nos deplorare cogit, & amare deflere crassam tot Ecclesiasticorum cæcitatem, qui in mortis articulo & hora æternitatis decretoria constituti, nihil magis curant, quam ut, quibuscumque tandem modis, consanguineos suos Beneficiorum successores relinquant, licet sæpius neque digniores, neque etiam digni sint coram Deo.

Sufficiat interim hic referre Canonem *Plerique*, cæteros lector pro libito videre poterit (*Can. Plerique*, 8. *q.* 1.): „ Plerique Sacerdotes in mortis confinio constitu- „ ti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus „ subrogare: ut scilicet non legitima expectetur electio, „ sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. „ Quod quam grave sit, æstimate. Atque ideo si placet, „ etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis aufera-

 „ mus;

„ mus; ne, quod turpe dictu est, homini quisquam pu-
„ tet deberi, quod Dei est. Ab universis acclamatum est:
„ Hæc præsumptio numquam fiat: quæ Dei sunt, ab ho-
„ mine dari non possunt ".

Hic Canon a Synodo firmatus, cui ipse summus Pontifex præerat, satis ostendit, has resignationes non esse licitas; quia in hoc casu certum est, solam voluntatem resignantis efficere, ut successor Beneficium possideat; quod constitutionibus Ecclesiasticis plane contrarium est. Et revera nepos succedens dicere plerumque solet, se Beneficium a Patruo accepisse; & ita multi putant, Beneficiarium de Beneficio disponere posse pro libito, & tamquam dominum; licet Beneficia, juxta sacros Canones, ad Deum & Ecclesiam pertineant, non ad homines.

Ad convincendos Canonicos, qui brevi reddituri sunt coram Deo rationem ministerii sui, & zeli, quo erga Ecclesiam animati fuerunt, sufficere deberet ostendere, multum Ecclesiæ interesse, ne Beneficia tali modo conferantur, ut ab eo prorsus abhorrerent. Meminisse juvaret, se non modo esse Ecclesiæ filios, sed etiam ministros, & quidem inter primarios, quandoquidem eos ad hanc dignitatem evexit Ecclesia, ut consilium Episcopi constituerent: eis arcana sua commisit, veritates revelavit, quas ad fideles transmitterent. Matris saltem misereantur, quæ multos adversarios & inimicos sustinens, filios & intimos ministros inter persecutores numerare cogi omnino non deberet.

Quæst. 13. Quid agere debet Canonicus factus membrum Capituli, in quo talis viget consuetudo?

Resp. Cum satis constet ex Bulla B. Pii V. & ex Canonibus jam citatis, resignationes hujusmodi ea intentione factas, ut Beneficium consanguineo aut amico conferatur, mediante tacito pacto cum collatoribus seu Patronis inito, simoniam Ecclesiasticam involvere, & ab ea resignantes absolvi non posse, nisi a summo Pontifice, aut ab eo potestatem habente, extra articulum mortis; omnes Canonici debent, saltem ex charitate, omnia tentare & movere, ut talem abusum tollant, qui tot fratrum animas perdit: & ideo numquam regulariter admittere eum deberent, qui a resignante fuit aliquo modo designatus, maxime si æque idoneus reperiri posit: & hoc, ne abusui consentire videantur, & occasionem scandali præbeant. Nam si sanctus Thomas dicit (2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 4), quod *Quando consanguinei sunt æque digni ad dignitatem Ecclesiasticam, potest Prælatus illos præferre; esset tamen hoc dimittendum propter scandalum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem bona Ecclesiæ consanguineis dandi*; Quanto magis in hoc casu dicendum est, Canonicum numquam suo voto adhærere debere illi, qui fuit a resignante indicatus, cum certum sit, hanc consuetudinem efficere, ut plures etiam indigni ad hæc Beneficia perveniant?

Quæst.

Quæst. 14. Quæ est resignatio causa mortis?

Resp. Ea est, qua Beneficiarius in periculo mortis constitutus, resignat cum regressus spe, si convalescat.

Quæst. 15. Licet-ne Beneficiario resignare Beneficium sub conditione tacita vel expressa illud repetendi & recuperandi, si convalescat?

Resp. Id minime licet; quia regressus ad Beneficium fuit expresse damnatus a Concilio Tridentino (*sess.* 25. *de ref. c.* 7.) his verbis valde notandis: „ Cum in Be-„ neficiis Ecclesiasticis, ea quæ hæreditariæ successionis „ imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, „ & Patrum decretis contraria: nemini in posterum ac-„ cessus, aut regressus, etiam de consensu, ad Benefi-„ cium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis conceda-„ tur: nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, „ aut transferantur, hocque Decretum in quibuscumque „ Beneficiis Ecclesiasticis, ac in quibuscumque personis, „ etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. “

Eosdem etiam regressus reprobavit, prohibuitque Beatus Pius V. his verbis (*in Bulla quæ incipit Romani Pontificis*): „ Nos volentes omnem hæreditariam Benefi-„ ciorum Ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei „ tollere, ac libertati hujusmodi Beneficiorum providere, „ & ut de persona magis utili & idonea, prout requiri-„ tur, facilius provideri valeat; omnes & singulos regres-„ sus, etiam de consensu, aut alias quomodolibet, sub „ quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis „ efficacissimis, etiam motu proprio, & ex certa scientia „ & de Apostolicæ potestatis plenitudine, clausulis irri-„ tantibus, & aliis Decretis quomodolibet per quoscum-„ que Romanos Pontifices prædecessores nostros, ad Be-„ neficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, sæcularia „ & quorumvis ordinum regularia &c. motu proprio, & „ ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis „ plenitudine, authoritate Apostolica, tenore præsentium, „ revocamus, cassamus, & abolemus. “

Quæst. 16. Nonne in Gallia, in foro externo, talis regressuum usus adhuc viget?

Resp. Rebuffus (*in Praxi Beneficiorum*) docet, omnes regressus ad Beneficia in Gallia esse prohibitos.

Idem asserit Flaminius Parisius, celebris Galliæ Doctor (*tit. de Resignat. l.* 6. *q.* 1. *n.* 14.). Et Laurentius Bouchel magni nominis in Curia Parisiensi Advocatus in sua Summa, post multas rationes allatas, concludit, regressum non debere locum habere etiam in Gallia; quia talis agendi modus veram in Beneficia inveheret successionem, resque spirituales componeret ad normam temporalium, efficiendo in praxi, ut Beneficia tamquam bona patrimonialia possiderentur (*in Summa Beneficiali juxta usum & praxim Galliæ, verbo Regressus*). Hæc omnia, qui talem praxim introducere vellent, prius coram Deo ponderare satagant.

Quæst. 17. Peccat-ne graviter, qui fraudulentam facit permutationem, aut resignationem in favorem, ita ut resignans, de consensu resignatarii, provisiones Beneficii resignati apud se habeat, aut illas tradat resignatario ea conditione, ut ante mortem resignantis possessionem non capiat?

Resp. Certum est ex Canonibus, quod licet resignationes ita liberæ sint, ut nullus cogatur Juri suo cedere: ubi tamen factæ sunt, ita ligant eum, qui sponte cessit, ut nullo modo possit regredi ad Beneficium: sicut Esau, vendito Jure primogenituræ Jacobo fratri, non amplius recuperare illud potuit. *Quam periculosum sit in divinis rebus*, inquit S. Cyprianus, scribens ad Sanctum Cornelium Papam (*Cap. Quam periculosum*, 7. q. ...), *ut quis cedat juri suo & potestati, Scriptura sacra declarat, cum Esau primatus suos inde perdidit, nec recipere postmodum potuit, quod semel cessit.*

Itaque veræ confidentiæ crimen incurrit, quisquis ita Beneficium resignat; quia semper intentionem habet regrediendi ad Beneficium resignatum, contra Decretum Alexandri Papæ III. in quo statuitur, eum qui semel Beneficium resignavit, non posse amplius regredi, nisi de novo ipsi conferatur (*Cap. Ex transmissa*, *de Renunciatione*.

Quæst. 18. Licet-ne resignare Beneficium in favorem causa permutationis: id est, resignare cum ea conditione, ut resignatarius Beneficium, quod possidet, vicissim resignet in favorem primi resignantis?

Resp. Urbanus Papa III. hac de re consultus, ita respondit (*Cap. Quæsitum*, *de rerum permutatione*):
„ Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de Jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa: quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut qui uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.

Ex quibus verbis concludere licet, prohibitum non esse resignare beneficium in favorem causa permutationis in manibus Episcopi, modo intendatur principaliter majus Ecclesiæ bonum.

Quæst. 19. Si omnia pacta, omnesque conventiones, in permutatione Beneficiorum prohibita sunt, vix ullum unquam permutari poterit Beneficium?

Resp. Non omnino prohibentur partes inter se convenire, modo ea tantum conditione conveniant, ut Episcopus probet conventiones factas, ita ut permutatio non fiat vi & virtute pacti prius facti, sed solum ob authoritatem Episcopi consentientis & approbantis. *Nec fiat aliquid*, inquit S. Antoninus (3. *p. tit.* 15. *c.* 2. *Glossa in Clem.* 1. *de rerum permutatione*), *ex partium pacto, sed ex officio & jussione judicis.* Et, ut ait Glossa, *Tractatus de permutandis Beneficiis est permissus, dummodo*

do non fiat pactio asserta inter partes, sed totum ponatur in arbitrio superioris.

Unde etiam Jacobus Cardinalis Boncompagnus, in Synodo Bononiensi (*in* 3. *c.* 9. *anno* 1698.), sic decernit: „ Beneficiorum permutatio non nisi ex legitima causa, „ a Nobis approbanda, concedetur. Caveant tamen permutantes, ne pinguiores reditus anhelantes, objecto „ motivo majoris lucri moveantur: sæpe enim in deteriora devolvitur, qui prioris Ecclesiæ connubia dissolvit spe uberioris proventus, & infortunia colligit, qui „ bonorum commoda quærit ".

Quæst. 20. Quandonam resignatio causa permutationis censeri debet simoniaca?

Resp. Ex S. Thoma (*in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 8.) „ Si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, fiat permutatio, est simonia: si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia. Unde tunc potest fieri permutatio authoritate Episcopi Diœcesani ". Unde licet colligere cum Urbano III. in loco jam citato (*Can. Quæsitum, de rerum permutatione*), quod *Generaliter commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, presertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel spiritualibus connexa, labem semper continet simoniæ*, Sed cum nimium videatur in praxi, quod plerique permutantes, proprium temporale commodum quærant; quid aliud dicere possumus, nisi ut plurimum in permutationibus reperiri simoniam?

Quæst. 21. Licet-ne resignare Beneficium in favorem alterius Beneficiarii, ut vicissim resignet ille suum in favorem consanguinei aut amici primi resignantis?

Resp. Certum est primo, has resignationes fieri non posse, nisi in manibus summi Pontificis, cum resignationes in favorem sint simoniacæ de Jure Ecclesiastico, nisi fiant permutationis causa, ut superius dictum est: proindeque solus Pontifex eas admittere potest, quia solus potest pro utilitate Ecclesiæ purgare tales Juris Ecclesiastici simonias.

Notandum est secundo, sæpius in his resignationibus reperiri simoniam de Jure Divino, a qua nec etiam summus Pontifex dispensat, ut dictum est supra num. 8. sed juxta Sanctum Thomam (2. 2. *q.* 100. *art.* 9. *ad* 2.): *Si tamen aliquis det Beneficium Ecclesiasticum alicui, hoc pacto, & ea intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia*, scilicet de jure Divino. Quod tamen fit in casu proposito: certum est enim, eum qui Beneficium resignat alteri Beneficiario, ea conditione, ut ipse quoque suum resignet alicui consanguineo suo, vel amico, ut plurimum intendere commodum temporale consanguinei, vel amici, in hac sua resignatione Beneficii; committit igitur simoniam de jure Divino, & consequenter tales resignationes in quæstione proposita illicitæ omnino sunt.

Quæst. 22. Licet-ne Beneficiariis Coadjutores assumere cum spe futuræ successionis?

Resp. Coadjutoriæ cum certa spe succedendi, penitus fuerunt sacris Canonibus ignotæ, saltem in Beneficiis Episcopatu inferioribus. Sed sensim sine sensu introductæ fuerunt ex dispensatione ultimis Ecclesiæ sæculis, contra primam Conciliorum intentionem, quæ semper multum ab his omnibus abhorruerunt, quæ quamdam hæreditariæ successionis imaginem referunt in Beneficiis. *Accepimus*, inquit Alexander Papa III. (*Cap. Accepimus, de pactis*) *quod quædam sunt Ecclesiæ Clericis tali tenore concessæ, quod post eorum obitum alii nominati succedant. Verum quoniam hoc iniquum est, & sacris Canonibus inimicum, & ideo non debet aliquatenus tolerari; mandamus, quatenus hujusmodi successiones tam detestabiles & iniquas, appellatione cessante, prohibeas, & omnino frivolas & inanes esse decernas.*

Ut tales successiones rejicerentur, ita statuit Concilium Tridentinum (*sess.* 25. *de ref. c.* 7.): „ Cum in „ Beneficiis Ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis „ imaginem referunt sacris Canonibus sint odiosa, & Pa„ trum Decretis contraria: in Coadjutoriis quoque cum „ futura successione, idem posthac observetur, ut nemi„ ni in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittan„ tur. Quod si quandoque Ecclesiæ Cathedralis, aut Mo„ nasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet „ Prelato dari Coadjutorem, is non alias cum futura suc„ cessione detur, quam hæc causa prius diligenter a san„ ctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates o„ mnes in illos concurrere certum sit, quæ a Jure & De„ cretis hujus sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatis re„ quiruntur: alias concessiones super his factæ subreptitiæ „ esse censeantur “.

Hoc Concilii Decretum attente perpendens Prosper Fagnanus celeberrimus Ecclesiæ Romanæ Prælatus, & eruditissimus Canonum interpres, „ Ex hoc contextu, *in*„ *quit in lib.* 3. *Decretal. cap. Nulla, de Concessione* „ *præbendæ, n.* 71.), luce clarius apparet, Coadjutorias „ cum futura successione a sancta Synodo non esse permis„ sas summo Pontifici quacumque de causa, nisi in Cathe„ dralibus & Monasteriis: nam cum præmiserit regulam „ universalem negativam in quibuscumque Beneficiis, & „ ab illa exceperit tantum Cathedrales & Monasteria ex „ urgenti causa; utique hæc exceptio firmat regulam in „ contrarium in Canonicatibus & aliis Beneficiis, adeo ut „ in illis, quacumque de causa, Coadjutoriæ cum futura „ successione de cætero a summo Pontifice nullatenus sint „ permittendæ. Unde post Concilium nemini fuerunt „ concessæ usque ad tempora Sixti quinti “.

Potest quidem summus Pontifex, utens suæ plenitudine potestatis, dispensare in hoc Concilii Decreto; verum cum id non faciat, nisi propter graves rationes ad ma-

jus Ecclesiæ bonum pertinentes, videtur Concilium, cui Pontificis authoritas perspecta erat, quodammodo innuisse, vix ullas afferri posse rationes satis urgentes ad concedendas Coadjutorias, & ad derogandum huic Conciliari constitutioni in Beneficiis inferioribus, quorum munera non ita sunt Ecclesiæ necessaria, ut propterea ejus disciplinæ tale vulnus inferri debeat; maxime cum reperiri facile possit alia via Canonibus magis conformis, ad supplendum defectum talium Beneficiatorum, ut scilicet detur eis Coadjutor juxta Jus commune, assignata ei congrua Beneficii portione, sed sine successionis spe.

Hoc modo Lucius Papæ III. sic de Rectoribus, seu Parochis infirmis, loquitur (*Cap. de Rectorib. de Cleric. ægrotante*): *De Rectoribus Ecclesiarum lepræ macula usque adeo infectis, quod altari servire non possunt, nec sine magno scandalo eorum, qui sani sunt, Ecclesias ingredi; hoc volumus te tenere, quod eis dandus est Coadjutor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam, congruam recipiat portionem*. Idem fere habetur in Concilio Tridentino (*Sess. 21. de ref. c. 6.*)

Quocirca Canonicis, aliisque Beneficiariis, qui Coadjutores optant, prius coram Deo examinare convenit, utrum solius utilitatis Ecclesiæ intuitu id agant, & utrum commodum, quod Ecclesia inde perceptura est, prævalere & præponderare possit tot Canonum violationi, & insurgenti periculo, ne hoc modo species quædam successionis hæreditariæ in Beneficia introducatur, neve præbeatur occasio mortem proximi optandi: quæ ultima res tanti momenti visa est Concilio Lateranensi, præsidente Alexandro Papa III. congregato (*Can. 2. ref. in cap. Nulla, de Concessione Præbendæ*), ut Decretum ediderit his verbis: *Nulla Ecclesiastica ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent; ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum; cum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, & Divini plenum animadversione Judicis, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt*.

Neque vero putandum, memoriam gratiæ acceptæ a principali Beneficiario, sufficere ad excludendum a Coadjutoris mente omne illius mortis desiderium; nam satis periculosum est, ne Coadjutor videns, se Beneficium obtinere non posse, nisi morte Principalis interveniente, & interim teneri se, sine ullo prorsus emolumento, omnia Beneficii onera portare, cupiditate secreto impellente, annos laboriosos considerans, tædio sensim afficiatur, & longiorem Beneficiarii vitam non amet. Unde etiam in simili plane casu observat Glossa (*in cap. Nulla de Concessione Præbendæ verbo, Condemnare*),

quod

quod *Non tenet promissio de Præbenda non vacante, etiam de consensu ejus qui tenet eam.*

Quæst. 23. Licet-ne ante obitum Titularis, petere Beneficium vacaturum ab eo, qui jus habet illud conferendi?

Resp. Id non licet, & expresse prohibetur in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. loco mox relato; cum enim promitti non possit Beneficium nondum vacans, nec etiam consequenter peti licite potest. Et collator, seu Patronus Beneficii, numquam debet illud promittere, antequam certus sit de morte Titularis. Rationem assignat Concilium, ne talis promissio præbeat occasionem optandæ mortis illius, cujus Beneficium quis se obtinere sperat.

CAPUT VI.

De Pluralitate Beneficiorum.

Quæst. 1. LIcet-ne plura simul possidere Beneficia?

Resp. Primo, juxta Concilium Tridentinum (*sess.* 24. *de ref. c.* 17.), non licet habere plura Beneficia incompatibilia; ita enim statuitur: „ Illi vero „ qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam „ Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur „ omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus „ ad vitam non obstantibus, una tantum Parochiali, vel „ sola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra spatium „ sex mensium dimittere: alioquin tam Parochiales, quam „ Beneficia omnia quæ obtinent, ipso jure vacare cen- „ seantur; nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscien- „ tia fructus post dictum tempus retineant ".

Illud autem sex mensium tempus datum fuit ad renunciandum pluralitati Beneficiorum incompatibilium, quæ possidebantur ante Concilium: nam nunc qui obtinet a sancta Sede Beneficium incompatibile cum alio jam possesso, habet tantum duos menses ad renunciandum priori pure & simpliciter in manibus summi Pontificis: quo tempore elapso sine tali renunciatione, omnia Beneficia vacarent, ut expresse de stylo apponitur in Bullis. Si vero obtineatur Beneficium ab Episcopo incompatibile cum alio, quod quis possidet, tunc statim, & antequam apprehendatur possessio secundi Beneficii, renunciandum est primo; alioquin ipso jure vacaret.

In Gallia, in foro externo, possideri possunt per annum duo Beneficia etiam incompatibilia; quia non censetur quis pacificus possessor secundi Beneficii, nisi per annum id possederit. Attamen in foro interno, ubi quis rationabiliter judicat, se pacifice posterius Beneficium possidere non posse, teneri videtur coram Deo, & in foro conscientiæ, statim alterutrum eligere, postquam consulto per ardentiores preces Deo, & audito probo prudentique Directore, seu Confessario, discernere quis

potuerit, in quo potissimum Beneficio Deo melius famulari, suamque & proximi salutem procurare facilius valeat. Quod idem præstandum est, ut eligere possit, tuta conscientia, Ecclesiasticum virum, quem coram Deo putat esse digniorem aptioremque ad deserviendum illi Beneficio, quod ipse dimissurus est in illius favorem. Nisi tamen velit electionem committere legitimo Beneficii Collatori; quod sæpius tutius est, & Ecclesiæ intentioni magis videtur consonum; præsertim cum probabiliter speratur, fore, ut Collator Beneficium dimissum solius Dei intuitu conferat digniori.

Secundo, ex eodem Concilio Tridentino (*Sess.* 22. *de ref. c.* 17.): non minus certum est, licitum non esse plura Beneficia simplicia possidere, si unum ex his ad honestam Beneficiarii sustentationem sufficiat; sic enim loquuntur Patres „: Cum Ecclesiasticus ordo perverta„ tur, quando unus plurium officia occupat Clerico„ rum, sancte sacris Canonibus cautum fuit, neminem „ oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quia „ multi improbæ cupiditatis affectu, seipsos, non Deum, „ decipientes, ea quæ bene constituta sunt, variis arti„ bus eludere, & simul plura Beneficia obtinere non „ erubescunt; sancta Synodus debitam regendis Eccle„ siis disciplinam restituere cupiens, præsenti Decreto, „ quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, et„ iamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observa„ ri, statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium „ Ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad „ vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non „ sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, „ dummodo utrumque personalem residentiam non re„ quirat, eidem conferre “.

Unde concludere licet, sacrum Concilium prohibere omnibus, ne ipsis quidem Cardinalibus exceptis, ne plura Beneficia, etiam simplicia, simul habeant, quando unum ex his sufficit ad honestam sustentationem. Prohibet etiam pluralitatem Beneficiorum curam animarum habentium, aut personalem residentiam requirentium, licet unum non sufficiat ad sustentationem.

Quæst. 2. Posset-ne responderi huic expressæ Concilii Tridentini authoritati, Concilium Tridentinum non esse in Gallia usu receptum; & ita hanc legem, contra pluralitatem latam, Gallos non afficere?

Resp. Ut huic quæstioni respondeatur, supponendum est primo, ea quæ a generalibus Conciliis definita sunt, in his quæ pertinent ad bonos mores, perinde ac in his quæ spectant ad fidem, esse certa & indubitata, omnesque omnino Christianos, sine ullo plane discrimine, teneri illis Decretis obedire; nec ullo modo necessarium est, ut talia Decreta publicentur, aut recipiantur, quia infallibilitas sacris a Deo concessa Conciliis, quæ universa-

versalem Ecclesiam repræsentant, non potest ab hominum voluntate pendere, aut ab aliqua natione limitari, quæ Conciliorum publicationi consenserunt; neque vero quis unquam asserere ausus est, eorum Decreta publicatione aut receptione indigere aliqua, nisi quatenus in iis conduntur novæ leges, ad externam Ecclesiæ disciplinam spectantes.

Hoc posito, asserere possumus, quod Concilium Tridentinum, dum pluralitatem Beneficiorum illicitam esse definivit, nullam novam legem condidit, sed antiquas tantum renovavit & instauravit, quæ leges ad Jus naturale & divinum quodammodo pertinebant; & declaravit, talem pluralitatem esse malam. Quare certum est, eos qui ante Concilium duo simul possidebant Beneficia, quorum unum ad congruam sustentationem sufficiebat, peccasse. Verum quidem est, eos qui post Concilii definitionem eamdem pluralitatem retinent, gravius peccare, quia ignorantia, quæ ante Concilium prætendi poterat, & minuere peccatum, post Concilium nullum potest habere locum. Denique Concilium nullum jus novum hac in re statuit, sed illud tantum aperuit, & declaravit, quod prius erat stabilitum, nullaque præterea, hac de causa, publicatione aut receptione indigebat.

Præterea legimus in Registris publicis seu Commentariis Cleri Gallicani apud Antonium Vitrè Parisiis impressis anno 1673. (*Memoires du Clergé*, *tom.* 1. *pag.* 479.) dictum Clerum, postquam sæpius & instanter Concilii Tridentini publicationem petiisset, illud tandem recepisse in Conventu generali ejusdem Cleri Gallicani habito Lutetiæ Parisiorum anno 1615. ut constat ex Actis ejusdem Cleri in supradicto libro insertis : quæ hic referre non incongruum duxi, ut omnes intelligant Clerici, se nullatenus excusari posse coram Deo ab observatione Decretorum Concilii, sub prætextu, quod in Gallia receptum non fuerit, cum videant, tot insignes Præsules congregatos, & Clerum Gallicanum repræsentantes, putasse se teneri eadem Decreta observare, illorumque observationem procurare, atque etiam Concilium solemni ritu recepisse post maturam hac de re deliberationem.

Instrumentum, seu Processus verbalis, eorum quæ gesta sunt in Conventu generali Cleri Gallicani, ad recipiendum Concilium Tridentinum die 19. *Maji*, *&* 7. *Junii* 1615.

ARTICULUS III.

„ Post lectam deliberationem Cameræ Ecclesiasticæ, in
„ Comitiis seu Statibus generalibus, factam 23. die men-
„ sis Martii proxime præteriti : in qua Conventus ge-
„ neralis Cleri, mense Majo præsentis anni congregan-
„ dus, enixe rogatur, ut solicite procuret, nihilque in-

„ tentatum relinquat, ut petitioni factæ ab eadem Ca-
„ mera Ecclesiastica respondeatur.

„ Post audita Provinciarum Ecclesiasticarum vota,
„ conclusum fuit, quod præsens Conventus solicite in
„ hoc se gerat, & instantissime requirat supra petitam
„ responsionem, præsertim super articulis selectis & Ec-
„ clesiæ magis utilibus, atque super omnia prosequatur
„ publicationem Concilii Tridentini.

„ Cum deinde Conventus deliberare cœpisset super re-
„ ceptione, & publicatione sancti Concilii Tridentini,
„ ad quam obtinendam multi supplices libelli oblati
„ sunt Regiis Majestatibus a præcedentibus Conventibus
„ Cleri generalibus, a Comitiis, seu Statibus generali-
„ bus, & a præsenti etiam Conventu: Interim donec
„ velint rectam super hac materia resolutionem habere,
„ & favorabiliter respondere, insequendo etiam mentem
„ defuncti Regis Henrici magni, qui in una ex respon-
„ sionibus datis, libello ipsi oblato a Clero ann. 1602.
„ decrevit, quod Constitutiones & Decreta ejusdem sa-
„ cri Concilii observarentur, hortans Regni sui Episco-
„ pos, ut huic observationi invigilarent: post longam
„ maturamque discussionem & deliberationem, de com-
„ muni & unanimi totius Conventus consensu, facta est
„ & firmata conclusio, prout sequitur.

„ Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, alii-
„ que Ecclesiastici subscripti, repræsentantes Clerum
„ generalem Galliæ, in Cœnobio Augustinianorum Pa-
„ risiis cum permissione Regia congregati: post matu-
„ ram deliberationem super publicatione Concilii Tri-
„ dentini, unanimiter agnoverunt & declararunt, agno-
„ scunt & declarant, se teneri ex debito officii & in
„ conscientia ad recipiendum, prout de facto recepe-
„ runt & recipiunt dictum Concilium, & se illud pro
„ posse observaturos promittunt ministerio & authoritate
„ spirituali & Pastorali.

„ Et ad procurandam ampliorem, & magis solemnem,
„ ac peculiarem receptionem, censent, Concilia Provin-
„ cialia omnium Metropolitanarum Provinciarum hujus
„ Regni, convocanda esse & celebranda in unaquaque
„ Provincia intra sex menses ad summum, rogandosque
„ Illustrissimos Archiepiscopos & Episcopos absentes per
„ litteras a præsenti Conventu scriptas una cum exempla-
„ ribus præsentis Articuli, ut in dictis Conciliis Provin-
„ cialibus Concilium Tridentinum recipiatur, & injun-
„ gatur postmodum, ut in particularibus Diœcesanis Sy-
„ nodis etiam recipiatur, juxta deliberationem & Con-
„ clusionem Statuum generalium Regni, quæ con-
„ clusio hic in fine inserta est. Si quid autem impediat
„ dictorum Conciliorum Provincialium præscripto tem-
„ pore convocationem, in Synodis nihilominus Diœce-
„ sanis proxime sequentibus dictum Concilium recipie-
„ tur, & observabitur in Diœcesibus.

Quæ

Quæ omnia Præsules Prædicti & Ecclesiastici subsignati, promiserunt & jurarunt se procuraturos & effecturos omni quo poterunt modo. Actum in Generali Conventu dicti Cleri, habito Lutetiæ Parisiorum, apud Augustinianos, die 7. Julii, anno 1615.

Sequitur tenor Articuli Cameræ Ecclesiasticæ in Statibus generalibus, de quo mentio facta fuit supra, & qui conformis est Articulo ea de re a Camera Nobilium stabilito.

ARTICULUS IV.

„ Dicti Ecclesiastici Regni vestri, inhærentes præcedentibus precibus, & supplicibus libellis, multoties jam, ac diversis temporibus Majestatis vestræ prædecessoribus oblatis, tam in Comitiis generalibus Regni, quam in Conventibus Cleri, cum non possint, nec debeant a precibus suis desistere, aut defatigati cessare; quandoquidem agitur de Dei cultu, & de honore hujus Christianissimæ Monarchiæ, quæ a tot annis, cum tanto cæterarum Catholicarum nationum stupore, præsefert velut in fronte quamdam hanc divisionis notam; supplicantes humillime Majestatem vestram obsecrantur, ut velit hanc gloriam & coronam sibi hactenus a Deo reservatam amplecti, ac decernere, ut universale & œcumenicum Tridentinum Concilium recipiatur & publicetur in hoc Regno, ejusque Decreta serventur, sine ullo tamen præjudicio jurium vestræ Majestatis, libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Privilegiorum, & exemptionum, Capitulis, Monasteriis, & Communitatibus competentium; supplexque Sanctitati suæ libellus offertur, ut hæc Privilegia & exemptiones conserventur, & integra permaneant, ita ut nullum a dicta publicatione præjudicium patiantur ".

Ubi autem supradicta resolutio & conclusio lecta fuit, omnes Illustrissimi Prælati, cæterique Ecclesiastici eidem sigillatim subscripserunt, & jurarunt in manibus dicti Domini Cardinalis, qui & ipse prior juraverat, supra Sacrosancta Evangelia: ac decretum fuit, ut dicta conclusio subscriberetur ab illis etiam deputatis, qui huic sessioni non interfuerunt, & aliis Dominis Prælatis, qui nunc in hac Civitate reperiuntur. Quod & factum fuit, ut constat ex originali autographo separatim scripto in uno Chartæ folio, cui subscriptum fuit prout sequitur.

Petrus Cardinalis de Gondy, Episcopus olim Parisiensis.

Jacobus Cardinalis Perronius, Archiepiscopus Senonensis.

Franciscus Cardinalis de la Roche foucault Episcopus Silvanectensis.

Ludovicus, Archiepiscopus Rhemensis, primus Par Franciæ.

Hiero-

Hieronymus, *Archiepiscopus Viennensis*.
Paulus, *Archiepiscopus Aquensis*.
Leonardus, *Archiepiscopus Auxitanus*.
Andreas, *Patriarcha Bituricensis*.
Guillelmus, *Archiepiscopus Ebredunensis*.
Franciscus, *Archiepiscopus Augustinopolitanus*, *Coadjutor Rothomagensis*.
I. de l'Estan, *Episcopus Carcassonensis*.
F. Pierre, *Episcopus Mirapicensis*.
L. Episcopus Agathensis.
Franciscus, *Episcopus Abrincensis*.
Carolus, *Episcopus Andegavensis*.
Carolus, *Episcopus Nannetensis*.
Cyrus, *Episcopus Cabillonensis*.
Carolus de Balzac, *Episcopus Noviomensis*, *Par Franciæ*.
R. Petier, *Episcopus & Comes Bellovacensis*, *Par Franciæ*.
I. Episcopus Tullensis.
Bertrandus d'Eschaux, *Episcopus Bajonensis*.
Ægidius, *Episcopus Tolonensis*.
Franciscus Episcopus Vabrensis.
Salvator de Hiarse, *Episcopus Tarbensis*.
Joannes de Vieuxpont, *Episcopus Meldensis*.
Joannes Bertiere Episcopus Rivensis.
Gabriel, *Episcopus Aurelianensis*.
Renanus, *Episcopus Trecensis*.
Eustochius, *Episcopus Nivernensis*.
Stephanus Polveret, *Episcopus Electensis*.
Joannes Episcopus Gratianopolitanus.
Antoninus de Maitie, *Episcopus Oloronensis*.
Franciscus de Medavi, *Episcopus Lexoviensis*.
P. Huraud, *Episcopus Carnotensis*.
Claudius, *Episcopus Aginnensis*.
Jacobus, *Episcopus Bajocensis*.
I. de Saletes, *Episcopus Lascurensis*.
C. Noailles, *Episcopus sancti Flori*.
P. Antonius Peraud, *Episcopus Helenopolitan. Coadjutor Uticensis*.
Jacobus Episcopus Sagiensis.
Sebastianus, *Episcopus & Dux Lingonensis*, *Par Franciæ*.
Henricus, *Episcopus Parisiensis*.
Ægidius, *Episcopus Convenensis*.
Benjaminus, *Episcopus & Dux Laudunensis*, *Par Franciæ*.
Petrus, *Episcopus Ephesius*, *Coadjutor Viennensis*.
Vitalis, *Episcopus Emesinus*, *Coadjutor Carcassonensis*.
Stephanus, *Episcopus Grassensis*.
Petrus de Flaires, *Episcopus Sancti Pontii*.
Andreas, *Episcopus Valentinensis*, *& Diensis*.

P₂ de

P. de Cornusson, Coadjutor Vabrensis.
Hisnand. Episcopus Glundatensis.
P. Aleame, Episcopus Regiensis.
I. Episcopus Fasatensis.
Franciscus de Gondo, Decanus Ecclesiæ Parisiensis.
P. Habert, Regius Consiliarius, supplicum libellorum Magister, Prior Sancti Arnaldi Crespiensis.
Leonorus d'Etampes, de Valencei, Abbas de Bourgueil.
Robertus Bollene, Prior Parcensis, major Archidiaconus, Officialis & Vicarius generalis Diœcesis Ebroicensis.
Alphonsus de Breteville, Cancellarius Ecclesiæ Rothomagensis.
Carolus de la Saussaye, Curatus sancti Jacobi in Macello.
Carolus Fougeu, Abbas sancti Everti Aurelianensis.
Claudius Antonius d'Habrard, de S. Sulpice, Abbas de la Garde-Dieu, magnus Archidiaconus Carducensis.
Petrus de Pereissat, Canonicus, & Vice-Decanus Burdegalensis.
Joannes Aubert, magnus Archidiaconus Rhemensis.
Jacobus du Lac, Prior Nostræ Dominæ de Auditu.
Carolus de Bouves, Vicarius generalis Pontis ad Isaram.
Joannes de Bouffartigue, Canonicus, & Sindicus Cleri Convenensis, pro Provincia Auxitana.
Antonius de Bavastre, Dominus & Curatus d'Arcaville, pro Provincia Rhotomogensi.
Frater Guillelmus Elias, Prior de Cliville, pro Rhotomogensi.
Joannes de Bertier, Abbas Capellæ, magnus Tholosæ Archidiaconus.
Claudius de Rueil, magnus Turonensis Archidiaconus.
Duo recentes Agentes Cleri designati.
Honoratus Sabatier, Archidiaconus, Arelatensis.
Josephus Dalmas, Præpositus sancti Jacobi de Sents, Ebredunensis.
Duo antiqui Cleri Agentes.
Martinus de Racine, Canonicus Parisiensis, Abbas de la Vernusse.
Petrus Bebety, Archidiaconus Convenensis.
Michael Sublt, Abbas de Vendome, pro Senonensi.
Stephanus Signoret, Præpositus Aptensis, pro Aquensi.
Gabriel Maran, Abbas de Dorat, pro Bituricensi Provincia.
Christophorus du Verdier, Abbas de Pebrac, pro Bituricensi.
Gabriel du Croc, Præpositus Claromontanus, pro Bituricensi.

A Pons de la Grange, Archidiaconus sancti Flori.
Andreas Venot, Cantor Augustodunensis, Deputatus a Provincia Lugdunensi, Officialis, & Sindicus.
Is. du Faur, Præceptor & Officialis Gratianopolitanus, Deputatus Provinciæ Viennensis.
I. Bars, Cancellarius, & Vicarius generalis Biterensis, Deputatus Provinciæ Narbonensis.

Quæst. 3. Poteſt-ne probari, pluralitatem Beneficiorum etiam ſimplicium, quorum unum ſufficit ad honeſtam vitæ ſuſtentationem, fuiſſe malam, & prohibitam ante Concilium Tridentinum.

Resp. Conſtat, hanc pluralitatem in ſe malum eſſe, cum ex præfato Concilio pervertat ordinem Eccleſiaſticum; quare pluribus Conciliis ante prohibita legitur. In Concilio generali Chalcedonenſi (*Can.* 10.) ita ſtatuitur: *Non licet, Clericum conſcribi in duabus ſimul Eccleſiis*, quod idem eſt, ac duo ſimul habere Beneficia. In Concilio Nicæno II. (*actione* 8. *Can.* 15.) ita habetur: „ „ Clericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus Eccleſiis: negotiationis enim eſt hoc, & turpis „ commodi proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine „ penitus alienum. Unuſquiſque ergo, ſecundum Apoſtolicam vocem, in quo vocatus eſt, in hoc debet „ manere, & in una locari Eccleſia. Quæ enim per turpe lucrum in Eccleſiaſticis rebus efficiuntur, aliena „ conſiſtunt a Deo“.

Verum Decretum ab Urbano Papa II. in Concilio Placentino editum (*an.* 1095. *Can.* 15. *refer. in Can. Sanctorum, diſt.* 70.), dirimit omnes fere quæſtiones, quæ hac de re agitari poſſunt: „ Omnino, *inquit ſummus* „ *Pontifex*, in duabus aliquem titulari Eccleſiis non liceat, ſed unuſquiſque, in qua titulatus eſt, in ea tantum Canonicus habeatur. Licet enim, Epiſcopi diſpoſitione, unus diverſis præeſſe poſſit Eccleſiis; Canonicus tamen Præbendarius, niſi unius Eccleſiæ, in qua „ conſcriptus eſt, eſſe non debet. Si quæ tamen Capellæ ſunt, quæ ſuis reditibus Clericos ſuſtentare non „ poſſunt, ea cura, ac diſpoſitio Præpoſito majoris Eccleſiæ, cui Capellæ ſubditæ eſſe videntur, immineat; „ & tam de poſſeſſionibus, quam de Eccleſiaſticis Capellarum Officiis ipſe provideat“.

Notandum, quod Pontifex ſtatuit, nullum Clericum poſſe duos titulos poſſidere in duabus Eccleſiis, nec poſſe conſcribi, niſi in Canone (id eſt, in Regiſtro Clericorum, qui recipiunt Canonem, ſeu menſuram, & quantitatem conſuetam diſtributionum) unius Eccleſiæ, ſub cujus titulo ordinatus eſt. Nam etſi Epiſcopus poſſit regimen duarum Eccleſiarum uni Presbytero, dum id neceſſarium judicat, committere; non debet tamen eſſe Canonicus Præbendarius, niſi in Eccleſia, in cujus Regiſtro conſcriptus eſt. Sed cum a Pontifice peteretur, quid agendum circa minores Capellas, quarum una non

ſuf-

sufficiebat ad alendum Clericum, & utrum possent plures uni conferri? Respondit, dandam esse administrationem talium Capellarum Præposito Ecclesiæ, a qua pendebant, ut scilicet earum obligationes impleri curaret; nolens, etiam in his minoribus Capellis pluralitatem concedere, licet essent Beneficia simplicia, & earum una congruæ sustentationis Beneficiarii non sufficeret; ne contagiosum fieret exemplum, & sensim sine sensu pluralitas Beneficiorum introduceretur, etiam quando unum ad honestam sustentationem sufficeret.

Guillelmus Durandus celebris Doctor, & Episcopus Miniatensis, qui floruit 14. Ecclesiæ sæculo: *Theologorum*, inquit, (*de modo celebrandi Concilii generalis, p. 1. tit. 11.*) *communiter hoc habet opinio, quod si unum habet Beneficium, de quo potest non laute, nec ad elationem, & pompam, sed convenienter, & mediocriter sustentari, recipiat, vel retineat aliud, mortaliter peccat*. Loquitur autem generaliter de quibuslibet, sine ulla exceptione, Beneficiis, tam simplicibus, quam aliis. Quin etiam legimus in Instructionibus datis Oratoribus Galliæ ad Concilium Tridentinum a Rege missis (*Instructiones seu Memoriæ pro Concil. Trid. pag. 570.*): „ Unum tantum Beneficium uni conferatur, sublata, „ quod attinet ad pluralitatem, compatibilium, & in- „ compatibilium differentia, quæ distinctio, ut est no- „ va, & antiquis Decretis incognita, ita Ecclesiæ Catho- „ licæ magnam calamitatem attulit. Qui vero nunc duo, „ vel plura possident, aut aliud tantum retineant, quod „ intra breve tempus elegerint, aut in pœnas antiquo- „ rum Canonum incidant". Quia scilicet hæc pluralitas, etiam ante Concilium, mala & prohibita erat.

Unde etiam in Concilio Mechlinensi sic habetur (*Anno 1607. tit. 29. Can. 6.*): *Pluralitas Beneficiorum, & certum continet animarum periculum, & totius Ordinis Ecclesiastici perversio est. Ideoque mandat Synodus, exacte observari, quidquid de ea decretum est in sacro Concilio Tridentino*.

Potest insuper idem probari authoritate Sancti Bernardi apud Sanctum Thomam, ubi sic loquitur (*Quodlib. de pluralitate Beneficiorum. Facultas Parisiensis, ann. 1238.*): *Qui non unus, sed plures est in Beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis*.

In celebri etiam Decreto Facultatis Parisiensis diserte asseritur, quod *Nemo potest duo Beneficia, si unum sit sufficiens ad alendum eum, obtinere sine mortali peccato*.

Ratio autem, cur plura Beneficia, etiam simplicia, possideri non possunt ab uno sine peccato, oritur partim ex obligatione, quam Beneficia Beneficiario imponunt, partim ex utilitate, quæ ex illorum reditu percipitur. Ex obligationibus quidem, quia Beneficium possidens multas Deo tenetur fundere preces, quibus tum Deus, tum Ecclesia privantur; quando enim plura ab uno pos-

fidentur Beneficia, minuitur numerus Miniftrorum orantium, & fi poffiderentur a pluribus, Dei cultus augeretur. Sumitur etiam ratio contra pluralitatem ex parte redituum: quia cum Beneficiorum reditus dentur ad honeftam fuftentationem, idque per modum eleemofynæ, (nam, ut ait S. Auguftinus (*lib. de Paftor. c. 2. circa finem.*): *Qui præfunt Presbyteri, accipiant fuftentationem neceffitatis a populo, mercedem difpenfationis a Deo*) ille, qui Beneficium habet fufficiens ad honefte vivendum, non amplius indiget illa eleemofyna, & pauperibus aut Ecclefiis ea quodammodo furripit bona, quæ ex pluralitate Beneficiorum recipit.

Unde S. Thomas fic loquitur (*Quodlib. 9. art. 15. in corp.*): „ Habere plures Præbendas, plures in fe inordi-„ nationes continet; primo, quia fequitur diminutio cul-„ tus Divini, dum unus loco plurium inftituitur. Sequi-„ tur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teftato-„ rum, qui ad hoc aliqua bona Ecclefiis contulerunt, ut „ certus numerus Deo defervientium ibi effet. Sequitur „ etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abun-„ dat, & alius nec unum habere poteft ". Et licet dici poffit, fanctum Thomam loqui de Præbendis potius, quam de Beneficiis fimplicibus; nihilominus negari non poteft, quin illius rationes militent contra pluralitatem Beneficiorum etiam fimplicium.

Quæft. 4. Licet-ne habere plura Beneficia ex difpenfatione fummi Pontificis?

Refp. Doctiffime, fuo more, huic quæftioni fic refpondet Sanctus Thomas (*ibid.*): „ Licitum non eft ha-„ bere plures Præbendas, fi non adfint illæ circumftantiæ, „ quæ illum actum poterant cohoneftare, quantumcumque „ difpenfatio interveniat; eo quod difpenfatio humana non „ aufert ligamen juris naturalis, fed folum ligamen juris „ pofitivi, quod per hominem ftatuitur, & per hominem „ difpenfari poteft ". Unde licet concludere, quod ubi unum Beneficium fufficit ad fuftentationem, pluralitas eft contraria juri naturali, & divino, proindeque nullam admittit difpenfationem, nifi pluralitas illa iis veftita fit circumftantiis, quæ tollant contrarietatem juri divino; & idcirco rationes difpenfandi debent fumi ex utilitate Ecclefiæ. Unde S. Bernardus, *Nec cuiquam*, inquit (*ep. 271. ad Comitem Theobaldum.*), *plures dignitates in pluribus Ecclefiis habere licet, nifi difpenfatorie quidem, ob magnam vel Ecclefiæ neceffitatem, vel perfonarum utilitatem.*

Quæft. 5. In quibufnam circumftantiis legitime obtineri poffunt plura Beneficia cum difpenfatione fummi Pontificis?

Refp. Haberi poffunt, dum adeft legitima caufa difpenfandi, & aliqua circumftantia efficiens, ut dicta pluralitas in hoc cafu non fit contra jus divinum. „ Non „ eft contra jus naturale, *inquit Sanctus Thomas* (*Quod-*

„ *lib.*

„ *lib. 9. art. 35. in corp.*), habere plures Præbendas, „ si prædictæ inordinationes totaliter evacuentur: ut „ puta, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obse- „ quii, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem „ absens, quam alius præsens; & si quæ aliæ sunt hu- „ jusmodi. Si vero aliquis hac intentione plura Beneficia „ habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius „ ad Episcopatum perveniat, non tolluntur prædictæ de- „ formitates, sed augentur".

In eamdem sententiam descendunt tres Cardinales vere insignes, qui Romæ suam hac de re opinionem vulgarunt.

Primo quidem Cardinalis Cajetanus hoc diserte asserit (*In summa, verb. Beneficium num. 9.*): „ Nec „ excusatur, *inquit*, peccatum mortale propter dispensa- „ tionem Papæ sine rationabili causa; quoniam dispen- „ satio Papæ cadit super jus positivum, & non super jus „ divinum, aut morale: pluralitas autem Beneficiorum „ sine rationabili causa, est contra jus divinum, & mo- „ rale, quo communia Ecclesiæ bona distribui juste de- „ bent partibus Ecclesiæ".

Secundo, Cardinalis Toletus suam sententiam exprimit, his verbis (*lib. 5. de Instit. Sacerdotum, c. 8. n. 4.*) „: Ut in foro exteriori possit aliquis plura Benefi- „ cia habere, satis est dispensatio; tamen ut in consci- „ entia, & coram Deo tutus sit, necessaria etiam est „ causa dispensationis: hæc autem causa debet esse in uti- „ litatem Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. „ Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est „ bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo".

Tertio, Cardinalis Bellarminus in Instructionibus ad nepotem suum Episcopum Theanensem directis: „ Quia „ plures sunt, *inquit* (*in instructionibus ad Nepotem suum*), „ qui plura Beneficia possident cum dispensatione summi „ Pontificis, sciendum est, Pontificum dispensationem, „ quando non adest justa causa dispensandi, valere in fo- „ ro fori, non in foro poli: ut aperte docet Sanctus Thomas.

Idem censet Abbas Panormitanus, magnum Canonici Juris lumen, & decus, dum ait (*in cap. Dudum, de elect. nota 26.*), „ Dispensatus, etiam per Papam, circa plura- „ litatem Beneficiorum sine causa, etiam si sit tutus quoad „ Ecclesiam utilitantem, non tamen quoad triumphan- „ tem: & sic non videtur dispensatio quoad Deum.

Denique Guillelmus Parisiensis hanc materiam ex professo tractans (*tract. de collatione Beneficiorum c. 6. de singularitate Beneficiorum*) „: Quod si objeceris nobis, „ *inquit*, de dispensationibus Apostolicis? Respondeo, „ quod illæ supra nos sunt, & quod diligenter conside- „ ratæ, irritæ sunt; & de omni dispensatione facta idem „ sentimus, nec interpretari præsumimus. E contrario „ tamen indubitanter sciendum est, quod Romanus Pon- „ tifex, quantumcumque largam dispensationis gratiam

„ Vi-

„ videatur facere in Beneficiis, cum aliquibus personis, „ tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel am„ bitione eorum: nec indulget eis indulgentiis suis, & „ his vel aliis vitiis: non enim intendit pascere, vel nu„ trire pestes vitiorum, de bonis temporalibus Ecclesiasti„ cis, quæ plene novit ad sustentationem servorum Dei „ in ejus servitio certificata esse Domino, & oblata “.

Eamdem sententiam amplectitur S. Bernardus, scribens ad Eugenium Papam (*lib. 3. de consider. ad Eugenium Papam*); *Quid, inquis, prohibet dispensare? Non, sed dissipare. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*. Et in Epistola ad Adam Monachum (*Idem ep. 7. ad Adam Monachum*): *Numquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit?*

Videri possunt, quæ de dispensationibus dicta sunt, Tom. 5. Tr. 9. de Matrim. c. 7.

Notandum est, plures Beneficiarios, hujusmodi Beneficiorum pluralitatem sæpius idcirco excusare, quod pie reditus Beneficiorum expendant, & omne quod superest, post congruum victum & vestitum, pauperibus aut Ecclesiis largiantur, quodque si alius unum ex his Beneficiis possideret, non ita pie rediturus, ut plurimum administraret. Sed hæc excusatio invalida videtur, nec potest illos securos in conscientia reddere; quia etiam si bona redituum administratio alicujus momenti sit; attamen munia spiritualia, quæ plures Beneficiati in utilitatem Ecclesiæ obire possent, pluris sine dubio æstimari debent, quam quicumque reditus temporales, qui propter spirituale conceduntur. Possent præterea, qui plura Beneficia possident, pios Clericos facile invenire, qui probabiliter cum æquali pietate reditus Beneficiorum administrarent, si in illorum favorem coram summo Pontifice resignarentur. Et ita si Beneficiati pluralitatem non relinquunt, quæ certe contagiosum exemplum fovet, & magnum in Ecclesia scandalum parit, facile convinci possunt, si vias suas coram Deo vere scrutari velint, desiderium majorem Ecclesiæ utilitatem procurandi, non in causa esse, cur plura retineant Beneficia; sed potius motivum aliquem temporalem, à carne & sanguine inspiratum, ut scilicet propinquos augeant; aut etiam propriæ ambitioni, vanitati, aut avaritiæ famulentur.

His argumentis contra pluralitatem allatis, addi potest historia memorabilis, quam Guillelmus Episcopus Parisiensis Clericis suis sæpe concionando referebat; cujus etiam mentionem facit Albertus Magnus, *Libro de Sacramentis*; quam narrat quoque Thomas Cantipratanus, *in Libro Apum*, qui se Lutetiæ Parisiorum hoc tempore fuisse dicit: & refert

Guillelmus Durandus, in Libro *De modo celebrandi Concilium*.

Tribus annis post celebrem disputationem, & Condemnationem pluralitatis Beneficiorum, a Facultate Parisiensi editam, Cancellarius ejusdem Ecclesiæ, nomine Philippus, qui pluralitatem Beneficiorum licitam esse asserebat, & in praxim deducebat; in morbum lethalem incidit, & ab Episcopo Parisiensi Guillelmo supra nominato visitatus, hortatusque, ut pluralitatem relinquens, Beneficia, quæ possidebat, unico excepto, dimitteret; omnino & pertinaciter recusavit, addens, experiri se velle, utrum pluralitas Beneficiorum esset adeo mala. In eo igitur statu mortuus est, & post dies aliquos, dictus Guillelmus Episcopus, dum enixius in Ecclesiæ Parisiensis Choro oraret post preces matutinas ibidem noctu persolutas, horribilis viri effigiem conspexit, cui, signo Crucis prius se muniens, dixit, ut si a Deo missus esset, loqueretur: tunc vero inquit; Ego sum miser ille Cancellarius ad ignem æternum damnatus: cumque Episcopus causam damnationis petiisset, Respondit; damnatum se esse primo, quod id, quod ei ex bonis Ecclesiæ superat, pauperibus non distribuisset: Secundo, quod asseruisset licere plura simul Beneficia retinere, & in ea pluralitate mortuus esset: Tertio in detestabili carnis vitio aliquamdiu fuisset immersus.

CAPUT VII.

De Obligatione Beneficiorum circa residentiam.

Quæst. I. QUo jure residere tenentur Episcopi, Parochi, aliique curam animarum habentes?

Resp. Videntur teneri de jure Divino, & Ecclesiastico sub pœna mortalis peccati. Quod ex Tridentino (*sess.* 23. *de reform. c.* 1.) probatur, in quo sic habetur: „ Cum „ præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus ani„ marum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro „ his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, „ Sacramentorum administratione, ac bonorum operum „ exemplo pascere, pauperum aliarum miserabilium per„ sonarum curam paternam gerere, & in cætera munia „ Pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis „ præstari, & impleri possint, qui gregi suo non invigi„ lant, neque assistunt, sed mercenariorum more dese„ runt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & horta„ tur, ut divinorum præceptorum memores, factique „ forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & re„ gant “.

Quæst. 2. Quam pœnam incurrunt Episcopi, aliique curam animarum habentes, qui in suis Beneficiis non resident?

Resp. Juxta idem Concilium (*sess.* 23. *de refor. c.* 1.): „ Si quis autem contra hujus Decreti dispositionem ab „ fue-

„ fuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas „ adversus non residentes sub Paulo III. impositas, & in- „ novatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, „ eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non face- „ re, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non „ secuta, illos sibi obtinere posse, sed teneri illos Fabri- „ cæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare “.

Quæst. 3. Nullæ-ne præterea pœnæ decernuntur contra Parochos sine causa legitima non residentes?

Resp. Concilium statuit (*Ibidem*): *Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, etiam usque ad privationem, compellere* Curatos, seu Parochos non residentes.

Quæst. 4. Quibusnam de causis licitum est Parochis, & aliis curam animarum habentibus, a residentia abesse?

Resp. Nullæ aliæ absentiæ causæ possunt esse legitimæ, quam illæ, quæ a Concilio Tridentino referuntur his verbis (*Ibidem*): „ Nam cum Christiana charitas, urgens „ necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel „ reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam adesse postu- „ lent, & exigant, Decernit eadem sancta Synodus, ut „ quandocumque eos, causa prius per Episcopum cogni- „ ta, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum „ ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis „ assignatione relinquant “.

Unde etiam videmus, sanctum Augustinum, dum cum solita humili modestia populo suo Hipponensi scriberet, similes absentiæ causas memorasse, his verbis (*ep.* 128. *ad populum Hippon.*): *Noverit dilectio vestra, numquam me absentem fuisse licentiosa libertate, sed necessaria servitute, quæ sæpe sanctos fratres, & collegas meos, etiam labores marinos, & transmarinos compulit sustinere.*

Quæst. 5. In quo consistit Episcoporum, & Parochorum residentia?

Resp. Constat ex dictis, non sufficere, ut corporaliter resideant, sed insuper teneri ea, quæ sui muneris sunt, diligenter præstare; exempli gratia, tenentur Parochi per se, quantum moraliter fieri potest, Parochorum officio fungi, & munia curialia libenter obire, unde etiam peccare videntur, quando sine causa ad Vicarios suos illa, quæ per semetipsos implere facile possent, remittunt, licet resideant; quia, juxta Concilium (*Trid. sess.* 23. *de ref. c.* 1.), debent per semetipsos pascere & regere: *Divinorum*, inquit, *præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant.*

Et sane, ut in Ezechiele Propheta habetur (*c.* 34.): *Nonne greges a Pastoribus pascuntur?* Ipse etiam Christus Dominus satis eorum officium demonstrat, dicens (*Matth. c.* 5.): *Vos estis lux mundi.* Quæ verba explicans sanctus Joannes Chrysostomus: *Tenetur lucere*, inquit (*Homil.* in

in Matth.), *quem Dominus habere voluit Officium lucernæ*. Et quemadmodum Sol non solum suo affixus est cælo, sed in continuo versatur motu, ut suum circumquaque lumen & calorem diffundat; ita Episcopus & Parochus non tantum debet hærere affixi cælo suo, hoc est Diœcesi, seu Parochiæ, verum etiam lumen & calorem vivificum continuo impendere animabus suæ curæ commissis, exemplari vita, & fideli functionum suarum exercitio, quia, ut ait sanctus Gregorius Papa (*refer. in Canon. Quamvis*, 7. *q.* 1.), *Languente Pastore, grex insidiatoris laniandus dentibus exponitur*: Hoc est, si munus suum desidiose & negligenter obeat Pastor, Dæmon, qui vigil est semper in hominum ruinam, gregem ejus facile dilaniabit.

Unde etiam in Synodo Ebroicensi (*an.* 1576.) sic habetur: „ Cogitent Curati omnes, se vivere in perpetuo „ mortali peccato, quamdiu præceptum divinum, & „ Pastorum residentiam violant: cogitent, utroque jure non sibi deberi Beneficium, nisi propter officium; „ ideoque fructus suos non facere, si suum non obierint „ ministerium, quemadmodum a Concilio Tridentino „ fuit declaratum “. Et paulo inferius eadem Synodus sic loquitur: „ Scimus, in residentia Curatorum potius „ requiri personæ industriam, quam corporis in eodem „ loco desidiam, & inertiam: atque inter residentes nu- „ merandos potius, qui absentes corpore, spiritu & assi- „ dua speculatione gregi invigilant, quam qui præsentes „ corpore, seipso pascunt potius, quam gregem, cui „ scandalo sunt “.

Quæst. 6. Dignitates. & Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, obligant-ne ad residentiam, & in Choro assistentiam?

Resp. Tenentur omnino ad utrumque juxta Tridentinum Concilium (*sess.* 24. *de ref. c.* 12.), in quo sic legitur: „ Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, „ aut Collegitatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, „ aut Portiones, non liceat, vigore cujuslibet statuti, „ aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Eccle- „ siis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum Ec- „ clesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus „ requirunt, alioquin primo anno privetur unusquisque di- „ midia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, „ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit „ usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos „ eodem anno lucratus fuerit. Distributiones vero, qui „ statutis horis interfuerit; recipiant, reliqui quavis „ collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta „ Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit: *Consuetudinem*, quod sancta Synodus in usum revocat, non ob- „ stantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus. „ Omnes vero divina per se, & non per substitutos, „ compellantur obire officia.

Quæst.

Quæst. 7. Dignitates, aut Canonici, qui receperunt distributiones quotidianas, etiamsi abessent sine legitima causa, tenentur-ne eas restituere?

Resp. Tenetur omnino, ut ex his, quæ mox ex Concilio Tridentino retulimus probari potest; statuitur enim, ut Beneficiorum distributiones solis præsentibus, qui divinis officiis assistunt, concedantur. Quod etiam explicatur a Bonifacio VIII. in dicto cap. *Consuetudinem*, quod a Concilio Tridentino in usum revocatum fuit (*Cap. Consuetudine, de Clericis non residentibus, in 6.*): „ Statuimus, ut distributiones ipsæ quotidianæ in quibuscumque rebus consistant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis, „ & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in „ ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur, juxta Ecclesiæ cu„ juslibet ordinationem jam factam, seu etiam facien„ dam; qui vero aliter de distributionibus ipsis quid„ quam receperit, rerum sic receptarum dominium non „ acquirat, ne faciat res suas, imo ad omnium restitu„ tionem, quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem „ receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro de„ functorum anniversariis largiendis, idem decernimus „ observandum ".

Quæst. 8. Quibusnam ex causis excusari possunt Canonici, qui ab officio absunt?

Resp. Idem summus Pontifex duas hujuscemodi tantum causas admittit, infirmitatem scilicet corporalem, & evidentem Ecclesiæ utilitatem: *Distributiones quotidianæ*, inquit, *non tribuantur iis, qui officiis non adfuerint, exceptis illis, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Veluti si Canonicus applicetur ab Episcopo alicui negotio magis utili Ecclesiæ, quam sit illius in Ecclesia præsentia, ut in visitationibus Pastoralibus; aut si in Parochiam Presbytero destitutam mittatur, aut demum si in aliis rebus Ecclesiæ valde necessariis adhibeatur.

Quæst. 9. Nonne potest Episcopus duas ex Canonicis Cathedralis suæ a residentia excusare, ut ipsi assistant, & inserviant?

Resp. Potest, modo ad utilitatem Ecclesiæ, potius quam ad propriæ personæ obsequium assumantur, & rebus præsertim spiritualibus adhibeantur. *Decernimus*, inquit Honorius Papa III. (*Cap. Ad audientiam de Clericis non resid.*) *ut duo ex Canonicis Ecclesiæ tuæ in tuo servitio existentes, suarum fructus integre recipiant præbendarum: cum absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur*.

Quæst. 10. Licet-ne Canonico abesse, ut studiis vacet?

Resp. Juxta Concilium Tridentinum (*sess.* 5. *de refor. c.* 1. *Cap. Super. specula, de Magistris*): *Docentes in Theologica Facultate, dum in Scholis docuerint, & studentes in ipsa, integre per annos quinque percipiant proventus Præbendarum, & Beneficiorum suorum, non ob-*

 stan-

stante aliqua consuetudine, vel statuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Quod tamen intelligi convenit, dum id agunt cum facultate ab Episcopo obtenta; ad illum enim spectat judicare, utrum ex illorum absentia Ecclesia non patiatur detrimentum.

Quæst. 11. Sufficit-ne Canonico assistere, seu adesse Choro, ut legitime percipere possit distributiones?

Resp. Ratio naturalis docet, quod cum Canonici non teneantur Choro interesse, ut solum sedem occupent, & locum impleant, sed etiam ut divinum officium celebrent, & convenienter persolvant; nisi cum aliis juxta facultatem psallant, suo munere non defunguntur, nec suæ obligationi satisfaciunt; nec prætendere possunt suas adimpleri vices in recitatione Psalmorum a Beneficiatis, aut simplicibus Præbendariis, Capellanis, aut Cantoribus amovibilibus; quia illorum obligatio omnino personalis est, & talis, ut per alium minime adimpleri possit, ut superius dictum fuit ex Concilio Tridentino.

Verum, quia nonnulli contrariam sententiam in praxi sibi persuadere conantur nimium in hoc sibi adulantes, audiant, quid de hac re in Sacris Canonibus statutum fuerit (*Cap. Si quis Presbyter, dist.* 92.). „ Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, si intra Civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur a Clero; si tamen castigatus veniam ab Episcopo noluerit promereri “.

In Concilio Cameracensi (*anno* 1565. *tit. De Cultu, cæremoniis, & Officio divino, c.* 60.) sic habetur: „ In Choro cum psallitur, Canonici omnes, qui in Choro fuerint, & Sacellani psallant, nec sint in sedibus suis otiosi, nec putent se functos officio, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent “.

Idem statuitur in Concilio Burdigalensi (*anno* 1585. *tit.* 17. *de Capitulis, & Canon.*) his verbis: „ Dum psallitur, Canonici omnes, & Sacellani (nisi per invaletudinem, aut aliam legitimam causam impediantur) psallant, nec maneant in suis sedibus otiosi: neve putent, se officio functos, si Vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent “.

In Concilio Turonensi (*anno* 1583.) dicitur: „ Cum psallendi gratia in Choro consedeant, muta aut clausa labia non teneant; sed omnes, præsertim qui majore funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, Canticis Deo alacriter modulentur “.

Concilium Narbonense (*anno* 1609. *c.* 10. *De Capitulo, & Canonicis*) decernit, ut *in Choro omnes divina officia, & preces devote, attente, & graviter simul cantent.*

Denique in Concilio Tridentino (*Sess.* 24. *de ref. c.* 12.) sic expresse statuitur: „ Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusio-

„ ne, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit: *Consuetudinem*, „ quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus „ quibuscumque statutis, & consuetudinibus. Omnes ve- „ ro divina per se, & non per substitutos, compellantur „ obire officia .... atque in Choro ad psallendum insti- „ tuto, Hymnis, & Canticis, & Dei nomen reverenter, „ distincte, devoteque laudare ".

Unde etiam S. Carolus in Concilio Mediolanensi primo (*tit. De iis qui Dignitates, Personatus aut Canonicatus obtinent*), super Concilio Tridentino se fundans: „ Auctoritate etiam, *inquit*, Tridentini Concilii præci- „ pimus, ut cum in Choro psallendum est, ipsi quoque, „ quantum honoris gradu cæteris præstant, tanto studio- „ sius Psalmis, Hymnis, & Canticis una cum aliis mo- „ dulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio si de- „ fuerint, pro absentibus habeantur, & earum horarum, „ quas ea ratione obierint, distributionibus mulcten- „ tur ".

Quæst. 10. Canonici lucrantur-ne distributiones, cum in Choro festinanter cantant, anticipantes versus, aut extremas syllabas non pronunciantes; cum inter canendum colloquuntur, aut sero conveniunt ad officium, vel absque legitima causa exeunt eo nondum completo?

Resp. In his omnibus casibus distributiones lucrari non videntur; hæc enim omnia Decreto Concilii Tridentini mox relato contraria sunt: quin etiam Clemens Papa V. in Concilio generali Viennensi præcipit Episcopis & aliis Superioribus, ut talia impediant errata, eosque pœnis, & censuris Ecclesiasticis plectant, qui in ea inciderint; omniaque alia convenientia remedia adhibeant, ut huic malo efficaciter mederi possint. „ Gravi nimirum, *inquit* „ *Pontifex in dicto Concilio* (*Cap. Gravi, de celebr.* „ *Missarum, in Clementinis*), turbatione movemur, „ quod plerique Ecclesiarum ministri, modestia Ordinis „ Clericalis abjecta, dum offerre Deo sacrificium laudis, „ fructum labiorum suorum, in puritate conscientiæ, & „ animi devotione deberent, Horas Canonicas dicere, „ seu psallere transcurrendo, syncopando, extranea qui- „ dem, & plerumque vana, profana, & inhonesta inter- „ miscendo colloquia, tarde ad Chorum conveniendo, „ seu Ecclesiam ipsam, absque rationabili causa, ante fi- „ nem officii exeundo, nimis indevote præsumunt. Ne „ igitur transgressiones invalescant hujusmodi, aliisque „ veniant in exemplum, sacri Concilii approbatione, hoc „ fieri prohibentes, sancimus, ut illi, ad quos id perti- „ net, & in eorum defectum, locorum Ordinarii: si ve- „ ro exempti fuerint, superiores ipsorum circa reforman- „ da præmissa, & eorum singula corrigenda, necnon ut „ in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis „ horis debitis devote psallatur: si Dei, & Apostolicæ „ Sedis indignationem evitare voluerunt, solicitam curent

„ diligentiam adhibere: contradictores per censuram Ec-
„ clesiasticam, aliisque opportunis remediis compescendo:
„ facientes, prout ad eos spectat, in his, & aliis, quæ
„ ad divinum cultum, & morum reformationem perti-
„ nent, ac Ecclesiarum, & cœmeteriorum respiciunt ho-
„ nestatem, sacrorum statuta Canonum, ad quæ scienda
„ diligens curent adhibere studium, irrefragabiliter ob-
„ servari ".

Denique omnia fere statuta Capitulorum recte ordinatorum privant distributionibus eos, qui Divino officio convenienti modo non intersunt. Et Concilium Burdigalense (*anno* 1583. *c.* 7.) expresse decernit; ut *In Choro colloquia nulla permittantur; sed omnes pie, ac devote divino cultui sint intenti. Qui contrafecerit, nisi monitus quiescat, privetur ejus horæ distributione, vel graviore pœna mulctetur*. Deinde subjungit, ut *Preces, & divina officia non cursim, & festinanter, sed devote, attente, & graviter in Choro omnes recitent, perpetuo memores tremendæ illius Prophetæ sententiæ:* Maledictus qui facit opus Dei negligenter.

In Concilio Provinciali Beneventano (*anno* 1656. *tit.* 6.), modus psallendi in Choro egregie describitur his verbis: *Psallant Canonici per seipsos, distincte, tractim, sedate, factaque pausa in medio versiculi; neque verba transcurrant, vel sincopent; decenti gestu, habituque, & composita voce pronuncient.*

Libros ad officia, quæ cantantur, non pertinentes, ac litteras nullo modo legant, neque item, ubi commune Officium persolvitur, vel Missa cantatur, privatim quisquam officium recitet.

Nemo dormiat, nugetur-ne, aut per templum cursitet, vel vagetur, aut cum laicis colloquitur; neque etiam ex Choro, quovis colore, discedat, nisi necessariam ob causam, a Magistro Chori, vel cui ex consuetudine competit, licentia obtenta.

Qui in prædictorum aliquo deliquerit, horæ illius, cui tunc aderit, distributione privetur, ac gravius etiam, pro modo culpæ, præsertim vero si monitus parere vel neglexerit, vel recusaverit, arbitratu Episcopi puniatur. Vide infra tom. 2. c. 10. q. 24.

Quæst. 13. Præceptor, Cantor, aut is, cui punctuandi, seu notandi incumbit onus, peccat-ne, & tenetur-ne ad restitutionem, quoties non punctuat, seu notat eos, qui sine legitima causa a divino officio absunt?

Resp. Peccat, & ad restitutionem tenetur, ut patet ex Concilio Tridentino (*sess.* 21. *de ref. c.* 3.), in quo sic decernitur; *Cum Beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda, sint instituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus: Sancta Synodus statuit, in Ecclesiis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum separari debere, & in distributiones*

nes quotidianas converti. Unde qui munus punctuatoris sustinet, eosque non notat, qui a divinis Officiis absunt, peccat contra justitiam; quia in causa est, cur distributiones injuste absentibus dentur, licet illis non debeantur juxta Concilium: ideoque tenetur eas restituere in solidum iis, quibus jure debentur, seu Canonicis ejusdem Capituli pro rata præsentiæ, aut Ecclesiæ, juxta varios usus.

Quod etiam authoritate Concilii Mediolanensis quarti a sancto Carolo celebrati probari potest; *Distributiones*, inquit (*Tit. de distributionib.*), *dividens, non solvat iis, qui notati sunt a punctuatore: alioquin eas de suo tenetur Ecclesiæ restituere*.

Ex quo concludere licet, eum qui non notat absentes, ad restitutionem æque teneri, ac eum, qui distributiones notatis solvit; cum uterque in causa sit, ut, qui non interfuerunt divinis officiis, distributiones sibi nullo modo debitas habeant, cum damno illorum, quibus in casu absentiæ debebantur. Hæc etiam partialitas, seu culpabilis facilitas, efficit, ut fundatorum intentio sæpius debito modo non impleatur, & in praxi occasionem periculosam Beneficiatis Choro addictis præbet, frequenter se ab officio sine legitima causa absentandi: ac plurium Canonicorum indevotionem misere fovet, contra Conciliorum salubria Decreta. Quæ omnia si attente coram Deo perpenderent punctuatores, valde timerent in hoc peccatum incidere, quod Divinæ gloriæ, Ecclesiæ utilitati, & animarum saluti multum adversatur.

CAPUT VIII.

De obligatione Beneficiatorum, & eorum, qui in sacris Ordinibus sunt constituti, deferendi tonsuram, & capillos breviores.

Quæst. 1. Clerici, qui sacrum Ordinem susceperunt, aut Beneficium possident, tenentur-ne coronam, & breviores capillos habere?

Resp. Omnino tenentur, ut ex pluribus Sacris Canonibus probari potest (*Can. Clerici, de vita, & honest. Cleric.*): *Clerici coronam, & tonsuram habeant congruentem*. Et in alio Canone (*Can. Prohibete, dist.* 23.); *Prohibete Fratres*, inquit Anicetus Papa, *per universas regionum vestrarum Ecclesias, ut Clerici, juxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum spheræ radant*.

Quæst. 2. Tonsura, quanta esse debet?

Resp. Juxta cap. *Clerici* mox relatum proportionem, relationemque habere debet cum Ordine suscepto; adeo ut, juxta Concilium Mediolanense V. a sancto Carolo celebratum, & a Gregorio Papa XIII. confirmatum (*tit. Quæ ad Cleric. honestatem pertinent*): *Sacerdotalis ton-*

suræ forma in orbem ducta, late & ample pateat unciis quatuor: Diaconalis, una uncia minor: Subdiaconalis, aliquanto angustior, quam Diaconalis: Minorum denique Ordinum corona lata sit undique unciis duabus.

Quæst. 3. Clerici tenentur-ne deferre capillos admodum breves?

Resp. Sic habetur in Canone (*Can. Non liceat, dist.* 23.): *Nec oportet Clericos comam nutrire, sed attonso capite, auribus patentibus incedere debent.* Quod Decretum a pluribus summorum Pontificum, & Conciliorum Constitutionibus antiquis, & recentibus innovatum fuit.

Quæst. 4. Qua de causa Sacri Canones decernunt, ut Clerici tonsuram, & breviores capillos habeant?

Resp. Ejus rei ratio habetur in Canone, qui sic loquitur (*Can. Duo sunt*, 12. *q.* 1.): *Clerici habent coronam in capite ab institutione Ecclesiæ, in signum Regni, quod in Christo expectatur: rasio vero capitis est temporalium depositio.* Unde Glossa ibidem dicit, quod *Capilli qui remanent, designant, quod aliqua debemus retinere ad sustentationem.*

Quæst. 5. Beneficiati, aut in Ordinibus Sacris constituti, peccant-ne moraliter, cum non deferunt coronam & capillos breviores?

Resp. Peccare mortaliter videntur, si per tempus notabile sic incedant; id de capillis probari potest ex Canone, in quo ita statuitur (*Cap. Si quis, de vita & honestate Cleric.*): *Si quis ex Clericis coronam relaxaverit, anathema sit.* Quod satis indicat, Clericum, qui comam nutrit, mortaliter peccare: quia numquam excommunicatio fulminatur, nisi ob mortale peccatum, & comæ relaxatio in hoc & pluribus aliis Canonibus sub hac terribili pœna prohibetur.

Secundo, id probatur, quantum ad Coronam Ordini suscepto convenientem, ex Canone, *Prohibete*, superius relato, ex Capite, *Clerici*, De vita & honestate Clericorum, & variis aliis Canonibus eodem modo loquentibus de capillis, ac de Clericali corona, & eam sub eadem pœna ordinantibus.

Patet etiam ex Pontificali Romano (*p.* 1. *tit. de Clerico faciendo*), in quo Episcopus primam tonsuram daturus, sic loquitur: *Oremus Fratres Charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro amore ejus festinant.* Unde videretur actus irrisorius & indigno plane contemptu plenus, deponere comam & coronam sumere in suscipienda prima tonsura, deinde comam iterum nutrire, & coronam abjicere.

Neque suffragari aliquo modo potest contraria ulla consuetudo particularium personarum, vel locorum; quia hæc tamquam abusus & corruptela sæpius damnata est, & nullius roboris declarata.

Videri possunt, quæ hac de re dicta sunt tom. 5. tract. 8. de Sacramento Ordinis, c. 4.

Quæst. 6. Quæ sunt aliæ Clericorum & Beneficiatorum obligationes?

Resp. De Veste talari agemus capite sequenti; de vitando ludo egimus Tom. 2. Tr. 6. c. 4. multa de variis obligationibus collegimus Tom. 5. Tr. 8. c. 4. q. 4. & 7. de Parochis actum fuit Tom. 3. Tr. 1. c. 7. q. 12. & c. 6. q. 7. præterea Tr. 4. ejusdem Tomi 3. c. 9. q. 3. & in fine dicti Tomi 3. & Tom. 6. c. 4. Confessariorum obligationes habentur Tom. 4. de venatione a Clericis fugienda, multa diximus Tom. 7. Tract. 6. c. 3. q. 8. de ebrietatis occasionibus studiose vitandis Tom. 7. Tr. 7. c. 3. q. 13. de castitate sancte servanda Tom. 7. Tr. 7. c. 1. q. 13. & 14.

Sed cum in libro ab Eminentissimo Cardinali Vincentio Maria Ursino in lucem edito, sub hoc titulo: *Synodicum Sanctæ Beneventanensis Ecclesiæ, continens Concilia* 19. (*Concil. Provinc. Benevent. anno* 1699. *c.* 1. *tit.* 8.) invenerimus, varia de Clericorum obligationibus in uno Decreto collecta, illa hic referre non inutile duximus. *Presbyteri omnes & Clerici* memoria repetant verba S. Concilii Tridentini, scilicet: *Nihil esse quod alios magis ad pietatem Deique cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se Divino dicarunt ministerio*.

Clericali tonsura, prout cujusque Ordinis ratio postulat, insigniti, & talari veste semper incedant.

In vestimentis fugiant exquisitam cultus elegantiam, vel affectatam negligentiam & sorditiem.

Vestis interior & exterior utraque sit usque ad talos oblonga; sed in itinere contractiori uti possint, ita tamen ut ex ea Clerici esse dignoscantur.

In vestimentis novitatem ornamenti aut habitus vitent: serico domi & foris abstineant.

Annulum non induant, nisi ob gradum dignitatis, aut ob officii munus; & tunc cum eo non celebrent.

Chirothecas in Choro non habeant: spectaculorum nec actores, nec spectatores sint.

Non ludant quovis in loco aleis, pictis pagellis, globo missili, aliove ludi genere vetito, nec intersint ludentibus, sed parva pila palmari, & globis qui ligneis malleis impelluntur, exercitii causa, non lucri, private ludere aliquando permittitur.

Balista, hastis, scopleto, telis, aliisque hujus generis instrumentis, Clericis interdicimus.

Baculum in Ecclesia numquam deferant, nec per Civitatem, aut Oppidum, nisi causa ætatis, aut infirmitatis.

Notare, aut denudare membra in alieno conspectu, erubescant. Fugiant consortium exulum, contumacium banditorum, & homicidarum; nec hospitio, etiam affines, suscipiant.

Venaticum animal non alant, venationeque abstineant; cum

cum Beatus Hieronymus dicat: *Esau venator erat, quia peccator erat*. Vide Tom. 7. Tr. 6. c. 3. q. 8.

Arma cujuscumque generis non deferant, nisi ubi per loca periculosa transeundum est; & tunc de licentia Ordinarii; cum arma Clericorum sint orationes & lacrymæ, ut inquit Divus Hieronymus.

Si peregrinandum eis est, sine dimissoriis Ordinarii, etiam si beneficium simplex tantum habeant, abesse non liceat; & extraneis in Provincia, absque testimonio proprii Episcopi, nisi ad paucos dies, abesse non permittatur.

Nullus Presbyterorum, aut Clericorum, exceptis casibus a jure permissis, tunc vero de licentia Ordinarii, exerceat officium Procuratoris, Advocati, aut quomodolibet patrocinetur apud Judices laicos; nec pro aliis spondeat in foro sæculari.

Mercaturam ne exerceant, laicorum prædia ne conducant: in laicorum negotiis, excepto casu sedandæ discordiæ, non se immisceant: nec in emendis, vel vendendis rebus interpretes interveniant.

Mulieres, etiam nobiles, ne comitentur, nec illis officii causa ad mensam assistant.

Confessus laicorum otiosos, vaniloquia in plateis, circulationes in officinis & sedilibus: tabernas item, nisi in itinere causa necessitatis vitabunt.

Reorum suppliciis (excepto si ut eorum saluti adjutores) non adsint, nec ubi capitalis sententia legitur. Vide infra Tom. 7. Tract. 6. c. 3. q. 10.

Aliorum tutelam, aut curam, sine licentia Episcopi, ne suscipiant. Officio tabellionis non fungantur.

Arte medendi abstineant, & alteri, mercedis gratia, operas suas non locent; sed ut otium vitent, vel ut victum sibi quæritent, dummodo a Clericali munere non impediantur, manibus suis operari concedimus.

Si vero sint in famulatu Ecclesiasticarum personarum, turpia servitia, & quæ Clericalem dignitatem minus decent, ne exerceant.

Personati non incedant: vestes Clericales aliis non Clericis, ad fingendum se tales, non accommodent; qui vero Clericales, aut Monachales vestes assumpserit laicus, ut ad illorum formam se induat, graves pœnas, arbitrio Ordinarii, subeat: sicut qui in supradictis deliquerit, præter pœnas a sacris Canonibus irrogatas, etiam aliis, pro personarum ratione, & delicti contumacia, punietur.

Tandem sciant Clerici, per Clericalem Ordinem non licentiam peccandi, sed necessitatem bene vivendi, eos assecutos esse. Ita igitur vivant, ut exemplo cæteris bene vivendi esse possint, caveantque ne contra accidat, ut sint laqueus fidelium animabus. In incessu honestatem exhibeant, & gravitatem: nam gravitas itineris, maturitatem mentis ostendit, sicut incompositio corporis,

ris, diſſolutus riſus, huc illucque oculorum evagatio, mentis indicant inæqualitatem: teneantque menti, quod nugæ in ore Secerdotis ſunt ſacrilegium; ut ait D. Chryſoſt. Et ex S. Gregorio Papa (*Lib.* 7. *ep.* 14.), *Id plerumque, quod in laicis culpa non eſt, crimen eſt in ſacro Ordine conſtitutis*.

Monitum præterea ſaluberrimum Eccleſiaſticis ſubminiſtrat Eminentiſs. Cardinalis Vincentius Maria Urſinus, in Synodo Tuſculana, quam præſide Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Hydruntino Franciſco Maria de Aſte, Viſitatore Apoſtolico, convocavit (*anno* 1703. *c.* 10.) „ Id ſibi „ ſuadeant, *inquit*, ut omnino ab eorum mentibus eli„ minetur falſiſſima ac prava illa opinio, quo nonnulli „ infeliciter vinciuntur, ut ſibi putent curam animarum „ non habentes, ſola Miſſæ celebratione, ac Divini Of„ ficii recitatione, ſacerdotali miniſterio ſatisfeciſſe; cum „ potius meminiſſe debeant, ſe a Deo electos, ut ſint „ lux mundi & ſal terræ, ideoque doctrina lucere, ju„ ſtitiæ operibus, bonarumque virtutum exemplo, alio„ rum animas condire, & charitatis operibus eorum „ corda præſervare teneantur. Et ſic habitu, inceſſu, „ aut converſatione reliquis ædificationi eſſe curent; po„ tiſſimum in ſacrarum litterarum ſtudio aſſidui ſint, ut „ illud B. Petri Apoſtoli adimplentes: Parati *reſponde„ re omni quærenti vos*: ipſi in Domino magis abun„ dent, & cæteros valeant erudire “.

Præterea in eleganti Synodo Nolana (*tit.* 17. *c.* 6. *an.* 1588.) ſtatuitur, ut Clerici „ a venationibus, fabulis, „ comœdiis, haſtiludiis, choreis, amatoriis cantilenis, „ comeſſationibus, & ebrietatibus, a taxillorum, teſſera„ rum, pictarumque pagellarum luſu, publice, & privatim „ ita abſtineant, ut illorum non modo factores, ſed nec „ ſpectatores ſint: tabernas & hoſpitia nullo pacto in„ grediantur, niſi iter facientes: armis non utantur, „ præterquam in itinere, per loca ſuſpecta, & defenſi„ vis tantum, obtenta prius tamen a Nobis facultate “.

Et in Concilio Provinciali Ravennatenſi a Julio Feltrino de Ruvere Cardinali Urbinatenſi congregato (*de vita, & honeſt. Cler. c.* 5.), ſtatuitur, ut Clerici „ a ta„ xillis, teſſeris, pictarumque pagellarum luſu, & alio „ quocumque ludi genere a ſacris Canonibus improbato „ penitus abſtineant: nec ſicut etiam prohibitorum lu„ dorum ſpectatores, Choreas non ducant, aut ſpectent ... „ Ab omni prorſus ſuſpectarum mulierum familiaritate, „ converſatione, & cohabitatione Clerici abſtineant, ſub „ pœnis in Sacri Tridentini Concilii decreto comprehen„ ſis, atque aliis a Sacris Canonibus inflictis, vel Epi„ ſcoporum arbitrio infligendis; ita ſane ut mulieres o„ mnes pro ſuſpectis habeantur: illis tantum exceptis, „ quarum converſatio a jure permittitur; quas tamen abſ„ que ſpeciali Ordinarii licentia domi retinere non au„ deant “.

CAPUT IX.

De Veste Talari.

Quæst. I. BEneficiati, aut in facris Ordinibus conftituti, tenentur ne deferre veftem talarem?

Resp. Teneri illos, probari poteft primo ex Concilio Tridentino (*feff.* 14. *de refor. c.* 6.), in quo fic decernitur: „ Quia vero, etfi habitus non facit Monachum, „ oportet tamen Clericos veftes proprio congruentes Ordini femper deferre, ut per decentiam habitus extrinfeci, morum honeftatem intrinfecam oftendant; Propterea omnes Ecclefiafticæ perfonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in facris fuerint, aut Dignitates, Perfonatus Officia, aut Beneficia qualiacumque Ecclefiaftica obtinuerint, fi poftquam ab Epifcopo fuo etiam per Edictum publicum, moniti fuerint, honeftum habitum Clericalem, illorum Ordini & dignitati congruentem, & juxta ipfius Epifcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per fufpenfionem ab Ordinibus, ac Officio & Beneficio, de fructibus, reditibus, & proventibus ipforum Beneficiorum, necnon fi femel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum & Beneficiorum hujufmodi coerceri debent ".

Secundo, hæc veftium convenientium delatio fuadetur ex authoritate S. Bernardi, qui ait, Clericos hac de re correptos, folere dicere (*lib.* 3. *de confid. c.* 5.): *Num de veftibus cura eft Deo? & non magis de moribus?* Quibus mellifluus Doctor refpondet: *At forma hæc veftium, deformitatis mentium & morum indicium eft.*

Tertio, probatur ex Bulla, *Cum Sacrofanctam*, in qua Sixtus Papa V. fic loquitur (*in Bulla* 92. *quæ incipit*, *Cum Sacrofanctam*): „ Hac noftra perpetuo valitura Conftitutione præcipimus & mandamus omnibus & quibufcumque Clericis, non folum in facris, fed etiam in aliis minoribus Ordinibus conftitutis, & Clericali tantum tonfura infignitis; & nedum Beneficia Ecclefiaftica qualiacumque, etiam fimplicia, verum etiam penfiones ex quacumque conceffione percipientibus, ut ipfi & eorum quilibet, quantumvis exempti exiftant, & quovis privilegio vel immunitate gaudeant, tonfuram & habitum Clericalem, veftes fcilicet talares, affumant, & jugiter deferant. Qui autem non obediverint, præter alias pœnas contra eos inflictas, Ecclefiafticis Beneficiis privamus, ac fine ulla alia nominatione, citatione, judicis Decreto, aut minifterio, ipfo facto privatos declaramus ".

Denique id probatur Conftitutione Urbani Papæ VIII. pro Clericis, his verbis (*an.* 1624): *Omnes qui facris Ordinibus initiati funt, vel poffident Beneficia Ecclefiaftica, gerant veftes, five ut vocant, fubtanas, a collo*

ufque

usque ad talos demissas, & desuper præcinctas. Quod etiam sæpius a successoribus summis Pontificibus, & præsertim Innocentiis XI. & XII. ordinatum fuit, & vestes talares sub gravibus pœnis injunctæ.

Unde etiam in celebri Concilio Provinciali Neapolitano 1699. a Cardinali Cantelmo congregato (*tit.* 9. *cap.* 5. *num.* 5. *pag.* 113.), sic habetur ; „ Contra eos qui „ pedem in diversis ponentes, alterum in Divinis, alterum in carnalibus, exoticas vestes a Clericali instituto abhorrentes gestaverint, canonicis pœnis animadvertant Episcopi. An minores Clerici mandata Tridentini observent, diligenter inquirant ; & adversus non observantes, ex litteris mandato Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. novissime emanatis, servatis servandis, procedant ad declaratoriam, qua ex albo Clericorum expungantur, Beneficiis ecclesiasticis gaudentes, si talarem habitum, ad formam Constitutionis Sixti V. deferre neglexerint, pœnis in Concilio Tridentino atque eadem Constitutione statutis coerceant, præsertim privatione beneficiorum „.

Quæst. 2. Clerici, qui nondum sunt in Ordinibus sacris constituti, quique tenue tantum & modicum Beneficium possident, tenentur ne deferre vestem talarem, & capillos breviores?

Resp. Teneri videntur omnes omnino Beneficiarii, quicumque sint, nec prætexere posse tenuitatem reditus Beneficii. Præterea cum Tonsura sit dispositio quædam, & veluti Novitiatus ab Ecclesia ordinatus, ut illi, qui Ordines suscipere desiderant, ad vitam Ecclesiasticam disponantur, consequens videtur, tonsuratos ipsos debere vestem Ecclesiasticam gerere, saltem quamdiu servant illam intentionem, quam habere tenentur, cum tonsurantur, in statu Ecclesiastico perseverandi. Cum autem constet, eos qui qualecumque Beneficium possident, non solum habere hanc perseverandi intentionem, sed etiam revera perseverare in statu Ecclesiastico, concludendum est, eos teneri vestem talarem deferre.

Unde in celebri Synodo Auximana (*ann.* 1593. *de vita & honestate Cler. c.* 2.) Antonii Mariæ Cardinalis Galli sic decernitur: „ Clericorum habitus simplex sit, ac modestus, non sericus aut nimis exquisitus, nec etiam sordidus aut neglectus, cum in Clericorum vestitu tam exquisitæ deliciæ, quam affectatæ sordes sint vitandæ. Superiorem & interiorem vestem talarem nigri tantum coloris continue gestent, juxta Constitutionem Sixti V. „

Et in eleganti Synodo Nucerina (*ann.* 1680. *de vita Cleric.*) sic habetur: *Clerici vestes tam inferiorem quam superiorem ad talos usque demissas semper gestent .... vestes sericas aut serico ornatas non deferant*. Idem habetur in Synodo Perusina Cosmi Cardinalis de Torres, anno 1632. pag. 264. Et in Concilio Provinciali Gnesnensi, anno 1628. De vita Clericorum.

Pi-

Præterea in eleganti Synodo, quam Eminentiſſimus Fabritius Cardinalis Paulutius celebravit, dum Eccleſiæ Maceratenſi præerat (*ann.* 1687. *tit.* 1. *c.* 3.), ſic breviter decernitur; *Clerici veſtem induant ad talos uſque, nec breviorem, niſi forte peregre proficiſcantur: & hæc infra genu, nigri coloris, & ſine perulis anterioribus, vulgo* ſaccoccette. Et in Synodo Mazarienſi (*ann.* 1698. *lib.* 4. *c.* 1.) Cardinalis Joannis Dominici Spinola ſic ſtatuitur: *Omnes tam in ſacris, quam in minoribus Ordinibus conſtituti, habitum & clericalem tonſuram deferant: veſtis uſque ad talos demiſſa.*

Legimus in erudita Synodo Bituntina (*ann.* 1682. *par.* 2. *tit.* 1. §. 2.) ſimile Decretum, his gravibus verbis exaratum „: Inhærendo Conſtitutionibus, ſacris Conciliis, „ ac ſanctionibus Synodalibus per Prædeceſſores noſtros „ emanatis, mandamus, & expreſſe præcipimus omnibus „ Clericis, cujuſcumque ſtatus illi ſint, ſive in minoribus, ſive in ſacris conſtituti, ſive ſint beneficiati, etiam ſi ſint de aliena Diœceſi, & in noſtra commorentur; ut nemo eorum audeat abſque tonſura & habitu „ ſimplici, talari, nigri coloris incedere “. In Synodo Sutrina (*anno* 1671. *cap.* 8.) Julii Cardinalis Spinola: *Decernimus*, inquit, *ut omnes ſive clericali tonſura, ſive aliis ordinibus inſigniti, ex S. Concilii Tridentini, & Sacrorum Canonum præſcripto, habitum, hoc eſt veſtem talarem & tonſuram deferant.*

In Concilio Provinciali Senenſi, a Cardinali Franciſco Maria Taurugio, Sancti Philippi Nerii olim diſcipulo, & ſocio, congregato, & a S. Sede expreſſe confirmato, & approbato (*anno* 1550. *De vita & honeſt. Cler.*), ſic breviter ſtatuitur: *Clerici ſinguli præſertim ii, qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, inferiorem veſtem talarem perpetuo geſtent.* Id etiam ordinat Cardinalis Hieronymus Boncompagno in Synodo Bononienſi anno 1564. In Concilio Florentino (*Concil. Prov. Florent. anno* 1573. *De vita Cler. cap.* 2.) ſtatuitur, ut interiorem tunicam, & exteriorem veſtem ſimplicem, & talari longitudine, per urbes, & oppida ſemper geſtent.

In Synodo Senogallienſi (*anno* 1627. *De vita & mor. Cler.* §. 1.) Cardinalis Antonii Barberini habetur; *Utantur Clerici omnes, atque Sacerdotes veſtibus talaribus.*

Cardinalis Antonius Bichius in Synodo Auximana (*ann.* 1661. *c.* 22. §. 1.), ut Clerici *incedant jugiter veſte talari circumamicti, & ſolummodo brevioribus veſtibus utantur, tum iter faciunt; ita tamen, ut veſtes longitudine genua excedant, & a Clericali dignitate, atque honeſtate non diſcordent.*

Cardinalis Julius Roma ordinat (*Syn. Tiburt. anno* 1636. *t.* 19.), ut *veſtes ſint demiſſæ uſque ad talos.* Cardinalis Carolus Roſſetus (*Syn. Faventina, anno* 1647. *tit.* 4. *c.* 1.), *ut veſtes in Civitate, Terris, & Oppidis, ſint talares.* Cardinalis Jo. Baptiſta Lenius in Synodo Ferrarienſi

rienfi ann. 1612. *ut jam ſuperius pallium, quam veſtis inferior, ſit uſque ad talum demiſſa, neque brevius veſtium genus adhiberi poſſit, niſi cum longius iter ineundum eſt.*

Venerabilis Toribius Alphonſus a Mogrovejo, cujus reliquiæ ex Brevi Innocentii XI. Chriſtianorum venerationi Romæ expoſitæ ſunt, in Concilio Provinciali Limano (*ann.* 1580. *actione* 3. *c.* 16.) ſtatuit, ut *veſtes neque ſericæ ſint, neque breviores, ſed pro eccleſiaſticæ gravitate talares.*

Archiepiſcopus Florentinus, Jacobus Antonius, poſtea Cardinalis Morrigia, ita decernit in Synodo (*Syn. Florentin. ann.* 1691. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 3.): *Sacerdotes talarem veſtem ſemper gerant, in Civitate nedum, ſed etiam in Oppidis, & locis Diœceſis muris vallatis.*

Cardinalis Bonifacius Cajetanus, in Synodo Tarentina (*anno* 1613. *tit.* 18.); *Veſtes*, inquit, *uſque ad talos protendi jubemus.*

Cardinalis Hieronymus Simocellus, in Synodo Urbevetana (*anno* 1592. *De vita & honeſt. Cler.*), *Veſtes*, inquit, *ſint ejus longitudinis, ut uſque ad talos protrahantur, ſub pœna contenta in Conſtitutione Sixti V.*

Demum cum Decreta Synodi Oſtunenſis (*anno* 1694. *De vita & honeſt. Cler. c.* 11.), ſuper habitu præſertim talari fuiſſent in controverſiam revocata, & ab illa appellatum eſſet ad S. Congregationem Concilii; eadem S. Congregatio die 6. Julii 1697. *Cenſuit, ſervandum eſſe Decretum S. Congregationis in Horiana ſub die* 8. *Julii* 1690. *nempe Sacerdotes teneri ſemper incedere in habitu talari.*

Et Eminentiſſimus Gaſpar Cardinalis Carpegna, Vicarius generalis Summi Pontificis, juxta præceptum Innocentii Papæ XII. ſic in Edicto publico ſtatuit (30. *Marzo*, 1699.): *Inerendo* alla diſpoſizione de' Sagri Canoni, ed all'Orazioni altre volte pubblicate, tanto circa la decenza dell'abito, quanto circa la tonſura Eccleſiaſtica, con la quale i Sacerdoti, gli promoſſi agli Ordini ſagri, e li Chierici di prima tonſura, che godono benefizj Eccleſiaſtici, abbenchè ſemplici, o che ſervono nelle Chieſe, devono incedere, e molto maggiormente preſentarſi a gli Altari per celebrarvi, o farvi altre ſagre fonzioni, con la dovuta modeſtia ed edificazione. Primieramente col preſente Editto ſi rimuovano gli altri ſopra tal materia pubblicati, ed in ſpezie li 29. Giugno 1667. e li 10. Ottobre 1681. dalli ſommi Pontefici Clemente Nono, ed Innocenzio XI. di felice memoria, e da Noſtro Signore medeſimo li 30. Novembre 1691. e 1. Decembre 1669. ed a quelli riferendoſi, e reſpettivamente ampliandogli, ſi ordina, e comanda:

Che verun Sacerdote, o ordinato in ſacris, o Chierico come ſopra, debba andare per Roma, dalla levata del Sole fino a mezz'ora di notte, con abito, e veſte curta; ma ſia tenuto incedere con abito lungo ſino al collo del piede, detto volgarmente abito talare.

Vide-

Videmus etiam, Concilium Tridentinum, Constitutiones Sixti V. & Urbani VIII. variosque Conciliorum Canones obligare Beneficiarios qualescumque, sine ulla prorsus exceptione, ad talarem vestem ferendam. Et ita temerarium omnino esset, aliquam exceptionem seu restrictionem similibus Constitutionibus apponere in favorem illorum, qui modica Beneficia possident: maxime cum talis restrictio supradictis legibus omnino contraria sit. Neque enim ignorabant summi Pontifices & Patres in Conciliis congregati, magnum esse Beneficiorum modicorum numerum, & ita si illorum possessores a tali obligatione excipere voluissent, hanc eorum mentem aliquo tandem modo insinuare non omisissent. Sed id non solum non significarunt, quinimo sine prorsus exceptione locuti sunt, & Beneficia omnia & qualiacumque in suis Decretis incluserunt, nullo habito discrimine tenuitatis, aut pinguedinis.

In Concilio quidem Tridentino, qui *Beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint*, obligantur ad vestem Ecclesiasticam deferendam. In Bulla Sixti Quinti: *Beneficia Ecclesiastica qualiacumque, etiam simplicia, verum etiam pensiones ex quacumque concessione percipientes*. In Decreto Urbani Papæ Octavi: *Omnes qui possident Beneficia Ecclesiastica*, tenentur.

Præterea in Concilio Mediolanensi (1. *c. de Clericorum vestitu*) sic expresse sanctus Carolus loquitur: „ Moneant omnes & quoscumque, qui Officia Beneficiaque qualiacumque Ecclesiastica, etiam simplicia, obtinent, etiamsi studii causa absint, & in gymnasiis publicis, aut ubivis locorum sint, ut Clericalem habitum sumant Ordini suo ac dignitati congruentem ".

Et in Concilio Burdigalensi (*an.* 1585. *tit.* 25. *de vita, & moribus Cleric.*) sic habetur: „ Omnibus qui Beneficia Ecclesiastica, etiam simplicia, obtinent, præcipimus, ut tonsuram & habitum Clericalem Ordini suo atque Dignitati congruentem gerant, alioqui mulctentur privatione redituum Ecclesiasticorum illius anni ".

Sed hujus quæstionis resolutionem expressam habemus in Concilio Provinciali Beneventano, ab Eminentissimo Vincentio Maria Cardinali Ursino, illius Civitatis Archipræsule dignissimo, magno Ecclesiæ suæ, imo & universæ bono, congregato, anno 1693. & in lucem edito in Libro, cui titulus: *Synodicon Sanctæ Beneventanensis Ecclesiæ, continens Concilia* 19. &c. In illo igitur Concilio sic habetur (*tit.* 17. *c.* 7.): *Noverint Beneficiati omnes, quod nulla tenuitatis beneficii habita ratione, in habitu & tonsura decentibus incedere tenentur, prout in Melphitensi, Sacra Congregatio Concilii decrevit.*

Melphiten. Clericatus. Alias 13. Septembris 1673. in una Bituntina, S. Congregatio censuit, Clericos possessores beneficiorum tenuium, infra summam ducatorum sexaginta auri de Camera, teneri habitum & tonsuram

Cle-

Clericalem deferre, juxta Constitutionem Sixti V. 92. Et quia Clerici Melphictenses adhuc opponunt, quod talis constitutio revocata fuit ab alia ejusdem Pontificis, incipiente: *Pastoralis*, anno 1589. licet illa non videatur loqui de Beneficiatis, sed de his, qui pensiones, fructus, prædia, vel bona Ecclesiastica sibi reservata, concessa percipiunt &c. supplicat Episcopus, declarari: *An possessores dictorum Beneficiorum tenuium, ut supra, teneantur habitum & tonsuram Clericalem deferre, non obstante dicta Constitutione: Pastoralis, &c.* Die 18. Septembris 1677. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, respondit: *Affirmative*. F. Cardinalis Columna, Præfectus, Stephanus, Archiepiscopus Brancatius, Episcopus Viterbiensis, Secretarius. Adest sigillum Eminentissimi Cardinalis Columnæ, Præfecti.

Quapropter, prosequitur Concilium Beneventanum, *hujusmodi Beneficiati habitum & tonsuram decentes omnino deferent, alias in pœnas Constitutionis Sixti V. quæ incipit*: Cum Sacrosanctam, *anno* 1589. *editæ, incurrent*.

Videri possunt, quæ hac de re diximus Tom. 5. Tract. 8. De Sacramento Ordinis, cap. 4.

Quæst. 3. Clerici in sacris Ordinibus constituti, aut Beneficium qualecumque possidentes, peccant-ne, quando vestem talarem non deferunt?

Resp. Quæ superius dicta sunt, hujus quæstionis resolutioni sufficere possent: attamen non plane supervacaneum erit referre expressam sancti Caroli sententiam: „Cum ad populi Christiani, *inquit* (*in Synodo Mediol.* „*anno* 1566.), disciplinam & religionem conservandam, „sanctissimorum Patrum sententiis, & multorum Conci„liorum Decretis, tum Tridentino Concilio, perpetuo„que universæ Ecclesiæ usu & consuetudine illud observa„tum sit, ut, quæ graviora essent peccata, non a qui„busvis Sacerdotibus, sed ab Episcopis solum absolve„rentur; Nos propterea quorumdam gravium casuum „absolutionem nobis reservavimus, eosque una cum il„lis, quos Concilio nostro Provinciali nobis item reser„vavimus, hoc Decreto infra ordine quodam descriptos „explicari & promulgari voluimus &c. Qui Clerici, „quævis Ecclesiastica Beneficia obtinentes, habitum Cle„ricalem non induunt". Constat igitur ex sancti Caroli mente, illos qui non deferunt vestes talares, graviter & mortaliter peccare. Unde etiam in Concilio Arelatensi secundo prohibentur ipsi Clerici apostatæ habitum sæcularem deferre sub gravissima pœna (*Can. Hi qui post sanctam dist.* 10.): Clericus, *Quicumque ille sit, post pœnitentiam, habitum sæcularem accipere non præsumat; quod si præsumpserit, ab Ecclesia alienus habeatur.*

Quæst. 4. Licet-ne aliquando deferre vestem breviorem, quam subtanellam vocant?

Resp. Ex sancto Carolo (*Syn. Med. ann.* 1568.):

Cle-

„ Clericis iter habentibus, vestitu contractiori uti licebit ;
„ & decentem tamen illum, atque hujusmodi esse oportet, ex quo eos esse Ecclesiastici Ordinis homines agnosci facile possit. Cum vero eo venerint, quo pervenire contendunt, talarem togam induant ".

Unde primo concludere licet, solis iter agentibus concessum esse contractiori veste uti, propter difficultatem & molestiam itineris: minime vero licere talem vestem gerere aliis in locis, in Urbe scilicet seu quolibet loco residentiæ, nec propter levem aliquam deambulationem esse ferendam.

Secundo, inferendum est, non aliud debere esse discrimen inter contractiorem illam vestem, & talarem, quam ratione solius brevitatis, ita ut contractior uno circiter palmo brevior sit talari, & quasi ad mediam tibiam pertingat; in reliquo autem sit plane similis talari, eadem forma, eadem simplicitate confecta, simili panno, iisdem globulis, seu glandibus, vulgo bottoni. Gravis proinde abusus est, putare, loco subtanellæ, posse deferri sagulum, aut aliam sæcularis formæ vestem, quæ a terga aperta, manicas habeat ad pompam retortas, aliaque ornamenta sæcularibus vestibus propria, quæque deferri soleat a cujusque conditionis hominibus, nec demonstret ullo modo Ecclesiasticum hominem.

Observare tamen juvat, multos putasse, ne quidem olim licitum fuisse iter agentibus Clericis uti contractiori veste: nam in Synodo generali sexta (*Conc. Constantinop. 3. seu Syn. 6. refert. in Can. Nullus, 21. q. 4.*) sic habetur „: Nullus eorum qui connumerantur in Clero, vestimentum indecens habeat, sive in Civitate degens; sive in itinere ambulans: sed stolis utatur, quæ concessæ sunt Clericis: si vero quis tale quid fecerit, per unam hebdomadam suspendatur ". Unde sanctus Carolus hac videri potest usus indulgentia ad duritiam cordis, & ut sese Ecclesiasticorum suæ Diœcesis imbecillitati attemperaret. Et ita melius esset, talarem etiam in itinere, quantum fieri potest, gestare vestem, nisi forte necessitas aliud suaserit.

Quæst. 5. Licet-ne Sacerdotibus iter agentibus, Missam cum prædicta contractiori veste celebrare?

Resp. Id nullo modo licere potest, cum in Rubricis Missalis (*tit. de præparatione Sacerd. celebraturi*) expresse caveatur, ut *Sacerdos celebret indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat*. Et in Canone sic statuitur (*Can. Non liceat, dist. 23.*) „: Nec oportet, Clericos comam nutrire, & sic ministrare; sed attonso capite, auribus patentibus, & secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato ".

Unde in variis Conciliis Provincialibus expresse cavetur, ne quis cum breviori veste celebret: & in Synodo Amalphitana (*anno* 1635.) decernitur, ut *Clerici omnes*, ac

ac Sacerdotes, præcipue in Missarum celebratione, vestibus talaribus utuntur.

In Synodo Florentina (*anno* 1645.): *Præcipimus omnibus Sacristis & Rectoribus &c. ne imposterum audeant admittere ullum Sacerdotem ad celebrandam Missam, qui non sit in habitu talari.*

Synodus etiam Andegavensis (*anno* 1654.) prohibet, *Ne Rectores patiantur, Clericos gestare superpelliceum super sagulos, aut breviores vestes, quas subtanellas vocant.*

Demum in eleganti & accurata Synodo novissime ab Eminentissimo Cardinali Nigrono celebrata (*Syn. Favent. anno* 1694.), dum esset Faventinus Episcopus, sic habetur: *Vestes in Civitate, & præsertim in celebratione Missæ, & aliis sacris functionibus, talares esse debent.*

Quæst. 6. Deberent-ne Clerici lugubres vestes deferre ob mortem parentum?

Resp. Juxta Concilium Mediolanense quintum, talibus vestibus indui non deberent Clerici: „ Clericus, „ *inquit sanctus Carolus (tit. Quæ ad Clericorum honestatem pertinent)*, qui amictu Clericali indutus „ incedit, ne in propinquorum, ne parentum quidem „ obitu, vestes lugubres, more Laicorum, induat gestet- „ que. Neque vero vestis formam, aut panni genus, „ quo Clerum universum uti moris est, commutet; sed „ pium erga propinquos mortuos charitatis studium offi- „ ciumque præseferat omni alia ratione, quæ cum Cle- „ ricalis Ordinis decore dignitateque omnino conveniat".

Optandum esset, ut omnes Clerici piam hanc Constitutionem, quam sanctus Carolus in sua Provincia observandam curavit, in praxi sequerentur; cum de Clericis præcipue dici debeat (*Ad Colos. c.* 3.): *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*; & ita non debent sæculi mores, vanumque luctum imitari, dicente Apostolo (*Ad Rom. c.* 12. *v.* 2.); *Nolite conformari huic sæculo*; quod certe præcipue ad Clericos pertinet, qui in omnibus significare deberent aperte, se nec placita, nec usus, nec mores sæculi amplecti velle.

Hic autem usus sub gravibus pœnis in Concilio Toletano (*anno* 1743. *c.* 8.) prohibetur his verbis valde notandis: „ Absurdum & reprehensibilem quorumdam Cle- „ ricorum abusum, qui lugubres & luctuosas vestes in- „ duunt, & flebiliores, quam suæ congruit honestati, „ ex eo se reddunt, quia parentes consanguineique eo- „ rum & amici corruptibilem carnis nostræ molem de- „ ponentes, ad æternam patriam de præsentis exilii mi- „ seria convolarunt, penitus abolere volentes; cum & „ secundum sententiam ore benedicto prolatam, *Qui* „ *credit in Christum, etiam si mortuus fuerit, vivet*: præsentis Constitutionis serie, sacro appro- „ bante Concilio, statuimus, ut ulterius luctuosas „ vestes induere Clerici in sacris constituti vel Benefi-

„ ciati

„ ciati nostræ Provinciæ, non audeant: contrarium vero „ facientes, eo ipso a perceptione fructuum suorum Beneficiorum per tres menses qualibet vice sint suspensi ".

Unde etiam in præclaro Edicto de Vita & honestate Clericorum a Carolo Bascapè Episcopo Novariensi, Sancti Caroli olim amico, vulgari lingua publicato, sic habetur; *Clerici vestes lugubres, ob cujuscumque mortem, non induant*.

CAPUT X.

De Horis Canonicis, seu Officio Divino.

Quæst. 1. QUID est Officium Divinum?

Resp. Est Oratio vocalis & publica, constans ex selectis verbis sacræ Scripturæ, Homiliis Patrum, & vita Sanctorum; instituta ab Ecclesia, ut certis fiat horis diurnis & nocturnis, nomine Ecclesiæ, ab his qui ad id sunt specialiter deputati: ut Deo debitus reddatur honor, ipsique gratiæ agantur pro assiduis in nos Beneficiis, & ad implorandam continuam ejus opem ac misericordiam.

Ut hæc definitio, seu descriptio, melius intelligatur, observandum est, Orationes esse duplicis generis; aliæ namque publicæ, aliæ vero privatæ dicuntur. Privatæ sunt, quæ a singulis fidelibus propria voluntate fiunt, cum mente vel etiam ore fundunt preces ex privata cujuscumque devotione provenientes: Oratio autem publica ea est, quæ fit pro tota Ecclesia, & ipsius nomine, ab aliquo Ecclesiæ Ministro, & verbis ab ea peculiariter institutis. Unde sive privatim, sive publice Minister Ecclesiæ Officium Divinum recitat, ejus oratio est semper publica, quia ab Ecclesia fuit instituta, & ejus nomine fit. E contra vero, licet Laicus recitet horas Canonicas ex privata devotione, ejus oratio non est publica, sed privata, licet etiam eam in Ecclesia persolvat, & in aliorum consortio; quia scilicet non recitat nomine Ecclesiæ, cujus non est minister.

Quæst. 2. Recitatio divini Officii est-ne antiqua in Ecclesia?

Resp. Quamvis Officium divinum non semper fuerit ordinatum eo modo, quo nunc est; attamen ex omnibus sacræ Traditionis argumentis patet, statim initio nascentis Ecclesiæ instituisse Apostolos, ut certis diei & noctis horis recitarentur preces excerptæ ex Sacra Scriptura, & præsertim ex Psalmis Davidicis. Nam in Constitutionibus Apostolicis, sancto Clementi tributis, legimus (*l.* 8. *epist. ad Tertull. de Jejun. c.* 10.): *Precationes facite mane, tertia, sexta, nona, vespere, atque ad Galli cantum*: & apud Tertullianum: *Tamen istas tres horas, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant: ita & solemniores fuisse in orationibus divinis.*

Et

Et paulo inferius (*Ibid. c. 11.*): *Horarum insigniorum, exinde Apostolicarum, tertiæ, sextæ, nonæ.*

Sanctus Cyprianus, postquam observavit, tres istas horas in antiquo Testamento statutis piorum Israelitarum precibus fuisse consecratas; *Sed nobis*, inquit (*Oratione Dominica.*), *præter horas antiquitus observatas orandi, nunc & spatia & Sacramenta creverunt*. Sanctus Epiphanius Officii quoque divini mentionem facit, dum sic loquitur (*in expositione fidei Catech. c. 23.*); *Matutinæ laudes in Ecclesia Catholica, matutinæque preces assidue celebrantur, lucernales item Psalmi & orationes.* Apud sanctum Hieronymum (*ep. ad Eustoch. de Custodia Virginitatis*): *Quamquam Apostolus*, inquit, *semper orare nos jubeat, & Sanctis etiam ipse somnus oratio sit: tamen diversas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.* Demum sanctus Augustinus docet (*Ep. 119. ad Januarium c. 18.*), quod *De Hymnis & Psalmis canendis, ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta & præcepta.*

Quæst. 3. Clerici tenebantur-ne primis Ecclesiæ temporibus recitare divinum Officium?

Resp. Cum omnes Clerici in ipsa ordinatione, alicujus Ecclesiæ servitio addicerentur, & præcipuum eorum munus in oratione consisteret, inde facile infertur, Clericos omnes adstrictos fuisse ad horarum canonicarum recitationem: quæ etiam recitatio primis illis temporibus frequens erat inter Laicos, quorum magna pars frequenter saltem Ecclesiis intererat, dum officium tam nocturnum quam diurnum persolveretur. Nam & apud sanctum Basilium legimus (*Epist. 63.*): *De nocte populus consurgens, domum precationis petit*. Et in Vita sancti Joannis Chrysostomi habetur, quod sanctus ille Episcopus ardenti zelo plenus, dum videret plures Christianos Constantinopoli a priorum temporum assiduitate in aliquam negligentiam hac in parte decidisse (*Palladium in vita S. Chrys. c. 6.*): *Fideles quoque Laicos exhortabatur, vigiliis nocturnis in Ecclesia insistere: uxores autem horum domi manere, interdiu orantes, ideo quod viris die otium non esset. Hæc omnia quosque negligentiores de Clero contristabant, totis noctibus dormire consuetos.*

Demum in Concilio Carthaginensi 4. (*Can. 49.*) decernitur, ut *Clericus, qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendiis privetur.*

Quæst. 4. Recitabatur ne olim Officium divinum privatim ab iis Clericis, qui publicis Ecclesiæ precibus non interfuerant?

Resp. In libro Constitutionum Apostolicarum sancto Clementi tributo, & qui saltem authorem antiquissimum habet, sic legitur (*L. 8. c. 13.*): *Si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis Episco-*

pos in domo aliqua; quod si neque in domo, neque in Ecclesia congregari potuerint, psallat sibi unusquisque, legat, oret, vel duo simul, aut tres? Ubi enim fuerint, *inquit Dominus*, duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Videmus etiam in sancti Chrysostomi vita, Episcopos illos, qui illius eximii Doctoris condemnationi consentire nullo modo voluere, exclusos fuisse ab Ecclesiis, & vigiliam Paschæ divinaque officia propriis in domibus celebrasse: & cum deinde carceri mancipati fuissent, idem in carceribus peregerunt: *Reversi Episcopi*, inquit Palladius (*c.* 9. & 10.), *vigilias intra sua diversoria celebrarunt, carceres in Ecclesiæ faciem transire; Hymnus & oblationes Mysteriorum in carceribus agebantur.*

Ex quibus patet, rem non fuisse novam aut insitatam Episcopis, cæterisque Clericis, divina officia privatim celebrare, cum hi sancti Præsules se ab eo munere immunes non esse judicaverint, dum in carceribus detinebantur: Unde etiam sanctus Basilius in Regula sic loquitur (*Reg. c.* 10.); *Si enim corporaliter adesse cum cæteris non occurrat ad orationis locum, in quacumque loco inventus fuerit, quod devotionis est expleat.* Et sanctus Gregorius Nyssenus, de quodam itinere suo loquens: *Vehiculum*, inquit, *nobis pro Ecclesia & Monasterio erat, omnibus per totam viam simul psallentibus & jejunantibus.*

Quæst. 5. Quare Ecclesia distribuit divinum Officium in varias diei horas?

Resp. Plures occurrunt rationes: primo ad renovandum sæpius sacrificium labiorum nostrorum; quo nosmetipsos, omne quod possumus, quod habemus, & quod sumus, offerre Deo debemus. Secundo, ut mysteria nostræ salutis, a Domino nostro variis horis operata, frequentius memoria repetamus. Tertio, ut facilius orationis spiritum, omnibus quidem Christianis, sed præcipue Clericis necessarium, in nobis ipsis excitemus, foveamusque.

Quamvis autem ipse Dominus dixerit (*Lucæ c.* 18.): *Oportet semper orare, & non deficere:* & Divus Paulus (1. *ad Thes. c.* 5. *v.* 7.) *Sine intermissione orate*, non ideo hæc verba ita intelligenda sunt, ut teneamur jugi orationi incessanter vacare; verum huic præcepto satisfacimus, juxta sanctum Augustinum, continuo cordis desiderio & propensione (*Ep.* 121. *ad Probam*): „In ipsa ergo fide, *inquit*, & spe, & charitate, con„tinuato desiderio semper oramus; sed ideo per certa in„tervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus „Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, & „acrius excitemus .... Ideo ab alia curis, quibus ipsum „desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad nego„tium orandi mentem revocamus, verbis orationis non „ipsos admonentes, in id quod desideramus intendere,

„ne

„ ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur “.

Ideo hæc variarum horarum divisio semper utilis visa est: *Sic enim fit*, inquit sanctus Leo (4. *de jejun. septimi mensis*, *cap.* 4.), *ut anima, quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, ex intervallo saltem ad divina respiret*.

Eodem prorsus modo sanctus Isidorus (*Hispalensis*, *Originum*, *l.* 5. *c.* 19.): „ Dictum est, *inquit*, Sine intermissione orate; sed hoc in singularibus; nam est observatio quarumdam horarum communium, quæ diei inter spatia signant; Tertia, Sexta, Nona: similiter & noctis. Sed ideo orandi hæ horæ divisæ sunt, ut si forte fuerimus aliquo opere detenti, ipsum ad Officium tempus admoneat .... exceptis utique & aliis legitimis orationibus, quæ sine ulla admonitione debentur in ingressu lucis ac noctis, sive vigiliarum.

Deinde celebris Noviodunensis Episcopus, sanctus Eligius (*Com. l.* 12.): *Cui dicendum est*, inquit, *Oportet* semper orare, & non deficere, *nisi ei qui Canonicis horis quotidie, juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit?*

Quæst. 6. Quas horas divino Officio recitando destinavit Ecclesia?

Resp. Licet Ecclesia divino Spiritu semper gubernata, filiis suis certas in omnibus sæculis destinaverit horas, quibus orationes Deo illius nomine funderent, seu inter privatos parietes, seu publice in Ecclesiis, dum id fieri potuit; attamen illarum horarum numerus non semper idem & æqualis fuit.

Sanctus Cyprianus sub finem excellentis tractatus, quem de Oratione Dominica composuit, sic loquitur (*in fine*): „ In orationibus vero celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros, in fide fortes, & in captivitate victores, horam tertiam, sextam, & nonam; sacramento scilicet Trinitatis, quæ novissimis temporibus manifestari debebat .... quæ horarum spatia jampridem spiritualiter determinantes adoratores Dei, statutis & legitimis ad precem temporibus servabant. Et manifesta postmodum res est Sacramentum olim fuisse, quod ante sic justi precabantur: nam super Discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam Dominicæ Passionis implevit: item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens, signo pariter, & voce Dei monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit; & ut redimere, & vivificare nos posset, tunc victoriam sua passione perfecit. Sed nobis, Fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas orandi, nunc & spatia, „ & Sa-

„ & Sacramenta creverunt; nam & mane orandum est, „ ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, „ quod olim Spiritus sanctus designabat in Psalmis, di- „ cens: *Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te ora- „ bo Domine mane, & exaudies vocem meam: mane as- „ sistam tibi, & contemplabor te.* Et iterum per Pro- „ phetam loquitur Dominus: *Diluculo vigilabant ad „ me dicentes: Eamus, & revertamur ad Dominum „ Deum nostrum.* Recedente item sole, ac die cessante, „ necessario rursum orandum est: nam quia Christus sol „ verus, dies verus est, sole ac die sæculi recedente, „ quando oramus, & petimus, ut super nos lux denuo „ veniat, Christi precamur adventum lucis æternæ gra- „ tiam præbiturum “.

Quare, juxta Sanctum Cyprianum, sex variæ horæ precationi erant destinatæ, scilicet hora matutina, tertia, sexta, nona, hora demum vespertina, & ea, quæ media nocte fiebat. Eædem horæ ad orandum præscriptæ reperiuntur in libro Constitutionum Apostolicarum (*Lib.* 8. *c.* 34.), his verbis: *Preces vestras facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere, & in Galli cantu.*

Sanctus Benedictus, qui regulam quinto sæculo composuit, divinum Officium in octo partes distribuit, quo fere modo etiam hodie divisum est; ab eo enim tempore vix ulla facta est mutatio in Ecclesia Latina circa numerum partium divini Officii. Sic autem loquitur Sanctus Patriarcha (*Regulæ c.* 16.): *Ait Propheta:* Septies in die laudem dixi tibi; *qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus; quia de diurnis horis dixit:* Septies in die laudem dixi tibi. *Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait:* Media nocte surgebam ad confitendum tibi.

Horarum matutinarum nomine intelligebantur tunc, quas hodie laudes vocamus, quæque olim sæpius *Matutinum*, aut *Laudes Matutinæ* dicebantur, quia ineunte die, seu prima luce persolvebantur. Officium vero nocturnum, quod nunc preces matutinas vocamus, dicebatur olim *Vigiliæ nocturnæ*, quia ut plurimum fideles totam illam noctem, quæ festum solemne præcedebat, in Ecclesiis transigebant, ut divino Officio interessent. Inde etiam dictæ sunt vigiliæ. In majoribus autem celebritatibus Officium in tres distinctas horas divisum fuit, quarum prima tribus circiter horis mediam noctem præcedebat, secunda in ipsa media nocte dicebatur, tertia demum tribus post horis succedebat; hincque orta est trium nocturnorum divisio, quæ hodie frequentior est; sed continuo, & sine ulla interruptione celebrantur.

Quæst. 7. Quinam tenentur divinum Officium recitare?

Resp. Dicendum, inquit S. Thomas (*opusc.* 65. *c.* 2.), *quod ad has septem horas tenentur Sacerdotes, & alii*

Cle-

Clerici constituti in Sacris Ordinibus, sive habeant Beneficium, sive non; & omnes illi, qui percipiunt Ecclesiastica stipendia, in quocumque Ordine sint.

Et Leo Papa X. sic decernit (*Bulla 7. quæ incipit: Supernæ dispositionis*): „ Statuimus quoque, & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis Officii, sed eos, tamquam injuste perceptos, in fabrica hujusmodi Beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipso privetur, cum propter Officium detur Beneficium. Intelligatur autem Officium omittere, quoad hoc ut Beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit: Deo tamen, ultra præmissa, de dicta omissione redditurus rationem ".

Deinde Sanctus Pius Papa V. in Constitutione sua decrevit his verbis (*Bulla 133. quæ incipit: Ex proxima*): „ Statuimus, ut, qui horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero matutinum tantum, dimidium: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat: tametsi aliquis Choro addictus, non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit ".

Observandum autem est id, quod habetur in accurata Synodo Auximana Antonii Maria Cardinalis Galli his verbis (*anno 1593. de Horis Canonicis, c. 4.*): „ Clerici minorum Ordinum, si Ecclesiasticum obtineant beneficium, quamvis tenue sit, nullumque habeat annexum onus, tenentur, ex dispositione Concilii Lateranensis, post sex menses a die obtenti beneficii, Divinum Officium recitare; qui terminus sex mensium cum fuerit assignatus, ut Clerici possint interim addiscere modum ordinandi Officium; si aliquis prius sciret, horarias preces recitare teneretur, etiam ante lapsum sex mensium ".

Quæst. 8. Qui Beneficium possidet, cujus tenues reditus ad honeste vivendum non sufficiunt, tenetur-ne Officium recitare?

Resp. Omnino teneri videtur, ut satis patet ex authoritatibus mox relatis: generales enim sunt, nec modica Beneficia unquam excipiunt. Cum autem Pontifices, Concilia, & sancti Doctores generaliter, & sine ulla prorsus exceptione loquantur, temerarium certe foret, eorum Decreta restringere, præsertim cum nemo dubitare possit, quin novissent summi Pontifices, & Patres in Conciliis congregati, multa esse tenuia Beneficia; & ita si eorum

possessores a recitatione officii liberare voluissent, id aliquo modo expressissent. Cum igitur hanc exceptionem nunquam apposuerint, neque nos apponere possumus sine temeritatis nota; maxime cum videamus plura Concilia novissima, quæ tali restrictioni adversantur.

In Concilio enim Rhemensi (*anno* 1583. *tit. de Breviario n.* 1.) sic habetur: „ Quisquis Beneficium aliquod „ Ecclesiasticum adeptus est, sive cum cura, sive sine „ cura, sciat se ad preces quotidianas, quæ Breviario „ continentur, recitandas obligari: quas si omiserit, legitimo cessante impedimento, fructus Beneficii pro rata parte omissionis amittat, & si eos receperit, restitutioni se sciat obnoxium “.

In Concilio Burdigalensi (*anno* 1583. *tit.* 3. *de Ecclesiasticis precationibus*) ad Officium divinum *Ii omnes ipso jure obligantur, quicumque Beneficiis Ecclesiasticis potiuntur*.

In Concilio Toletano (*anno* 1590. *c.* 4. *de Presbyt. & Cleric.*) ita statuitur: „ Quicumque aut curatum, aut „ quodvis aliud Ecclesiasticum Beneficium obtinens, divinum Officium non dixerit, ejus fructus non capiat, „ perceptosque aut Ecclesiæ extructionibus, aut pauperum „ eleemosynis impendat “.

Videmus etiam, sanctum Antoninum omnes expresse Beneficiatos, etiam tenues, putasse obligatos ad recitationem Officii his verbis (*p.* 3. *tit.* 13. *c.* 4.): „ Tenentur „ ex præcepto ad Horas Canonicas quilibet Clerici Beneficiati, etiam non existentes in sacris; nec excusare „ se possunt ratione exiguitatis Beneficii, si ex eo non „ percipiant sibi necessaria; sed imputent sibi, ex quo se „ fecerunt ad illud intitulari “.

Demum hæc est expressa sententia Glossæ his verbis (*in Can. Clerici, dist.* 9. *verb. Vigilis*): „ Sicut vir „ tenetur ministrare necessaria uxori, quæ tamen est talis, quod ei debitum reddere non valet; ita Clericus, „ qui non percipiet necessaria ab Ecclesia, tenetur officiare in Ecclesia, licet pauper sit, & dicere cum A„ postolo; *Scio & abundare & esurire* “.

Quæst. 9. Qui gaudent aliqua pensione super quocumque Beneficio constituta, tenentur-ne ad divini Officii recitationem?

Resp. Sanctus Pius V. in Bulla mox citata ita statuit (*in Bulla* 135.): *Quicumque pensionum fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus, percipit, eum, modo prædicto, ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium*.

Quæst. 10. Attentio est-ne necessaria in recitatione divini Officii? Et satisfacit-ne præcepto, qui voluntarie distractus est per aliquod notabile tempus?

Resp. Attentio interior ita necessaria videtur, ut is, qui voluntarie distractus esset per aliquod notabile tempus,

pus, mortaliter peccaret, & obligationi recitandi Officii minime satisfaceret.

„ Attentio, *inquit S. Thomas* (*in* 4. *sent. dist.* 15. *q.* „ 4. *art.* 2. *ad* 4.), requiritur ad orationem aliquo mo- „ do: vel ad evitandam transgressionem, quæ est in illa „ oratione, quæ est in præcepto: vel ad meritum in il- „ la, quæ non est in præcepto. Hugo de sancto Victore „ dicit: *Si cum orationem fundimus, aliud quodlibet* „ *in corde versamus, etsi illud bonum sit, a culpa li-* „ *beri non sumus:* Dicendum, quod verbum Hugonis „ intelligendum est, quando aliquis ex proposito men- „ tem ad alia distrahit in orando; tunc enim sine cul- „ pa non est, & præcipue si in aliis sponte se occupat, „ quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera: & „ si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis „ erit. Si autem sine hoc, quod percipiamus, mens ad „ alia evagetur, vel culpa caret, vel parvissima culpa „ est; nisi præcedens cogitatio, ex qua contingit evaga- „ tio, in culpa esse dicatur ".

Id etiam probari potest ex Canone, in quo Sanctus Hieronymus verba sancti Pauli ad Ephesios (*Can. Cantantes, dist.* 92.): *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*, exponens: *Audiant ii*, inquit, *quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum.*

Unde in Concilio Trevirensi (2. *anno* 1549. *Can.* 6. „ *de Horis Canonicis*) sic statuitur: „ Omnes qui Ho- „ ris Canonicis persolvendis deputati sunt, dent operam, „ ut collectis animis, quoad fieri potest, debitum pen- „ sum absolvant; nec ita se habeant, ut, dum voce „ psallunt, quidvis potius, quam Deum, animo cogitare „ videantur: semper caventes, ne Propheticum illud au- „ diant: *Labiis quidem me honorant, cor autem eorum* „ *longe est a me.* Quid autem est voce quidem psalle- „ re, mente autem domum, aut forum circuire, nisi „ homines fallere, & Deum irridere? Grave admodum „ est, quod Scriptura dicit: *Maledictus qui facit opus* „ *Dei negligenter.* Versiculum animo volvant: *Non cla-* „ *mans, sed amans cantat in aure Dei*; audit enim il- „ le vocem cordis, sine qua sonos auris contemnit .... „ Articulate, distincte, diserte, & cum attentione, in- „ tegre omnia pronuncient .... Districtius prohibemus, „ ne deambulando Horas dicant, sed in locum aliquem „ orationi aptum tantisper concedant, ne mentis evaga- „ tio, quæ tumultuaria deambulatione nasci solet, fru- „ ctum orationis intercipiat.

„ Si lingua quidem proferat verba, *inquit Sanctus* „ *Joannes Chrysostomus* (*homil.* 30. *in c.* 11. *Gen.*), „ mens autem foris sit, sua tractans negotia, & imagi- „ nans, quæ in foro agantur, nulla nobis utilitas est, „ fortassis autem & major condemnatio. Enim vero, si „ cum homines accedimus, tanto studio nostri curam

„ agimus, ut prope ſtantes ſæpenumero non videamus, „ ſed colligimus mentem, & aditum ſolum ſpectamus, „ quem accedimus; quanto magis apud Deum idem facere continuo, & jugiter precibus inſiſtere congruit? „ Propter hoc & Paulus ſcribens dicebat: *Orantes in omni tempore, orate & in ſpiritu, non lingua tantum, & cum perpetua*, inquit, *vigilantia, ſed & in ſpiritu; ſpirituales enim*, inquit, *ſint veſtræ petitiones, ſobria ſit ratio, & iis, quæ dicuntur, mens intendat.*"

„ Divinum auxilium eſt implorandum, *ut monet S. Baſilius* (*in ſerm. de Inſtit. ad vitam perfectam & de orando Deum*), non remiſſe, nec mente huc vel „ illuc evagante; eo quod talis non ſolum non impetrabit, quod petit, ſed etiam magis Deum irritabit".

In eodem plane ſenſu loquitur Venerabilis Beda, dum dicit (*ſuper Marc. c. 15.*): *Ore quidem orantes, ſed mente foris vagante, omni ſe orationis fructu privant.*

Demum celeberrimus Collationum ſpiritualium author Caſſianus (*collat. 23. c. 7.*): Non ſolum, *inquit*, levi „ peccato, ſed etiam graviſſimo crimine impietatis adſtringitur, qui precem Domino fundens, ſubito a conſpectu „ ejus, quaſi ab oculis non videntis, nec audientis, cogitationis improbæ vanitatem ſecutus abſceſſerit".

Quæſt. II. Nonne dici poſſet, Canones mox relatos, ut & ſanctos Patres, neceſſitatem attentionis in divino Officio demonſtrantes, conſilium potius, quam præceptum indicare?

Reſp. Id certe dici recte non poteſt, imo qui ſine mentis præjudicio Canones hac de re loquentes, ut & ſanctos Patres legere ſatagent, facile videbunt, de præcepto agi, & non ſolum de conſilio, dum qui ad Officium recitandum obligantur, graviter monentur, magis corde, quam ore cantandum eſſe.

Sed ut illi, qui hac in quæſtione aliquo modo fluctuare poſſent, convinci omnino valeant, ſatis erit afferre Decretum Concilii generalis Lateranenſis, cui Innocentius Papa III. præſidebat: quod etiam Decretum in Decretalibus a Gregorio IX. collectis inſertum fuit: *Diſtricte præcipimus*, inquit ſummus Pontifex ſacro approbante Concilio (*Cap. Dolentes, de celebrat. Miſſar.*), *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebrent pariter, & devote.* Id eſt, ut ait Gloſſa, *ſtudioſe, quantum ad Officium oris: & devote, quantum ad Officium cordis.*

Et Innocentius Papa IV. explicans idem Decretum: *Ad Eccleſiaſtica Officia eundum eſt*, inquit (*in cap. Dolentes, de celebr. Miſſar.*), *in honeſto habitu, & cum devotione ibi ſtandum: & Deo plus corde, quam voce pſallendum.*

Noſtra etiam opinio expreſſa Doctoris Angelici authoritate probari poteſt: *Dicendum*, inquit S. Doctor (*2. 2. q. 83. art. 3. ad 3.*), *quod ſi quis ex propoſito in oratione*

mente evagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum. Et *contra hoc Augustinus dicit in Regula :* Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore : *Evagatio vero mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit.*

Unde etiam Sanctus Antoninus, loquens de modo interrogandi Clericos in tribunali pœnitentiæ : *Si*, inquit (*in Confessionali 3. p. Interrogatorii, c. 11. de Cleric. in comm.*), *dicendo Horas, aliis exercitiis se occupavit manualibus, ut faciendo coquinam, & hujusmodi ; videtur mortale, quia non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Et si mente circa alia vagatur voluntarie, non curans, & fit quasi per totum Officium ; videtur mortale. Secus si proponit velle attendere, & distrahitur : scilicet, cum advertit, displicet ei.*

Quare licet idem S. Antoninus aliter in Summa videatur sentire ; hanc tamen ultimam, veramque illius esse opinionem, jure merito credere possumus ; eo magis, quod rectæ rationi, & Sacris Canonibus, in quibus versatissimus erat, conformior est.

Ratio vero necessitatis hujus attentionis in divini Officii recitatione, manifeste patet ex ipsa orationis natura : cum *Oratio*, ut docet S. Augustinus (*L. de verb. Domini*), *sit pius mentis affectus directus in Deum*, quo scilicet Deum colimus, & ab eo, quæ nobis necessaria sunt, petimus : non enim in animum inducere possumus, nos Deo placere posse sola corporis exteriori compositione, aut vocum prolatione, nisi animus dictis attendat, & cor in Deum fixum sit. Unde numquam vera dici potest oratio, sed potius exterior quædam fictio, quoties quis aliis rebus vult attendere, dum orat.

Quid enim diceret terrenus Princeps, si subditi cor, & affectum a se prorsus alienum videre posset, dum verbis tamen valde humilibus, & demissis, eum tamquam dominum supplex orat ? nisi cor ejus cum verbis minime congruere, neque se propter talia verba, licet reverentia apparenti prolata, ullam ei gratiam habere posse. Nonne potiori sine dubio jure improperabit Clericis Deus, qui ipsi toties sine ulla attentione preces publicas nomine totius Ecclesiæ obtulerint ; nonne illis potissimum dicet (*Matth. 15.*) ; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ?*

Dici certe potest, Ecclesiasticos viros eo magis in hoc peccare, quod dubitare non possint, quin Deus optime norit, cor eorum a se alienum esse ; & ita videntur aliquo modo Dei majestatem irreverenter irridere, dum Officium cum voluntaria, & deliberata distractione recitant : quemadmodum aulicus Principem suum spernere censeretur, si post humanissima, & humilissima verba, animi sui, cordisque alienationem eidem Principi manifestaret.

Hinc est, quod Sanctus Cyprianus relatus in Canone,

sic loquitur (*Can. Quando autem, de consec. dist.* 1.): „ Quando autem stamus ad orationem, Fratres dilectissimi, invigilare, & incumbere ad preces toto corde „ debemus; cogitatio omnis carnalis, & sæcularis abscedat; nec quidquam tunc animus aliud, quam id „ solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante „ orationem, præfatione præmissa, præparat Fratrum „ mentes, dicendo *Sursum corda*; ut dum respondet „ plebs; *Habemus ad Dominum*, admoneatur, nihil se „ aliquid, quam Dominum, cogitari debere. Claudatur „ contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad „ se hostem Dei tempore orationis venire patiatur “.

Unde etiam P. Joannes Polancus, celebris Jesuita, qui Romæ breve edidit Directorium Confessariorum, interrogandum esse monet Clericum (*anno* 1554. *in Interrog. pag.* 56.), „ Si non dixit Officium, ad quod tenebatur, & quando tenebatur? vel vagabatur mente „ ex proposito illud dicens? vel sic occupat se, ut non „ possit attendere, vel non expressit integre dictiones?“

Denique recentiora Concilia ita expresse de attentione necessaria ad recitandum divinum Officium loquuntur, ut dubitare non sinant, quin omnes Clerici Officio obligati, ad attentionem habendam pro viribus teneantur.

In celebri Cleri Gallicani Conventu Meloduni habito, statuitur (*ann.* 1597. *tit.* 17. *De Canonicis*), ut Canonici *Preces, & divina Officia, non cursim, sed devote, attente, & graviter in Choro recitent.*

Iisdem fere utitur verbis Concilium Burdigalense (*an.* 1583. *de Capitulis, & Canonicis*), dum decernit, „ ut Preces, & divina Officia non cursim, & festinanter, sed devote, attente, & graviter in Choro omnes „ recitent; perpetuo memores tremendæ illius Prophetæ sententiæ; *Maledictus qui facit opus Dei negligenter* “.

In Concilio Trevirensi (*anno* 1549. *Can.* 6.) expresse quoque statuitur, ut *Extra Chorum articulate, distincte, diserte, & cum attentione omnia pronuncient.*

Concilium Bituricense (*anno* 1584.) decernit, ut *Omnes Ecclesiastici Horas Canonicas attente, & distincte dicant, deposita omni sollicitudine sæculari.*

Denique in Concilio Narbonensi (*ann.* 1609. *c.* 30. *De Capitulis & Canon.*) sic habetur: *Omnes divina officia, & preces devote, attente, & graviter in Choro simul cantent.*

Quæst. 12. Quid responderi potest illis, qui objiciunt, quod cum non possit Ecclesia præcipere actus internos, nequit consequenter adstringere Clericos, ut officium cum interiori attentione recitent?

Resp. Quamvis Ecclesia directe non præcipiat actus internos; eos tamen præcipit indirecte, & quatenus necessarii sunt, ut debito modo impleantur actus externi, qui sunt in præcepto. Ita præcipit Ecclesia indirecte

actus internos, quando præcipit fidelibus, ut diebus Dominicis, & festivis Missæ sacrificio intersint, & ut ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta saltem semel in anno accedant; quia scilicet hæc præcepta impleri nequeunt, sicut oportet, nisi actionem externam comitentur actus interni.

Verum sancta Sedes hanc quæstionem resolvit, & garrientium neotericorum os obstruxit, dum sequentes damnavit Propositiones.

In Decreto Alexandri VII. dato die 24. Septembris 1665.

14. Propositio damnata: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto.*

Innocentius XI. in Decreto contra 64. Propositiones, die 2. Martii 1679. Propositio damnata: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Constat autem, eum qui confitetur peccata mortalia, quæ tamen dimittere non vult, implere quidquid exterius præcipitur ab Ecclesia, ac proinde ex solo defectu actus interioris contritionis huic præcepto non satisfacere. Quod idem de Communione sacrilega dici debet.

Quæst. 13. Qænam requiritur attentio in divini Officii recitatione?

Resp. Ut huic quæstioni satisfiat, observandum est, attentionem nihil aliud esse, quam animi applicationem ad orationem, quæ fit. Triplex autem esse potest attentio, litteralis, generalis, & mystica. Attentio litteralis ea est, qua applicatur animus ad litteralem sensum verborum, attendens, dum pronunciatur, ad eorum significationem, ut ex iis pios hauriat affectus. Generalis est ea, qua quis generaliter intendit in oratione Deum laudare, & ei necessaria petere. Mystica autem attentio ea est, qua applicatur mens ad intelligendum mysticum sensum Psalmorum, aut ad alia mysteria recolenda, & meditanda, v. gr. Domini passionem, qui animus in recitatione Officii applicatur.

Attentio in oratione, inquit sanctus Thomas (4. *sent. dist.* 15. *q.* 4. *art.* 2. *ad* 5.,) *potest esse triplex: 1. enim attentio est ad verba, quibus petimus: 2. ad petitionem ipsam: 3. ad ea, quæ petitionem ipsam circumstant; sicut est necessitas pro qua petitur, Deus qui rogatur, & alia hujusmodi; & quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio. Unde & illi, qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti esse possunt. Sed tamen ultima attentio est laudabilior, quam secunda, & secunda, quam prima.*

Quæst. 14. Requiritur-ne, quod attentio in divino Officio non sit interrupta?

Resp. Attentio potest esse actualis, virtualis, aut habitualis. Actualis est, cum in recitatione Officii actu cogitatur, aut ad sensum verborum, aut ad laudandum Deum, aut ad aliquod mysterium.

Virtualis est, cum quis, postquam cum actuali atten-

tione incepit, deinde contra voluntatem distrahitur. Habitualis vero proprie dici non potest attentio, cum fiat tunc potius oratio assuetudine quadam non cogitando de Deo, dum recitatur Officium, mente potius ad alia voluntarie divagante.

Hoc supposito, constat attentionem solum habitualem inutilem esse, cum non sit vera attentio; actualem vero esse perfectam, sed virtualem sufficere: *Attentio in Oratione*, inquit sanctus Thomas (*in 4. sent. dist.* 15. *q.* 4. *art.* 2. *ad* 4.), *manere debet semper secundum virtutem; sed non requiritur, quod semper maneat per essentiam actus; manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad Orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etsi in prosecutione Orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fiat evagatio, quod omnino depereat vis primæ intentionis. Et ideo oportet, quod frequenter homo cor revocet ad seipsum.*

Quæst. 15. Peccat-ne, qui Officium non recitat horis ab Ecclesia constitutis?

Resp. Cum Ecclesia divinum Officium in plures diei horas distribuerit, juxta illud Regii Prophetæ: *Septies in die laudem dixi tibi*, ut singulis horis Deus laudetur, & ut Clerici Deo se unire satagant corde, & animo, destinatis temporibus tam sanctæ Orationis attendentes; dicere possumus, juxta mentem Glossæ, teneri illos Officium debitis horis, etiam privatim, recitare: *Sacerdos*, inquit Glossa (*in c. Ministerium de Officio Archipresbyt. verbo*, *Indeclinabiliter*), *horis statutis Horas Canonicas persolvat, justo impedimento cessante, verens illam sententiam*: Maledictus qui negligenter facit opera Dei.

„ Dicendum, *inquit Sanctus Thomas* (*quodlib. art.* „ 28. *in corp.*), quod consideranda est intentio ejus, „ qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuscumque Horis Canonicis; si enim hoc facit propter „ lasciviam, ut scilicet quieti, somnolentiæ, & voluptati vacet, non est absque peccato; si vero hoc faciat „ propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, licite potest de sero dicere Matutinas, & in „ aliis horis Canonicis tempus prævenire.

Quæst. 16. Potest ne esse peccatum mortale, non recitare Officium debitis Horis?

Resp. Non videtur de se esse mortale, inquit sanctus Antoninus (*p.* 3. *tit.* 13. *c.* 4. §. 5.), *quandocumque tarde quis dicat Officium, dummodo non transeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem.*

Quæst. 17. Si quis prætermissa una Hora, dicat aliam, puta Sextam ante Tertiam, tenetur-ne una cum tertia sextam recitare?

Resp. Sanctus Antoninus loco mox citato docet (*ib.*), quod *Si quis prætermissa una Hora, dicat aliam, pu-*

ta post Primam dicat Sextam; sufficit, quod suppleat id totum, quod omisit, puta Tertiam, & pœnitentiam agat de negligentia sua.

Quæst. 18. Tenentur-ne Sacerdotes recitare Matutinum cum Laudibus, priusquam Missam celebrent?

Resp. Cum in Rubricis Missalis id expresse decernatur, & inter defectus in Missa occurrentes, defectus ille recitationis referatur, hæc recitatio debet fieri (*Rubr. gen. Miss. c.* 15. *de hora celebrandi Missam*): *Missa privata, saltem post Matutinum, & Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Et in capite de Præparatione Sacerdotis (*Ritus servandus in celebr. Missæ c.* 1. *de Præpar. Sacerdotis*): *Saltem Matutino cum Laudibus persoluto.* Et in Rubrica de Defectibus (*De Defectib. circa Missam occurrentibus, c.* 10. *De Defectibus in ministerio*), *Si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.* Cum ergo illa recitatio tantopere replicetur in Rubricis, nullus secura conscientia potest illam sine rationabili causa prætermittere; maxime cum ab antiquissimo tempore hæc generalis vigeat in Ecclesia consuetudo; adeo ut sanctus Antoninus cum non paucis Doctoribus antiquis dixerit (*p.* 5. *tit.* 13. *c.* 6. §. 4.), quod *Missa non debet dici ab eo, qui non dixit Matutinum, licet possit audiri; alias dicendo esse mortale, quia contra consuetudinem generalem Ecclesiæ.*

Quod tamen intelligi debet, cum fit absque ulla rationabili causa: pluribus enim in casibus fieri posse videtur absque ullo peccato. Sed ex hac doctrina saltem inferre debemus, quod hæc recitatio passim, & facile prætermitti non debet ante Missam.

Quæst. 39. Quibusnam de causis potest quis dispensari a recitando Officio?

Resp. Varii sunt casus, in quibus merito excusari quis potest a Breviarii recitatione. Primo namque impotentia, seu impossibilitas; quia nec Deus, nec Ecclesia unquam jubent impossibilia: unde infertur, quod Sacerdos mutus, aut cæcus aliquo morbo, aut casu factus, non teneretur recitare Officium; nisi forte cæcus majorem Officii partem memoria teneret, ita ut sine gravi incommodo illud cum socio recitare posset. Liberatur etiam a recitatione, qui reperitur in loco, ubi Breviarium haberi non potest, nec ejus defectus memoria convenienter suppleri. Sed neque inter Hæreticos, aut infideles recitare quis teneretur, si id sine vitæ periculo fieri non posset.

Præterea Parochus, aut etiam alius Sacerdos intentus officiis charitatis, aut obligationis, quæ non potest, aut debet dimittere, non tenetur recitare: verbi gratia cum opus est, ut pluribus assistat in articulo mortis, ut lites, aut graves dissensiones componat, ut Sacramenta administret in casibus, qui moram non patiuntur, nec locum relinquunt recitationi Officii.

Denique potest quis dispensari ob corporis infirmitatem, si recitando grave pateretur incommodum. In quo tamen nemo sibi blandiri debet; nam, ut monet sanctus Carolus (*Conc. Mediol.* 4. *tit. de vita & honestate Cleric.*): „ Sacerdos Clericusve sacris initiatus, aut „ Ecclesiasticum Beneficium obtinens, Horarum Canoni- „ carum Officio cum adstrictus sit, meminerit se febri, „ morbove aliquo, vel adversa valetudine leviter ali- „ quando laborantem, non justam propterea excusatio- „ nem habere, quamobrem illud intermittat, omittat- „ ve. Itaque si quando corporis infirmitate affectus est, „ ipse, pro sua conscientia, recte videat, quid præstare „ possit, ac ne omittendo graviter peccet, & beneficii, „ si quod habet, fructus suos non faciat ".

Quæst. 20. Qui ob morbum aut aliquam ex supradictis causis integrum Officium recitare nequit, posset tamen facile aliquam ejus partem persolvere, eximitur-ne ab hac parte recitanda?

Resp. Cum Officium constet horis diversis, & has Horas singulas Sacerdos recitare teneatur, consequens est profecto, si totum recitare nequeat Officium, eum dicere debere eam partem, quam sine gravi incommodo recitare potest: eo fere modo quo is, qui per totam Quadragesimam jejunare nequit, tenetur tamen aliquibus hebdomadæ diebus jejunare, si possit: & is qui in die jejunii aliquid mane sumpsit justa aliqua ex causa, tenetur tamen reliqua die jejunium observare.

Sed hæc veritas, citra dubium est, ex quo Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem.

54. Propositio damnata.

Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

Quæst. 21. Suspensi aut interdicti ab Ordinum suorum exercitio, excommunicati, aut degradati, tenentur ne recitare divinum Officium?

Resp. Dictæ pœnæ & censuræ non liberant a privata recitatione Breviarii, licet impediant a publica. Imo Ecclesiastici, qui in has pœnas inciderunt, eo ferventius & diligentius Officium recitare debent, quo major est necessitas se coram Deo humiliandi, & implorandi ex toto corde divinum auxilium cum sincero peccatorum suorum dolore.

Quæst. 22. Qua devotione, & quo potissimum in loco recitandum est divinum Officium?

Resp. Sanctus Carolus huic quæsito luculenter respondet his verbis (*in Synodo* 4. *Act. p.* 2. *Decr.* 21.): „ quam supplici mente, intimaque animi pietate, Ec- „ clesiastici ordinis homines Horarias divini officii preces „ dicere debeant, id & antiquis Patrum institutis „ cautum est, & Lateranensi Concilio Innocentius III. „ Pontifex monuit. Cum enim non tantum pro popu-

„ lo,

„ lo, ut inquit Apostolus, verum etiam pro seipsis, qui „ circumdati sunt infirmitate, orandum eis sit; id non „ modo sine intermissione, sed etiam studiose, ac devo- „ te agere debent ".

„ Quare admonemus omnes, & singulos nostræ Dicœ- „ cesis, & Urbis Mediolanensis Ecclesiasticos homines, „ ut cum ejusmodi precum Canonicarum Officium priva- „ tim præstent, ne deambulando, aliudve agendo, id „ muneris expleant: in Ecclesiam, si ei domus sit con- „ juncta, aut saltem domi in locum, quoad fieri pot- „ est, precationi aptiorem se recipiant; ut animo, qui „ deambulationibus, & aliarum rerum actionibus distrahi „ quandoque solet, se colligentes, ac pietatis studio ac- „ censi, orent spiritu, orent pariter & mente, quodque „ ore psallunt, item spiritu psallant, & mente in con- „ spectu Domini, a quo uberrimum hujus debitæ pieta- „ tis fructum accipient ".

Quæst. 23. Est-ne grave peccatum, interrumpere, absque necessitate, divinum Officium, sive publice, sive privatim dicatur?

Resp. Non videtur dubitandum, quin hæc interruptio sit irreverentiæ quædam species erga divinam Majestatem: *Quis enim est homo*, inquit S. Augustinus (*in Ps.* 55.), *cum quo si amicus ejus cœperit colloqui & voluerit ille respondere collocutioni ejus, & viderit eum averti a se, & aliud loqui ad alium, quis hoc ferat, aut si forte interpelles judicem, & constituas eum in loco, ut te audiat, & subito cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat?*

Qua igitur ratione sibi in mentem inducere quis potest, non offendi Deum, quando inchoatæ preces facile interrumpuntur, ac divino Officio temere commiscentur sermones, & facta aliena, & quandoque profana? Certe tum quis voluntarie se exponit periculo recitandi sine attentione, & devotione, cum illud sine necessitate interrumpit. Audiamus, quid sentiat S. Joannes Chrysostomus his verbis (*homil.* 1. *de verbis Isaiæ: Vidi Dominum*): „ Verum etiam alius quidam gravis obambulat „ morbus; Quis tandem iste? Quod qui proposuerunt „ cum Deo colloqui, eique servitium exhibent, mox, „ hoc omisso, suum quisque vicinum arripiunt, ordi- „ nantque res domesticas, quæque fiunt in foris, quæ- „ que in populo, quæque in theatris, quæque in exerci- „ tu: & quomodo alia quidem sunt administrata, alia „ rursus neglecta; & quid in gerendis rebus plus satisfue- „ rit, quid diminutum: in summa de rebus omnibus, vel „ publicis, vel privatis, hic colloquuntur. Et qua tan- „ dem venia digna sunt ista? Atqui, qui cum Rege ter- „ reno colloquitur, de his tantum verba facit, de quibus „ ille voluerit audire, & de quibus Rex fuerit percunta- „ tus. Quod si quis ausit injicere secus, quam ille velit,

„ extre-

„ extremo supplicio afficietur. Tu vero cum Rege Re-„ gum colloquens, cui cum horrore serviunt Angeli, „ omisso cum illo cœpto sermone, de luto, de pulvere, „ de telis aranearum loqueris? Nihil enim aliud sunt hu-„ jus vitæ negotia. Et quomodo sustinebit istius contem-„ ptus pœnam? quis autem te ab hac vindicta liberabit“?

Post hæc duorum illustrium Ecclesiæ Doctorum verba, nemo sane dubitabit, quin peccent, qui leviter Breviarii recitationem interrumpunt; verum peccatum eorum eo majus est, quo cum scandalo fit majori; unde si fiat in Officio publico, aut in Ecclesia, aut etiam privatim, quando adsunt, qui hanc irreverentiam observare possunt, tunc pro modo scandali, majus erit peccatum.

Unde varia in specie prohibuerunt Concilia similem in Choro interruptionem; & in Concilio Burdigalensi (*anno* 1589. *c.* 17.) decernitur, ut *In Choro colloquia nulla permittantur, sed omnes pie, ac devote divino cultui sint intenti: qui contrafecerit, nisi monitus quiescat, privetur ejus Horæ distributione, vel graviore pœna mulctetur.*

Concilium Bituricense (*anno* 1584. *tit.* 12. *Can.* 12.) statuit, ut *Omnes Ecclesiastici, etiam non Beneficiati, Horas Canonicas attente, & distincte dicant, deposita omni solicitudine sæculari, nullaque colloquia intermiscеant; ac Deum precaturi, locum ejusmodi deligant, in quo a pietate, & devotione non abducantur.*

In Concilio demum Narbonensi (*anno* 1551. *Can.* 12. *de celebrat. Missæ, & Horis Can.*) habetur, ut Clerici *Externa præsertim colloquia vana non immisceant*; quia certe hoc Officium Angelicum potius est, quam humanum, & hic in terra inchoamus, quod in cælis sine fine implere speramus: igitur omni cultu, omni reverentia, & pietate fieri maxime convenit.

Quæst 2. Beneficiatus Choro addictus, peccat-ne recitando Officium submissa voce, dum alii publice cantant? & satisfacit-ne hoc modo obligationi suæ?

Resp. Jam ostendimus, Canonicos teneri pro modulo, in Choro canere, neque sola præsentia muneri suo satisfacere, supra cap. 7. n. 11. Unde colligere licet, peccare eos, dum Officium submissa voce dicunt, cum alii publice canunt. Verum quia aliqui semetipsos adulantes, aut potius fallentes, putare possent, licere hoc modo Breviarium recitare in Choro, dum Missa cantatur, aut per intervallum, dum cæteri non cantant, & soli musici audiuntur; non abs re erit ostendere, tales abusus a Conciliis damnatos esse, prohibitumque, ne dicatur privatim Officium in Choro sub quocumque prætextu; quia scilicet tenentur Canonici, & alii Beneficiati Choro addicti, debitam attentionem habere, cum cantatur Officium, aut celebratur Missa in Choro, licet aliquoties necesse non sit cantare; quamquam enim Missæ sacrificium non sit pars Officii divini pro his, qui Choro non sunt obligati: est tamen vera pars Officii respectu eorum, qui Cho-

Choro sunt obligati: qui certe Missam solemnem, seu, ut vocant, conventualem, cum eadem attentione audire debent, qua reliquum recitant Officium: certum est autem, hanc attentionem cum privata Officii recitatione reperiri non posse.

Verum quia multi authoritati magis, quam rationi credunt, referemus hic expressa verba variorum Conciliorum, quæ talem recitationem privatam omnino prohibent. In Concilio Rhemensi (*anno* 1583. *tit. de Cultu div. n.* 4.) sic habetur: *Clerici simul conveniant in Choro, nec confabulentur, aut aliquid legant, ne privatum quidem Officium.*

In Concilio Turonensi (*eod. anno tit. de Capitulis, & Canonic.*): *Nemo ibidem dum Horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatim Officium. Nam non solum obsequium, cui obnoxius est, Choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat.*

In Concilio Bituricensi (*an* 1584. *tit.* 12. *de celebrat. div. Offic. Canon.* 3.): *Sed nec privatim Officium dicant in Choro.* In Concilio Narbonensi (*an.* 1609. *cap.* 50. *de Canonic.*) *In Choro Officium privatim non recitent.* Concilium Burdigalense (*an.* 1624. *c.* 9. *de Canonic. n.* 2.) sic decernit: *Canonicos Choro assistentes gravitatem servare, collocutiones vitare, scripturas quaslibet, aut libros minime legere, nec privatim Officium recitare statuimus.*

Sanctus Carolus, in Concilio Mediolanensi primo (*tit. Quomodo versandum in Choro.*), prohibet Canonicis, & aliis Choro addictis, *Ne in Choro, ubi communi officio opera datur, privatim Officium dicant.* Demum Concilium Trevirense statuit (*an.* 1549. *c.* 6.), ut *Nullus, dum Canonicæ preces in templo publice decantantur, aut leguntur, audeat privatim legere aliquid, ac ne Horas quidem Canonicas absolvere; sed concinat, ac una cum fratribus Deum honorificet: contrarium faciens, tamquam absens habeatur.*

Sanctus Antoninus hunc abusum notavit his verbis (*p.* 2. *tit.* 9. *c.* 42. §. 3.): *Sextæ negligentia in dicendo Officio divino est, quando psallentibus aliis, cantando, vel legendo, quis velit illo tempore dicere alias Horas privatas submisse, plures horas pro se citius dicens.*

Hujusmodi abusus graviter prohibentur in Concilio Provinciali Neapolitano, a Jacobo Cardinali Cantelmo Archiepiscopo anno 1699. congregato (*tit.* 2. *cap.* 1. *p.* 37.), magno omnium bonorum applausu, dum scilicet Conciliorum Provincialium convocationem, post interruptionem nimis longam, denuo, juxta Concilii Tridentini decreta, frequentari vident. In hoc igitur Concilio sic habetur „: Sub pœnis in jure constitutis, inter
„ Divinorum officiorum celebrationem, nulla prorsus col-
„ loquia misceantur, nec ullus ab aliis seorsum recitet,
„ vel privatim aliquid legat, nec aliud quidquam con-

„ tra loci, officiique dignitatem admittat. Pro ea etiam, „ quæ celebrandis officiis debetur attentio, par est, ut „ nemo horas canonicas, dum Missa conventualis cele- „ bratur, privatim recitet ".

Et in Synodo apud Montemfaliscum congregato ab Eminentissimo Marco Antonio Cardinali Barbadico (*an.* 1692. *c.* 10.), ut „ nesciat Chorus, qui sint cachinni, „ derisiones, locorum mutationes, epistolarum, cætero- „ rumque librorum lectiones, corporis situs, vel gestus „ immodesti, flores, chirothecæ, ac reliqua omnia quæ „ redolent levitatem. Si quis tam sanctum locum rebus „ hujusmodi violare præsumpserit, præter punctaturam, „ severe mulctabitur.

„ Divina Officia, nedum externa oris prolatione, sed „ etiam interna mentis applicatione voce concordi, mo- „ deste, atque distincte recitentur: ita ut nulla interve- „ niat syllabarum diminutio, nulla verborum præteritio, „ nulla versuum acceleratio; sed in medio cujuslibet ver- „ siculi, ubi stellula reperitur, brevis pausa fiat. Omnes „ simul recitent, nemo privatim nec voce submissa; sed „ si quis officiis jam cœptis Chorum adiverit, iisdem per- „ solutis, extra Chorum suppleat reliqua ".

Præterea in Synodo Eminent. Cardinalis Denoh (*Syn. Cæsen. anno* 1691. *l.* 3. *c.* 2.) sic habetur: „ Modestiæ in „ Ecclesia leges studiose observabunt, memores, specta- „ culum eos ibi esse Angelis, & hominibus, ac proinde „ abstinebunt a confabulationibus, a sumptione tabacci, „ a lectione librorum profanorum, epistolarum, rerum- „ que novarum. Si quis vero contrafecerit, aut etiam „ aliis psallentibus, ipse privatim Officium recitaverit, „ tamquam absens pro illa Officii parte a punctatore no- „ tetur ". Similia habentur in Synodo Urbevetana Card. Hieronymi Simoncelli ann. 1592. (*tit. de Can.*). Et in Synodo Mazariensi Cardinalis Joannis Dominici Spinola (*an.* 1698. *c.* 18. *n.* 2.) decernitur: „ Attente, expresse, & „ articulatim, integra, non trunca, vel extremis syllabis „ suffocata verba pronuncient; nec cursim & perturbate, „ sed punctatim, graviter, atque alternatim voce alta re- „ citent & canant. Insuper unusquisque in Choro seden- „ do, suum proprium stallum teneat eo ordine, quo in- „ fra de Processionibus dicetur; in quo nemo flabello, „ chirothecis, pallio, aut galero utatur; nemo locum mu- „ tet: standi, sedendi, flectendi genua, inclinandi & a- „ periendi caput, quo tempore, & officii ratio enixe ha- „ beatur, colloquia, risus, rixæ, litterarum & scriptura- „ rum lectio arceantur; nec quisquam privatim recitet, „ dum ab aliis divina persolvuntur Officia, alioquin in „ pœnas a jure statutas se incurrere certo sciat ".

Synodus Juvenacensis (*anno* 1639. *c.* 6. *n.* 3.) similia decernit his verbis; „ Canonici, & qui Choro tenentur, „ ita hujusmodi faciant muneri satis, ut remunerari, non „ damnari a Domino mereantur. Temperent se ergo a

„ collo-

„ colloquiis, a negotiationibus, a legendis epiſtolis, a
„ riſibus, a turpibus, a quacumque inani re, & quæ a-
„ liis diſtractionem gignere valeat. Neque ſe tabacci pul-
„ vere per nares inficiant: ſint modeſti, trementes Do-
„ minum, in cujus conſpectu ſunt: intendant his, quæ
„ ore proferunt, ne dicatur eis: *Populus his labiis me*
„ *honorat, cor autem eorum longe eſt a me*: omnes can-
„ tent, alioquin quotidianas haud merebuntur diſtribu-
„ tiones; unius Chori pars alteram ne præveniat ante finem
„ verſus qui dicitur. Faciant congruentem conquietionem
„ ſive pauſam inter verſum & verſum: alternatim ca-
„ nant, non inter dentes dimidiata verba proferentes,
„ non ea deglutiendo, non ſyncopando. Meminerint, ſe
„ Divinas laudes celebrare, neque gratis id facere, ſed
„ teneri ex beneficiis, & Canonicatibus, ac dignitatibus,
„ quæ obtinent: reſtitutioni ſe obnoxios eſſe pro rata,
„ ſi ſecus egerint, neque diſtributiones facere ſuas nove-
„ rint. Vigilent ergo, ne in mortem obdormiant “.

Perpendant igitur Canonici & alii Choro inſervientes, id quod habetur in erudita Synodo Bituntina (*ann.* 1682. *tit*. 4. §. 7.) his verbis: „ Omnes qui divinis Officiis in
„ Choro interſunt, etiam Canonici & Dignitates, ſciant
„ ſe non ſatisfacere ſuo muneri & obligationi, exhiben-
„ do tantum præſentiam in Choro, non canendo neque
„ pſallendo; etiam ſi allegarent, eo ſe tempore meditari,
„ vel ſubmiſſa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel
„ alias pias preces tunc recitare; niſi alta & conſona vo-
„ ce Divina Officia & Horas Canonicas recitent, cantent,
„ & pſallant. Ideo illos hortamur, ut cantent & pſal-
„ lant, alias ſuo muneri non ſatisfacient; niſi ex aliquo
„ defectu vocis, vel diſtillationis, canere non potuerint;
„ & circa hoc conſcientias non canentium oneramus,
„ prout S. Congregatio Rituum 23. Novembris 1602. &
„ 20. Aprilis ejuſdem anni declaravit, & S. Congrega-
„ tio Concilii 7. Aprilis 1618. “

Unde etiam legimus in Synodo noviſſima Tuſculana, quam Eminentiſſimus Cardinalis Vincentius Maria Urſinus congregavit, præſidente Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Hydruntino Franciſco Maria de Aſte, Viſitatore Apoſtolico (*an.* 1703. *c.* 9.): „ Quo melius & abſque diſſonan-
„ tia Divinæ laudes perſolvantur, & Eccleſiaſtica Officia
„ decantentur; Canonici, Beneficiati, cæterique, qui ad
„ Chori ſervitium ſunt deſtinati, aut deſcripti, juxta S.
„ Congregationis Concilii Decreta, cantum Gregorianum
„ addiſcant; ſecus ſi id neglexerint, & Divinum cultum
„ detrimentum pati compertum fuerit; Ordinarius ido-
„ neum alium ſubſtituat, qui cantum non callentis vices
„ ſuppleat: & huic ſubſtituto Procurator Capituli teneatur
„ mercedem perſolvere, ſumptibus illius, cujus loco aſſum-
„ ptus fuerit, ſub pœna reiterandæ ſolutionis, aliiſque,
„ arbitrio Eminentiſſimi Epiſcopi, infligendis “.

Et in Synodo Tarentina Cardinalis Bonifacii Cajetani

(*an.*

(*an.* 1614. *tit.* 31. *c.* 1.) statuitur, ut *nemo in Choro privatim officium recitet: chirothecis nemo utatur; qui secus fecerint, distributionibus illius horæ pro pœna careant.*

Unde in Synodo Ravennatensi (1607. *De Punctatore num.* 5.) statuitur, ut *Punctator non solum absentiam notet eorum, qui Choro interesse debent, sed etiam errata quæ absentiæ æquivalent; ea vero sunt hujusmodi; libros, litteras, aliasque scripturas legere non ad divini Officii recitationem pertinentes: item festinanter, syncopatim, & non cum debita pausa, nec cum aliis Officium revocare seu canere; illum enim qui hæc admiserit, volumus ejus Horæ aut Missæ distributiones amittere, ac si illis minime interfuisset.*

Cardinalis Federicus Sfortia in Synodo Ariminensi (*an.* 1654. *p.* 5. *tit.* 4.) statuit, ut „ psallant distincte, „ sedate, decenti gestu, & composita voce, non oscitanter: a quibuscumque colloquiis, litterarum ac librorum lectionibus, abstineant; non privatim, non tacite officium recitent: pro temporis ac officii ratione sedeant, stent, genuflectant, caput aperiant, & inclinent; demum nihil præposterum, nihil inordinatum, nihil indecorum appareat; sed uno spiritu, uno corde cum aliis Divinas laudes extollant. Si quis autem in supradictis, quod Deus avertat, delinqueret, tamquam absens censeatur, distributionesque amittat ".

Videatur Edictum aureum Eminentissimi Cardinalis Barbadici in fine hujus Tomi 2.

Quæst. 25. Peccat-ne qui Officium non proprium pro proprio recitat?

Resp. Dubium non est, quin is, qui voluntarie id agit, peccet; quia scilicet non vult muneri suo recitandi Officii recte satisfacere, & eo modo quo præcipit Ecclesia. „ Peccatur, *inquit Sanctus Antoninus* (*ib.*), „ quando non dicitur proprium & ordinatum Officium, „ sed ad placitum dicitur nunc uno modo, nunc alio; „ & de feria non facit, quando occurrit, causa abbreviationis, sed facit de Sanctis: vel etiam dicens Officium Ecclesiæ suæ, quia non vult quærere Breviarium, dicit unam Antiphonam, vel Capitulum, vel Orationem pro alia: non est hoc absque gravi peccato; secus si faceret ex impotentia, propter defectum libri, vel visus & hujusmodi ".

Qui enim ita errans recitaret unum Officium pro alio, non teneretur repetere: sed qui deliberate, sciens, de industria id agit, videtur irreverentiam quamdam erga Deum committere, contemnere aliquo modo res sacras, & obedientiam Ecclesiæ in talibus debitam violare; & ideo dixit S. Antoninus, quod *Hoc non est absque gravi peccato.*

Quæst. 26. Peccat-ne graviter, qui Officium recitat in Choro cum nimia festinatione & confusione, ita ut aliquoties versiculus ab una parte inchoetur, antequam ab alia

parte finiatur: aut cum ita cursim dicitur, ut nec qui canit, nec qui audit, sensum verborum percipere possit?

Resp. „ Graviter peccatur, *inquit S. Antoninus* (*p.* „ *2. tit. 9. c. 12.* §. 3.), cum dicitur Officium cursim „ & confuse, ut unus non expectet alium in finiendo „ versum; vel ita velociter, quod ipse vel alius audiens „ non potest percipere sensum verborum: cui dici pot- „ est, Edissere nobis Parabolam; quia parabolice loqui „ videtur vel Hebraice “.

Enim vero si dum Principem terrenum alloquimur, operam damus, ut ei clare distincteque loquamur, & verbis proferendis attendimus, ne displiceamus, & culpabilis irreverentiæ rei videamur; quanto magis id præstandum est, dum Majestati divinæ, nomine totius Ecclesiæ, preces fundimus Officium persolvendo?

Quæst. 27. Qui Choro assistens, non intelligit omnia, quæ a cæteris dicuntur, tenetur-ne privatim eam Officii partem recitare, quam non audivit?

Resp. Huic quæsito respondere videtur Innocentius Papa IV. his verbis (*in c. Dolentes, de celebrat. Miss.*): *Clericus qui est in divinis Officiis, non peccat, etiamsi quod dicit, ibi non intelligat; sed cor suum debet ad Deum habere, & ei psallere; imo si aliquem versum omittat, non peccat, nec etiam a capite Psalmi propter hoc revertendum est; quia si fieret, posset aliquibus scandalum generari sine magna causa.*

Et S. Antoninus expresse docet (*p. 2. tit. 9. c. 11.* §. 3.): quod *Si quis lectionem, vel aliud, quod in Choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.*

Quæst. 28. Quonam corporis habitu recitari debet Officium?

Resp. Omnes, qui divinum in Choro recitant Officium, singulas accurate observare tenentur Rubricas, ac cæremonias præscriptas, tam quoad situm, quam quoad cætera, ut nihil voluntarie prætermittant, quod ad decentem laudum Dei celebrationem publicam conferre possit, negligentia enim in re tam sancta, non est immunis a peccato.

Unde etiam Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi I. (*tit. Quomodo versandum in Choro.*) omnia accurate præscribere curavit, quæ in Choro observanda sunt, his verbis: „ Omnes in Choro divina Officia, ut tem- „ poris ratio postularit, alternis vicibus canant, reci- „ tent, attenteque audiant.

„ Id non cursim, non perturbate, non oscitanter; sed „ leniter, distincte, ac studiose faciant “.

„ In Choro, pro temporis & Officii ratione, ex in- „ stituto & more Ecclesiæ, sedeant, stent, flectant ge- „ nua, caput aperiant, & submittant, cæteraque ejus ge- „ neris adhibeant: omnes vero æque idem facient “.

„ Facessant somnus, risus, joci, rixæ, colloquia. Ne

„ Va-

„ vagentur in Choro vel Ecclesia, neve locum mutent, „ ne occasione quidem genua flectendi.

„ Ne in Choro, ubi communi Officio opera datur, „ privatim Officium dicant: neve litteras, libros, alia„ ve scripta legant.

„ Ne exeant, nisi divino Officio confecto, ne causa „ quidem de communi re agendi, si necessitas non coe„ gerit; tumque a Præfecto venia petita.

„ Si cum divina celebrantur Officia, Sacerdoti, vel „ Clerico, vel Ministro interdum per Ecclesiam necessa„ rio sit incedendum, graviter & modeste id faciat: ne„ que cum ullo sermonem habeat de rebus inanibus.

„ Qui Dignitates aut Personatus habent, Canonici, & „ alii omnes, qui aliquid in his commiserint, si moni„ ti a Præsidente Chori non resipuerint, & Horæ illius „ distributione careant, & pro modo culpæ alias pœnas „ dent, Episcopi, aut ejus, qui Ecclesiæ præsit, arbi„ tratu".

Christiani, & maxime Clerici, & Sacerdotes, sine aliquo pœnæ metu, semetipsos excitare hortarique identidem deberent ad accurate, & vera devotione comite, explendum munus suum in Choro; ut hoc saltem modo significent venerationem & amorem, quem tot nominibus Deo debent; ideoque fideliter & singulari modestia observare convenit cæremonias omnes atque ritus in solemni Dei cultu ab Ecclesia præscriptos, qui certe in praxi plurimum conferunt ad inflammandum excitandumque ad pietatem fidelem populum: qui vero tales cæremonias & ritus negligunt, aliquam scandali occasionem aliis Clericis & populo præbere videntur.

Unde etiam cum Illustrissimus Carolus Franciscus Ceva, Episcopus Derthonensis, prohibuisset in Synodo (*anno* 1687. *De vita & honest. Cler.*) sumptionem tabacci ante Missam, ut videre est Tom. 3. hanc prohibitionem extendit ad Chorum, his verbis valde notandis; „ Consuetudo „ illa sumendi tabacchum vulgo nuncupatum, quæ a ne„ cessitate initium habuit, jam ob frequentem nimis „ usum, ut plerumque accidit, excrevit in vitium: non„ nulli enim etiam Ecclesiastici Ordinis ita hoc genere „ voluptatis patiuntur se allici & occupari, ut nulla ha„ bita ratione personarum, temporum, & locorum, pas„ sim ubique illud sumant; quod sane indecorum est, „ Ecclesiasticumque hominem non mediocriter decet.

„ Quare, ut huic malo occurramus, omnes & singulos „ Sacerdotes & Clericos nostræ jurisdictioni subjectos mo„ nemus, & quatenus opus sit, ipsis, sub pœna quatuor „ aureorum, præcipimus, ne in Choro, Sacristia, Capi„ tulis, Processionibus, Conventibus menstruis, & aliis „ quibuscumque functionibus Ecclesiasticis, & quoties su„ perpelliceo induti sunt, tabacchum sumant; Parochis „ vero in Civitate & Diœcesi, nec non Vicariis foraneis, „ mandamus, ut super hac re invigilent, nosque admo-

„ neant,

„ neant, ut pravus hic abusus omnino tollatur". Tabacchum ante Missam prohibet Cardinalis Petruccius, in Synodo anno 1605. in Appendice pag. 49. num. 16. sub pœna suspensionis pro illa die.

Et in accurrata & erudita Synodo Lyciensi (*an.* 1693. *tit.* 3. §. 5.) sic statuitur: „ Tabacchum in Ecclesiis & „ Capellis, earumque Sacristiis, dum Missæ celebrantur, „ & Divina persolvuntur Officia, sub pœna suspensionis a „ divinis eo ipso a constitutis in Ordinibus sacris, sub pœ„ na vero excommunicationis latæ sententiæ a Clericis „ contractæ, inhærendo Constitutioni Urbani Octavi S. „ M. quæ incipit, *Cum Ecclesiæ*: qua illius sumptionem „ in Ecclesiis Hispalensis Diœcesis, sub eadem excommu„ nicationis latæ sententiæ pœna, prohibuit: Nos quoque „ prohibuimus nostro publico Edicto, quod hac Synodo „ perpetuo servari mandamus. Et quia quidam hujus mo„ ræ impatientes, dum Choro ad divina Officia celebranda „ intersunt, ab eo exeunt, & extra Ecclesiam in locum „ non prohibitum se conferunt ad illud sumendum, & „ sumpto, iterum ad Chorum redeunt: ideo, ut huic frau„ di occurramus, qui ea commiserint, eadem pœna irreti„ tos esse decernimus. Experti enim sumus, nedum ipsas „ Ecclesias, ac Chori sedilia, sed etiam tobaleas, seu „ mantilia, quæ in Sacristia prope lavacrum ad abster„ gendas manus Sacerdotum appensa detinentur, & aliam „ prophanam & sacram supellectilem Ecclesiarum, præ„ sertim Altarium mappas, hoc tabacci usu fœdari, & „ ipsa divina Officia in eodem Choro, ex mutua illius „ oblatione, perturbari". Julius Cardinalis Spinola (*Synod. Sutrina*, *anno* 1607. *c.* 10.) statuit, ut *in Choro nec tabacci pulverem sumant*.

Nicolaus postea Cardinalis Radulovicus, in Synodo Theatina (*ann.* 1661. *tit.* 19.) mandat, ut *tabaccho in Choro non utantur*. Cardinalis Antonius Bichius, in Synodo Auximana (*anno* 1677. *c.* 11.) statuit, ut *Canonici a risu & colloquiis abstineant*, *tabacchum*, *ut vulgo dicitur*, *non sumant*, *& memores continuo sint*, *Angelorum se choro Deum collaudantium adesse*.

In Synodo Gerundensi (*an.* 1685. *l.* 5. *tit.* 14. *c.* 7.) sic decernitur: *Abusum sumendi Tabacchum*, *a domo Dei*, *quantum fieri poterit*, *ipso adjutore tollere cupientes*, *& attendentes*, *in Concilio Provinciali Tarraconensi novissime celebrato*, *in quo personaliter interfuimus*, *super hoc editam fuisse Constitutionem sequentem*, *videlicet*: Inservientes in sacris ministeriis, sive in Choro, sive in Altari, tabacchum in pulvere, etiam secrete, nullatenus sumant, sub pœna quatuor Regalium pro qualibet vice; reliquos autem in Choro interessentes, dum recitantur horæ canonicæ, vel divina Officia celebrantur, hortamur in Domino, ut quantum fieri possit, a sumptione tabacci se abstineant. Pravus autem & execrabilis abusus sumendi tabacchum in fumo & in folio, etiam ante

te

te Missæ celebrationem, & hora integra post illam peractam, sub pœna excommunicationis minoris prohibetur & interdicitur. „ Quare cum pro nostri pastoralis Officii „ munere teneamur, ut, quæ per Concilia provincialia & „ generalia laudabiliter statuuntur, debitæ executioni de- „ mandentur: ideo hac nostra Diæcesana Synodo laudante „ & approbante prædictam Constitutionem innovantes & „ publicantes, eam in tota nostra Diœcesi, sub pœnis & „ censura in ea expressis, inviolabiliter observari manda- „ mus; necnon etiam pœnam pecuniariam fabricæ talis „ Ecclesiæ, in casu contrafactionis, perpetuo applicamus".

In Concilio Mexicano III. pag. 61. (*Concilio Provincial. Mexican. III. pag.* 61.) „ Præcipitur, ne ullus „ Sacerdos ante Missæ celebrationem, aut quævis alia per- „ sona ante Communionem, quidpiam tabacci per modum „ fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat".

In Concilio Provinciali Limano Venerabilis Archiepiscopi Turribii Alphonsi a Mogrovejo (*anno* 1583. *act.* 3. c 23.) „ Prohibetur, sub reatu mortis æternæ, Presbyte- „ ris celebraturis, ne tabacci fumum ore, aut sayri, seu „ tabacci pulverem naribus, etiam prætextu medicinæ, „ ante Missæ sacrificium sumant".

Et in Synodo 10. Limana ejusdem Venerabilis Turribii (*anno* 1605. *c.* 9.) statuitur „ Quod Sacerdotes post missam „ non sumant tabacchum in Ecclesia, Sacristia, Choro, „ plateis, vel vicis; nec domi aut frequenter in aliis locis „ publicis ultra prædicta: nec ante Missam ullo modo, prout „ in constitutionibus hujus Archiepiscopatus decretum est".

Demum Cardinalis Franciscus Maria Brancatius, in Synodo Tusculana (*an.* 1699. *De vita & honest. Cler.*), sic decernit: „ Adhærendo Decreto Urbani VIII. sub „ pœna excommunicationis incurrenda, ac Nobis reser- „ vata, prohibemus omnibus Clericis, tam in sacris, „ quam in minoribus Ordinibus constitutis, ne audeant „ sumere tabacchum in Ecclesiis, earumque atriis, & Sa- „ cristiis; Sacerdotes vero, ante Missæ sacrificium, juxta „ gravissimorum Authorum opinionem, tabacchum su- „ mere non debent, saltem ad evitandum periculum „ maculandi corporalia sacra, & purificatoria, imo ip- „ sa linteamina exposita ad abstergendas manus".

Et Illustrissimus Josephus Crispinus, Episcopus Amerinensis, in Diœcesibus Prænestina & Albana Visitator Apostolicus, sic statuit (*Decreti generali della visita Apostolica anno* 1604. *c.* 5. §. 1.): „ Nessuno in Coro usi „ guanti, nè manizza da tenere coperte le mani: Non vi „ pigli tabacco, non vi legga lettere, o altre scritture: „ Ed in tempo della Messa conventuale, che è parte del „ Divino Uffizio, nessuno reciti privatamente l' Uffizio. „ E chi contraffarà ad alcuna di queste cose, soggiaccia „ alla puntatura".

Et in alio Capite idem Visitator Apostolicus monet Confessarium his verbis (*Ibid. c.* 9. §. 2. *n.* 4.): *Non pi-*

pigli tabacco, mentre sta in Confessionario: quod certe valde indecens esset.

Quæst. 29. Tenetur-ne quis regulariter Chori cæremonias observare, quando privatum Breviarium recitat?

Resp. Quamvis observare quis non teneatur ad litteram dictas Chori cæremonias, cum privatim recitat; expedit tamen se illis conformare, quantum fieri rationabiliter potest, sedendo, vel stando, aperiendo, seu operiendo caput; quia, ut monet Sanctus Augustinus (*de cura pro mortuis*, *c.* 5.), „ Nescio quomodo, cum hi „ motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, „ non possint: eisdem rursus exterius visibiliter factis, „ ille interior invisibilis qui eos fecit augetur, ac per „ hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia „ facta sunt, crescit “.

Videtur autem magis congruum, si stando recitentur Psalmi juxta veterem Ecclesiæ morem, qui etiam nunc a non paucis Regularibus observatur: & hic situs magis conveniens videtur, quam si flexis genibus omnia dicerentur; quia licet genuum flexio ut plurimum laudabilior sit in Oratione, nihilominus cum numquam fuerit in Ecclesia observata, dum Psalmi canerentur, & impedire videatur cæterorum rituum gestuumque observationem, melius fortasse Psalmi stando recitarentur, & præsertim tempore Paschali.

Demum quando Officium divinum etiam privatim recitamus, *Cogitemus*, inquit S. Cyprianus (*De orat. Dominic.*), *nos sub Dei conspectum stare; placendum est Divinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis.*

Quæst. 30. Tenentur-ne Regulares post editam Professionem, Officium divinum recitare, etiam quando sunt extra Monasterium?

Resp. Tenentur omnino, nisi forte aliqua in ipsorum regula exceptio reperiatur; quia ut docet Sanctus Antoninus (*p.* 3. *tit.* 1. *c.* 4. §. 1.), „ Tenentur ad Horas Re„ ligiosi professi, ratione suæ professionis, quia non so„ lum sunt institutæ hujusmodi Religiones ad orandum „ particulariter pro se, sed etiam ad orandum pro uni„ versali utilitate fidelium: ad hujusmodi autem orationem „ fiendam in persona totius populi Christiani, pro utilitate „ omnium, sunt institutæ specialiter Horæ Canonicæ “.

Quæst. 33. Qui per unum diem omisit recitare Officium, tenetur-ne illud die sequenti recitare una cum Officio diei currentis? Et debet-ne id pro pœnitentia injungi?

Resp. Non tenetur, neque talis debet imponi pœnitentia; quia, ut docet S. Thomas (*Quodlib.* 3. *art.* 29.), „ Sicut in Officiis divinis exsolvendis observanda est „ congruitas loci, ita etiam congruitas temporis: quæ „ quidem observari non posset, si oporteret injungere „ omittenti, quod Horas diceret, quas omisit; forte „ enim in Completorio diceret: *Jam lucis orto sidere*, „ Et in tempore Paschali diceret officium Dominicæ

„ Paf-

„ Passionis; quod esset absurdum. Et ideo non videtur „ esse injungendum ei, qui omisit divinum Officium, „ quod Horas easdem repetat, sed aliquid ad divinam „ laudem pertinens: puta dicat septem Psalmos, vel „ unum psalterium, vel aliquid amplius secundum quan- „ titatem delicti ".

Quæst. 32. Quid significant septem divini Officii Horæ institutæ ab Ecclesia?

Resp. Juxta Glossam (*in c. Presb. De celebr. Missar. Verbo: Septenarios.*), hæ divini Officii Horæ exhibent varias Horas, in quibus Dominus noster Jesus-Christus pro nobis passus est, & monent Clericos sæpe meditari debere passionem Christi, cujus sunt ministri. Matutinum & Laudes ea repræsentant animo, quæ in horto olivarum contigere, & Christi Domini capturam: Prima, injurias & varia opprobria, quæ in domo Caiphæ passus est; Tertia, sententiam mortis hac circiter hora contra Christum prolatam: Sexta, ejus crucifixionem: Nona, mortem, vulnusque sacro lateri inflictum: Vesperæ, descensum seu depositionem a Cruce; Completorium denique sepulturam signat. Quæ omnia his versibus dicta Glossa complexa est:

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis; causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit; latus ejus Nona bipartit;
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

CAPUT XI.

De usu & dispensatione redituum, seu bonorum Ecclesiasticorum.

Quæst. 1. BENEFICIARII sunt-ne domini redituum Beneficiorum?

Resp. „ A recentis memoriæ hominibus, *inquit Paulus Comitolus Jesuita* (*Resp. Morali lib.* 1. *q.* 70.), „ sæpe addubitatum est illud, quod ab antiquis Magistris, & melioribus Authoribus superioris, atque „ adeo nostræ ætatis, in controversiam numquam vocatum est; num ii, quibus Ecclesiastica Sacerdotia, „ Beneficiaque mandata sunt, sint bonorum fructuumque omnium, qui ex eis percipiantur, veri domini? „ Authores nescio quomodo novam & periculosam opinionem, post mille & quingentos annos, in Christianam rempublicam invehere conati sunt, eos, a quibus Ecclesiastica Beneficia obtinentur, fructuum, quos „ illa pariunt, veros esse dominos; quorum ipsi opinionem in iis libris, quibus Parochorum Officia persecuti sumus, omni machinarum genere convellere, „ atque evellere adorti sumus; horum hominum sensum „ a Conciliorum Decretis, a Romanorum Pontificum „ sanctionibus, a sanctorum Patrum sententiis, a Theo-

„ logo-

„ logorum consensione, a sacrorum Canonum gravissimis
„ explanatoribus, & a certissima ratione demonstravimus
„ abhorrere ".

Illius Authoris doctrina libenter utemur, illiusque vestigiis inhærebimus, ut solidis rationibus & authoritatibus probare possimus, Beneficiatos quoscumque non esse redituum Beneficiorum suorum dominos.

Quæst. 2. Qua ratione declarari & probari potest hæc veritas?

Resp. Eam conabimur probare & stabilire sacrorum Conciliorum statutis, summorum Pontificum Decretis, sanctorum Patrum sententiis, ac demum solidis rationibus.

Legimus primo in Canonibus Apostolorum hæc verba (*Canone* 41. *Apost. ref. Can. Ex his*, 12. *q.* 1.): *Ex his autem quibus Episcopus indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus, & ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse.*

In celebri Concilio Antiocheno (*ref. in Can. Episc.* 12. *q.* 1.), relato in Canone, sic habetur: „ Episcopus
„ Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensan-
„ dum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia
„ & timore Dei. Participet autem ipse quibus indiget,
„ tam in suis quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur,
„ necessariis usibus profuturis: ita ut in nullo qualibet
„ occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic di-
„ centem: *Habentes victum & tegumentum, his con-*
„ *tenti sumus*. Quod si contentus istis minime fuerit,
„ convertat autem res Ecclesiasticas in suos usus dome-
„ sticos: & ejus commoda, vel agrorum fructus, non
„ cum Presbyterorum conscientia Diaconorumque pertra-
„ ctet, sed horum potestatem domesticis suis, aut pro-
„ pinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hu-
„ jusmodi personas occulte res lædantur Ecclesiæ, Syno-
„ do Provinciæ pœnas iste persolvat ".

Sic statuitur in Concilio Carthaginensi quarto (*anno* 998. *Can.* 31.), cui magnum Ecclesiæ lumen sanctus Augustinus interfuit: *Episcopus rebus Ecclesiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis, utatur.*

In Concilio generali Nicæno secundo (*ann.* 787. *Can.* 12. *ref. in Can. Quisquis*, 12. *q.* 2.): „ Omnium Ec-
„ clesiasticarum rerum Episcopus habeat solicitudinem,
„ & dispenset eas tamquam Deo contemplante. Non li-
„ cet autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis
„ propriis donare. Quod si pauperes fuerint, ut pauperi-
„ bus largiatur ".

Instruendi sunt Presbyteri, *ajunt Patres in Concilio Nannetensi congregati* (*anno* 800. *Can.* 10.), *paritérque admonendi, quatenus noverint, decimas & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti, de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter*

pauperibus, & his qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros.

Concilium Turonense (3. *ann.* 813. *Can.* 10.) statuit, ut *Rebus Ecclesiæ ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.*

In Concilio etiam Cabilonensi (*anno* 814. *Can.* 6.) sic habetur: *Res Ecclesiæ quibus Episcopi, non ut propriis, sed ut commendatitiis uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.*

Quin etiam legimus in ipsis Capitularibus Caroli Magni (*l.* 7. *c.* 58.) hæc verba: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum potestatem habeat ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei; participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget.*

Non sunt res Ecclesiæ ut propriæ, inquiunt Patres Concilii Parisiensis (*anno* 829. *Can.* 15.): *sed ut Dominicæ, & a Domino commendatæ, tractandæ.*

In Concilio Aquisgranensi (*ann.* 836. *c.* 2. *Can.* 7.): *Scire convenit Præsulibus, res Ecclesiasticas, non ut proprias, sed a Domino sibi pro aliorum necessitatibus commissas esse.*

Venerabilis authoritas horum Conciliorum, & aliorum, quæ brevitatis causa prætermitto, ne sæpius eadem cum aliquo lectoris fastidio repetam, sufficere certe deberet ad convincendos Ecclesiasticos, se non habere dominium redituum Beneficiorum, sed esse tantum dispensatores & œconomos, & eo majori cura, fide & diligentia suum munus implere debere, quo, cum nullum habeant in præsenti vita inspectorem, cui rationem administrationis suæ reddere teneantur, grave periculum est, ne obdormiant, ac falsa in pace quiescentes, aures obturent, ne justos conscientiæ remorsus audiant, & solicite se præparent ad respondendum in justo Dei judicio, & ad reddendam fidelem rationem dispensationis redituum suorum Beneficiorum.

Verum quia objici forte posset, horum Conciliorum Canones ad Beneficiatos titulares non omnino pertinere, eosque non afficere, quia scilicet tunc Beneficia nondum erant constituta eo modo, quo nunc sunt, nec erecta in titulum: non abs re erit, hanc qualemcumque objectionem repellere, eique respondere, dicendo, quod Beneficia sexto incœperunt sæculo; ut demonstratum est supra ejusdem Tractatus c. I. n. 6. Et bene multa sæculo septimo & octavo erant constituta, eo plane modo, quo nunc sunt: Nihilo tamen minus Episcopi in Conciliis supra citatis congregati, eodem plane modo de omnibus Ecclesiæ bonis & reditibus locuti sunt, nec exceperunt, aut distinxerunt ea, quæ Clericis sub Beneficii titulo concessa erant; quia scilicet existimarunt, hanc divisionem nullatenus mutare naturam Bonorum Ecclesiæ, eaque transisse ad Beneficiatos cum iisdem oneribus, quibus obnoxia erant,

rant, quando adhuc in communi massa continebantur, ut diximus eod. c. 1. n. 5.

Præterea plura Concilia a nobis citata absque ullo dubio loquuntur post divisionem bonorum Ecclesiæ in tres vel quatuor partes: & tamen constanter statuunt, Clericos nihil aliud sibi assumere posse ex reditibus Ecclesiæ, quam id quod est necessarium ad honestam sustentationem; Episcopum autem, qui talium bonorum distributor erat, illorum dominum non esse, & ne quidem partis sibi assignatæ dominium habere. Absurdum igitur esset dicere, divisionem in plures partes, quæ procedente tempore facta fuit, majorem habere vim ad mutandum naturam bonorum Ecclesiæ, quam eorumdem bonorum antiquam divisionem in quatuor partes.

Proindeque merito concludere possumus, tum Episcopos, tum alios qualescumque Beneficiatos, numquam habere redituum Beneficiorum suorum dominium, eosque, excepta parte necessaria ad honeste & frugaliter vivendum, ad pauperes, aut ad Ecclesiam pertinere; Beneficiatos autem nihil sibi arrogare posse ex tali parte superflua statui, quam dispensationem, cujus in tremendo Dei judicio rationem reddent.

Quamquam autem hæc veritas satis constet ex dictis: attamen, ut omnis in materia adeo periculosa tollatur erroris occasio, eam confirmabimus testimonio & authoritate septem Conciliorum, quæ posterioribus sæculis congregata, sine ulla controversia locuta sunt post divisionem bonorum Ecclesiæ in varia Beneficia.

In Concilio Rhedonensi (*an.* 1273. *Can.* 3.) sic habetur: *Verum quia quidquid habent Clerici, pauperum est.*

Synodus Excestriensis in Anglia (*an.* 1287 *Can.* 18.) ita loquitur: *Ecclesiastici, quidquid vitæ suæ necessitati eis superfuerit de patrimonio Jesu-Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, tenentur ex debito erogare.*

Concilium Tridentinum (*sess.* 25. *de ref. c.* 1.): *Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.*

„ Nec existiment Commendatarii, *inquit Conc. Rotomag.* (*an.* 1581. *De Monasteriis n.* 4.), sibi commendatum Monasteriorum regimen ad luxum, vel prodigalitatem, aut ad augendam rem suam & consanguineorum familiam; sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem: Deoque de omnibus reddendam esse rationem".

In Concilio quoque Aquensi (*an.* 1581. *tit. de Monasteriis*) sic habetur: „ Commendatarii non existiment sibi mandatum Monasteriorum regimen ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem suam & consanguineorum familiam; sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent

„ proprietatem ; Deoque de omnibus sibi reddendam esse „ rationem intelligant".

Concilium Burdigalense (*an.* 1583. *tit.* 16. *D. Episcopis*), ad Ecclesiasticos de administratione redituum Beneficiorum sic expresse loquitur: „ Sciant autem, omnino eis interdictum, ne ex reditibus Ecclesiæ, qui Dei „ proprii sunt, consanguineos familiaresque suos locupletiores efficiant; cum Apostolorum Canonibus id adversetur".

Et in alio recentiori Burdigalensi Concilio (*an.* 1614. *c.* 8. *n.* 5.) decernitur, ut Ecclesiastici *Præcipue perpendant, reditus Ecclesiæ, bona Christi, & pauperum patrimonia esse.*

Hæ certe Conciliorum expressæ authoritates sufficere deberent ad probandum, neque Commendatarios, neque alios quoscumque Beneficiatos habere posse dominium & proprietatem redituum Beneficiorum suorum.

Quæst. 3. Potest-ne eadem veritas authoritate summorum Pontificum demonstrari?

Resp. Cum plures ex summis Pontificibus fere omnia Concilia mox citata approbarint, aut confirmarint, de eorum mente dubitari non potest circa dominium redituum ex Beneficiis provenientium. Sed alii præterea occurrunt, idem expresse asserentes. Legimus namque in Epistola quæ Urbano primo Pontifici tribuitur, & in Canone refertur (*in Ep. unica, c.* 2. *ref. in Can. Res Ecclesiæ*, 12. *q.* 1.), quod *Res Ecclesiæ, non quasi propriæ, sed ut communes & Domino oblatæ, cum summo timore non in alios, quam præfatos usus, sunt fideliter dispensandæ*, id est ad Clericos & pauperes alendos, & ad reparandas Ecclesias: & ut habetur in Decreto Gratiani ibidem (*Post Can. Nulli* 12. *q.* 1.), Beneficiatus *Ex his quæ sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat; siqua vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiæ expendat.*

S. Gregorius Magnus pluribus in Epistolis asserit (*l.* 5. *Ep.* 35. *l.* 31. *Ep.* 21. *ad Jul. Et in ejus vita a Joanne Diacono conscripta*, *l.* 2. *c.* 57.), reditus Ecclesiasticos esse bona pauperum: „ Pauperum res sunt. Nec debet „ esse verecundiæ, *inquit*, ei aliquid de eleemosynis importune dicere, quem constat non suas, sed ad dispensandum res pauperum habere ..... Dispensationis locum „ in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus".

Si autem ipsi Pontifices summi, juxta Sanctum Gregorium Papam, non sunt veri domini, sed solum dispensatores redituum Ecclesiæ, absurdum certe & valde temerarium esset asserere, alios Beneficiatos plus juris habere in reditus Beneficiorum, quam eorum & totius Ecclesiæ Caput visibile, & Vicarium Christi in terris.

In eodem sensu Sanctus Leo nonus (*Ep.* 10. *ad Auximanos*): *Abstineat*, inquit, *manus audax ab Ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperum perdat; ne quod*

ex oblatione fidelium jam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat.

Alexander etiam Papa III. (*Fraternit. de Donat.*) *Cum*, inquit, *Episcopus, & quilibet Prælatus, rerum Ecclesiasticarum sit procurator, non dominus.*

Clerici, inquit Innocentius III. (*c. Cum secundum, de Præbendis*) *vivere debent de patrimonio Jesu-Christi, cujus obsequio deputantur.*

Eodem plane modo Bonifacius Papa octavus (*Cum ex eo de electione in 6.*), reditus Ecclesiæ vocat *Patrimonium Christi.*

Quæst. 4. Quid Sancti Patres hac de re censuerunt? & quo pacto mentem suam in hac magni ponderis quæstione exposuerunt?

Resp. Volumen integrum hic certe impleremus, si quidquid a Sanctis Patribus in hac materia dictum fuit, referretur. Quare, ne præscriptos brevitatis limites prætereamus, & ne Lectorum animos nimia sententiarum & authoritatum mole fatigemus: sufficiet hic præcipua seligere, ut intelligant Ecclesiastici, se non esse veros dominos redituum Beneficiorum, quæ possident.

Sanctus Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem scribens (*Ep.* 31. *ad Val.*), *Nihil*, inquit, *Ecclesia nisi fidem possidet, hos reditus præbet, hos fructus: possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum.* Si igitur Ecclesia, juxta Sanctum Ambrosium, quidquid possidet, in usum pauperum possidet, quid de privatis Beneficiatis sentiendum? possunt-ne præsumere, licere sibi reditus Ecclesiasticos in usus superfluos & profanos impendere.

Si pauperum compauperes sumus, inquit Sanctus Augustinus (*ep.* 20. *ad Bon. ref. in Can. Si Privatum*, 12. *q.*), & *nostra sunt & illorum; si autem privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

Sanctus Hieronymus in Epistola quæ illi in Canone tribuitur; „ Quoniam, *inquit* (*Epistol. ad Damasum*, „ *ref. in Can. Quoniam* 16. *q.* 1.), quidquid habent Cle„ rici, pauperum est .... Qui bonis parentum & opibus „ sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, „ sacrilegium profecto committunt, & per abusionem ta„ lium judicium sibi manducant & bibunt".

Legimus in Libro 2. de Vita contemplativa, qui in Canone, & in Concilio Aquisgranensi sancto Prospero tribuitur, licet illius verus author videatur esse Julianus Pomerius, apprime doctus & pius Abbas Arelatensis: legimus, inquam (*l.* 2. *de Vita contemp. c.* 9. ref. *in Concil. Aqu. anno* 816. *c.* 35. *& Can. Expedit*, 12. *q.* 1.), quod sancti Episcopi, „ Non ut possessores, sed „ ut procuratores, facultates Ecclesiæ possidebant; & „ idcirco scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vo-

„ la fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia paupe-
„ rum, non eas vindicaverunt in usus suos, ut proprias,
„ sed ut commendatas, pauperibus diviserunt. Quod ha-
„ bet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commu-
„ ne habet; nec aliquid inde eis, qui sibi de suo suffi-
„ ciunt, erogat, quando nihil aliud sit habentibus dare,
„ quam perdere". Hæc sententia celebri Concilio Episcoporum Galliæ & Germaniæ comprobata, & Canonum Decretis inserta, sufficere sola deberet ad aperiendos Clericorum oculos, & ad eos convincendos, se non aliter uti posse, tuta conscientia, reditibus Beneficiorum, quam in res sibi necessarias, non autem superfluas, aut in utilitatem Ecclesiæ.

Quæst. 5. Sancti qui scripserunt post divisionem bonorum Ecclesiæ in varia Beneficia, locuti sunt-ne eodem modo: & putaverunt-ne, non obstante quacumque divisione, Beneficiatos non esse veros dominos redituum Beneficiorum, sed dispensatores?

Resp. Certum est, ut jam diximus, hanc divisionem non mutasse bonorum Ecclesiæ naturam, & quocumque tandem modo administrentur, insumi tantum posse in eos usus, propter quos Deo consecrata fuerunt.

Unde sanctus Petrus Damianus, Cardinalis, qui circa finem undecimi sæculi scripsit, *Cum Episcopus*, inquit (*l.* 1. *Ep.* 10.), *dispensator debeat esse promptus pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis alieni ructant, cum & illi, quorum est tota substantia, procul exclusi, famis inopia contabescant.*

Sanctus quoque Bernardus, ad Archidiaconum scribens (*Ep.* 2. *ad Fulconem*): „ Quidquid, *inquit*, præter
„ necessarium victum, ac simplicem vestitum, de altari
„ retines, tuum non est; rapina est, sacrilegium est.

Et alibi idem sanctus Doctor (*ser.* 23. *aut* 18. *in Canticum Canticorum n.* 14.): „ Timeant Clerici, *inquit*,
„ timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum,
„ quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ
„ sufficere debent, minime contenti, superflua, quibus
„ egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi reti-
„ neant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum
„ pauperum consumere non vereantur: duplici profecto
„ iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sa-
„ cris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur".

In alio etiam opere eidem Sancto tributo (quod tamen, juxta doctiorum judicium, editum est a Godefredo illius Secretario, qui fuit Abbas Igniacensis & Claravallensis)
„ Res pauperum, *inquit* (*in Declamat. in hæc verba;*
„ *Ecce nos reliquimus omnia, seu De Conversatione ad*
„ *Clericos*, §. 17.), non pauperibus dare, par sacrilegio
„ crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum, fa-
„ cultates Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripi-
„ tur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non utique
„ domini & possessores, ultra victum accipiunt & vestitum.

Ita

Ita communis & constans erat hæc doctrina duodecimo sæculo, ut celeberrimus Canonum collector Gratianus, post Canonem *Nulli*, hanc quæstionem inseruerit (*in Can. Nulli Episcopatum*, 12. *q*. 1.): „ De rebus „ vero Ecclesiæ quæritur, an liceat eas per præbendas „ dividi, ut annuos reditus quisque sibi specialiter vindicet? His ita respondetur: sicut perfectione charita„ tis manente, secundum discretionem Ecclesiarum di„ stributio fit Ecclesiasticarum facultatum, dum aliis pos„ sessiones hujus Ecclesiæ ad dispensandum committun„ tur, ex quibus primum tamen sibi & suæ Ecclesiæ „ deservientibus necessarias Episcopus subministret, reliqua „ quæ supersunt, fidelium usibus ministraturus: ita & præ„ bendæ Ecclesiarum, eadem charitate manente, pie & re„ ligiose possunt distribui; nec tunc rebus Ecclesiæ ut „ propriis, sed ut communibus utilitatibus deservituris; „ ut ex his quæ sibi assignata sunt, primum sibi necessa„ ria percipiat; si qua vero suis necessitatibus supersunt, „ in communes usus Ecclesiæ expendat". Hoc est, ut jam diximus, ad reparationem Ecclesiarum, aut ad alendos pauperes; quia bona Ecclesiæ ad tales usus oblata fuere, nec illorum dominium Beneficiati sibi arrogare possunt.

Præterea S. Raymundus de Pennafort (*in summa*, *l*. 2. *tit. de rapt. & prædonibus*, §. 6.) qui collectionem Decretalium summorum Pontificum, jussu & authoritate Gregorii IX. edidit anno 1230. quique idcirco Doctor primæ notæ, & sacrorum Canonum scientia plenus æstimari merito debet, ut & præsentis quæstionis judex valde competens: „ Quid de Prælatis Ecclesiarum, *in*„ *quit*, & aliis Clericis, qui bona Ecclesiastica pauperi„ bus debita consumunt in usus illicitos, videlicet in „ meretricibus, histrionibus, consanguineis, potentibus, „ divitibus, & similibus, & de his etiam faciunt aliqui „ testamentum: numquid tales sunt judicandi raptores? „ Videtur, quod sic. Primo, quia contrectant rem alie„ nam invito domino: ait enim Hieronymus": Quidquid habent Clerici, pauperum est, 16. q. 1. Can. ultimo: *Item Augustinus:* Si privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sint illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus, 12. q. 1. Can. ult.

„ De meretricibus autem, & histrionibus, de quibus „ quæsitum est, dico, Prælatos, & Clericos, qui res „ Ecclesiæ talibus, vel similibus turpibus personis con„ ferunt, vel etiam consanguineis, non propter naturam „ sustentandam, sed ut faciant eos divites de patrimonio „ Crucifixi: item divitibus, & potentibus, non propter „ aliquam causam licitam, vel honestam, sed propter „ favorem sæculi, & pompam: Tales, inquam, Præla„ tos, & Clericos, qui talibus conferunt bona Ecclesia„ stica pauperibus debita, dico esse raptores, & per con-

„ sequens teneri ad restitutionem omnium. (*Ibid.* §. 5.)
„ Sed quid de focariis, & hujusmodi turpibus personis,
„ & aliis supradictis, quæ sic pascuntur, vel ditantur de
„ rebus Ecclesiæ? numquid & ipsi tenentur ad restitu-
„ tionem? Utique .... Sed cui fiet hæc restitutio? Cre-
„ do, quod authoritate judicis pœnitentialis debeat fieri
„ Ecclesiæ, cui sic injuriose ablatum est; item illi ei-
„ dem, qui dedit, nisi cum turpiter dedit: tunc enim
„ non sibi, sed successori suo poterit fieri, vel in utili-
„ tatem Ecclesiæ convertatur, vel etiam ejusdem loci
„ pauperibus, si hoc expedire videbitur, erogetur".

Post ita expressam tanti Doctoris resolutionem, qui certe in hac materia versatissimus erat, vix aliquis potest dubitare, utrum Beneficiati verum dominium habeant redituum Beneficiorum.

Igitur, ut monet Innocentius Papa IV. (*in c. Cum super, de causa possessionis, & proprietatis n. 3.*) *Non prælatus, sed Christus, dominium & possessionem rerum Ecclesiæ habet; unde quæcumque homines offerunt Ecclesiis, dicuntur esse oblata Deo*, Can. Nulli liceat 12. q. 2. *Et si aliquando inveniantur hæc bona Deo oblata, esse Episcoporum, vel Prælatorum, vel Capitulorum: dic, esse eorum quoad gubernationem.*

Unde etiam celebris Doctor Alexander de Hales sic loquitur (*p. 3. q. 36. memb. 5. art. 2. & 3.*); *Clerici qui in malos usus bona Ecclesiæ expendunt, sunt raptores & fures: quod concedimus, secundum Bernardum scribentem ad Canonicum:* Quidquid, præter necessarium victum, & vestitum, de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Sed numquid tenentur ad restitutionem, si habent aliunde, unde possint restituere? Aliud certe non video; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Abbas Panormitanus, qui vulgo *Lucerna juris Canonici* appellatur: *Nota*, inquit (*in c. Cum secundum, de præb. n. 2. & 4. in hæc verba, Clerici vivere debent de patrimonio Jesu Christi*), *contra Beneficiatos convertentes reditus in usus inhonestos, & crederem, quod si haberent patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ, quod male expenderunt.* Can. 1. & 2. 12. q. 4. *Bona Ecclesiarum non sunt Prælatorum, sed patrimonium Jesu-Christi suo sanguine acquisitum: dominium ergo Ecclesiarum pertinet ad Deum, & est contra Prælatos reputantes se dominos.*

Bona Ecclesiarum, ut docet B. Albertus Magnus (*in 4. sent. dist. 5. art. 4. ad 1.*), *non sunt data Prælatis ad possidendum, sed ad dispensandum ad usus aliorum, scilicet pauperum; unde non possunt emere, vel vendere, vel etiam dare pro libito suo, cui volunt; sed ad necessitates generales Ecclesiæ sunt expendenda.*

Demum Sanctus Antoninus hanc quæstionem pleno calamo resolvit his verbis (*in summ. p. 3. tit. 15. §. 19. c. 1.*):

c. 1.): „ De bonis, seu fructibus Beneficiorum, quæ „ dant Clerici consanguineis, vel personis turpibus, u- „ trum in dando peccent, & an teneantur ad restitutio- „ nem? Super hoc dicit Raymundus, quod Clerici, qui „ consanguineis potentibus, vel meretricibus, & histrio- „ nibus, & similibus, bona Ecclesiastica pauperibus de- „ bita tribuunt, raptores sunt; quia quidquid Clerici ha- „ bent, pauperum est. *Can. ultimo* 16. *q.* 1. Nam pau- „ peribus debentur, unde ad restitutionem tenentur o- „ mnium pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ. *Idem* „ *videtur sentire S. Th.* 2. 2. *q.* 186. Quidam dicunt, „ quod illud, quod Clerici in malos usus consumunt de „ patrimonio Jesu-Christi, non tenentur restituere de „ proprio; quia sunt domini. Argumentum etiam ad „ hoc est *cap.* 1. *De Clericis non residentibus in* 6. ubi „ dicitur, quod qui non interest Horis sine causa ratio- „ nabili, si recipit distributiones quotidianas, quæ pro „ hujusmodi dantur, non facit eas suas, sed tenetur ad „ restitutionem; ergo a contraria, si interest Horis, facit „ eas suas, & si male expendit, non tenetur ad restitu- „ tionem. Alii dicunt, quod non habet fructum favore „ sui, sicut pater in bonis filii adventitiis, quorum fru- „ ctus, si male consumat, non tenetur restituere; sed „ pro bono Ecclesiæ, & pauperum facti sunt administra- „ tores, & tutores, qui sunt quasi domini, sed non „ quando pupillum spoliant. Et ideo sicut illi possunt „ sibi victum, & vestitum retinere, & bene meritis da- „ re, sed si male expendunt, tenentur restituere, sic & „ isti. Et istud magis consonat dictis Sanctorum, & Ju- „ ri Canonico.

Post tot perspicuas authoritates, & expressas decisiones summorum Pontificum, Conciliorum, ac sanctorum Patrum, & Doctorum, vix credi potest, aliquem ita cæcutire velle, ut a tantorum hominum constanti doctrina recedens, sibi in animum inducat, Beneficiatos esse veros redituum Beneficiorum dominos; is certe, qui hanc imaginarii dominii opinionem retinet, ne quid majus dicam, saltem opinionem tutiorem, & probabiliorem deserit, ut minus probabili, & minus tutæ cum magno salutis æternæ periculo imprudenter adhæreat.

Quæst. 6. Potest-ne eadem veritas oratione probari, & suaderi?

Resp. Licet, ne prolixus sæpius viderer, ut plurimum abstinuerim a multis rationibus exponendis, quæ conclusiones meas aliquo modo fulcire potuissent; quia scilicet, brevitati studens, illas satis superque authoritate Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & sanctorum Patrum munitas esse existimavi: nihilo tamen minus, ne quid prætermisisse videar, quod conferre possit ad suadendam, & insinuandam in Ecclesiasticorum animos doctrinam, quæ in praxi maximi momenti est; non inutile neque tædiosum fore putavi, aliquas afferre rationes, quibus

pateat, Beneficiatos non esse veros redituum suorum dominos.

Primo, quia omnia bona Ecclesiæ, omnesque proinde Beneficiorum reditus, a fidelibus Deo, & Ecclesiæ oblata, & consecrata fuerunt, non autem Beneficiatis; igitur Beneficiati illorum dominium non habent, cum ad illos translatum non fuerit a veris, & legitimis dominis, quod quidem eo certius, & constantius est, quod omnia propemodum Beneficia a fidelibus fundata fuerunt, ut Deo bona sua consecrarent ad redimenda peccata, juxta modum loquendi usitatum a sanctis Patribus, & Conciliis, in quibus Beneficia vulgo pretia peccatorum vocantur.

Secundo, quia, ut in Libro de vita Contemplativa dicitur (*S. Prosper, vel Julian. Pomerius lib. 2. de vita contempl. c. 16.*), cujus verba variis Conciliis fuerunt inserta, res, quæ semel Deo consecratæ, & oblatæ sunt, in usus profanos deservire non debent: „ Si Dei sunt ea, „ quæ conferuntur Ecclesiæ, Dei opus agit, qui res Deo „ consecratas, non alicujus cupiditatis, sed fidelissimæ „ dispensationis intentione, non deserit. Quapropter pos„ sessiones, quas oblatas a populo suscipiunt sacerdotes, „ non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei. „ Quoniam si vestes, ac vasa, & cætera, quæ in sacros „ usus ministrantibus erant, sancta vocabantur; nec in „ usus humanos revocari jam poterant, divinis semel mi„ nisteriis consecrata: quomodo non ea, quæ conferun„ tur Ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus non ut sæ„ culi rebus luxuriose, sed sancte ut Deo consecratis u„ tuntur ad necessaria sacerdotes " ? Quia scilicet illis ab Ecclesia non alia de causa commissa sunt, & sub hac conditione pluribus in Conciliis expressa, & a multis sanctis Patribus explicata.

Tertio, omnia Ecclesiæ bona, tam antiqua, quam nova sunt ejusmodi naturæ, cum omnia fuerint Deo consecrata ob eosdem fines. Atqui constat, nec Episcopos, nec alios Clericos olim habuisse dominium bonorum Ecclesiasticorum, sed tantum meram dispensationem; proindeque eos ex justitia obligatos fuisse iis tantum uti ad alendos Ecclesiæ ministros, & pauperes, & ad restaurandas Ecclesias, quia hæc bona illis concessa fuerant sub hac expressa conditione. Cum igitur natura bonorum Ecclesiæ per eorum divisionem non fuerit mutata, Clerici hujus temporis non magis sunt domini horum bonorum, quam ii, qui prioribus sæculis vixerunt, qui certe illorum dominium nullo modo habebant.

Demum Beneficiati non potuerunt acquirere dominium redituum ex Beneficiis provenientium, nisi per voluntatem fundatorum, aut Ecclesiæ concessionem; atqui fundatores sua bona Deo, & Ecclesiæ consecrarunt, non autem singularibus Ecclesiasticis, ut jam diximus. Harum fundationum, seu donationum egregia formula in

Ca-

Caroli Magni Imperatoris Capitularibus invenitur his verbis (*In Capitularibus collectis a Benedicto Levita, lib. 7. cap. 132. Capitulari 8. lib. 3.*); „ Offero Deo, „ atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenen„ tur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac „ parentum, & filiorum, ad serviendum ex his Deo in „ sacrificiis, Missarumque solemniis, orationibus, lumi„ nariis, pauperum, ac Clericorum alimoniis, & cæteris „ divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. „ Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, ab„ stulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas „ offero, atque dedico, districtissimas reddet rationes ". Unde etiam cum sibi objecisset S. Thomas (*in epist. 2. ad Corint. c. 12. lect. 5.*): *Videtur, quod male fecerint Principes & alii dando divitias Prælatis*, respondit: *Dicendum est, quod non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur tamquam pauperum dispensatoribus.*

Neque cum aliquo fundamento præsumi potest, Ecclesiam dominium redituum Beneficiorum in Beneficiator transtulisse, cum nullibi hanc prætensam intentionem expresserit, imo oppositum pluribus in Conciliis declaraverit, vocans eos Procuratores, Depositarios, Tutores, Œconomos, & dispensatores dictorum fructuum, tam ante, quam post divisionem illorum redituum in quatuor partes, ac postmodum in plures varias portiones, & præbendas.

Neque etiam dici potest, quod Episcopi, dum instituerunt varia Beneficia, ut se ab onere tantæ administrationis, & dispensationis omnium bonorum, & redituum totius Diœcesis liberarent, & omnem in talibus calumniandi ansam tollerent, plus juris concedere Beneficiatis voluerint, quam ipsimet haberent ante illorum divisionem; & Clericos constituere dominos fructuum, quorum ipsi erant tantum dispensatores. Ergo Beneficiati non possunt dici veri domini fructuum ex Beneficiis provenientium, & quidquid habent, pauperum est.

Hæc maximi ponderis veritas expressis verbis confirmatur in celebri Synodo Veliterna, non ita pridem ab Eminentissimo Cardinali Cibo congregata (*anno 1698. tit. 25. n. 12.*): *Quicumque*, inquit Sacri Cardinalium Collegii Decanus, *reditus Ecclesiasticos possident, noverint, res Ecclesiæ nihil aliud esse, quam vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, earumque propterea ministros se esse, non dominos; ut, quod illis superest, pauperum necessitatibus erogent.*

Unde Eminentissimus Cardinalis de Angelis in Synodo Nonantulæ (*ann. 1698. c. 8.*) diserte statuit, ut beneficiati „ superfluos Ecclesiæ reditus in pios usus expen„ dant, memores, illorum non esse dominos, sed tan„ tum commendatarios, & administratores: ex illis nec

„ consanguineos suos, nisi forte sint pauperes, & in „ necessitate constituti, coadjuvent, nec in profanos „ usus profundere quidpiam audeant: sed quæ ipsorum „ congruæ sustentationi supersunt, in pauperes potissi- „ mum, in Ecclesiæ beneficium, vel in alia pia opera „ distribuant “.

Et Carolus Cardinalis Rossetus, in Synodo Faventina (*ann.* 1674. *p.* 3. *c.* 11. *n.* 29. *& c.* 5.), advertit, quod „ adeo ab omni avaritiæ specie Clerici sint alieni, „ ut etiam qui Beneficio potiuntur, Divini se procura- „ tores cultus, pauperum œconomos, ac patres esse me- „ minerint. Ecclesiastica itaque bona, & reditus beneficio- „ rum, qui suæ congruæ sustentationi supersunt, absit, ut „ tamquam proprios, consanguineis, aut famulis ditandis „ temere impendant, vel alios in usus, quam Ecclesia- „ sticos, & Christianorum fratrum indigentium con- „ vertant; Vota enim fidelium sunt, pretia peccatorum, „ & pauperum patrimonia “.

Et paulo infra; *Parochi*, inquit idem Cardinalis, *pauperum patres, & bonorum ecclesiasticorum commendatarii sunt, non domini*.

Quæst. 7. Quæ est in hac quæstione Sancti Thomæ opinio?

Resp. Quamquam dicere possumus, post tot Concilia, sanctosque Patres, qui asserunt, Clericos non esse dominos, nec verum habere dominium redituum Beneficiorum suorum, nullo modo necesse esse Doctoris Angelici mentem, ac doctrinam hac in re investigare; nihilo tamen minus, ut omnes intelligant, quanta veneratione prosequamur Scholæ Angelum; & ne quis objicere possit, licet sine justo, & rationabili fundamento, tanti Doctoris doctrinam cum ea, quam modo exposuimus, non esse conformem, juvabit paucis expendere quid senserit.

Sanctus Doctor de hac materia locutus est variis in locis, in Quodlibeto 6. art. 12. in Summa 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7. qu. 119. art. 3. ad 1. & q. 185. art. 7. in corp. & in Commentariis in Epistolam Sancti Pauli. Licet autem Angelicus Doctor singulari quadam perspicuitate mentem suam ut plurimum aperire soleat, nullumque relinquat de veritate opinionis, & mentis suæ dubitandi locum; fatendum tamen, illum in hac quæstione resolvenda verbis ita in speciem ambiguis usum esse, ut etiam si insigniores illius discipuli significarint, docuerintque, quod juxta ejusdem Sancti Doctoris mentem, Beneficiati non possunt esse domini redituum Beneficiorum suorum; attamen nonnulli reperti sunt, qui contrario plane modo illius mentem interpretati sunt, & fundamentum suæ sententiæ hauserunt ex Quodlibeto 6. art. 12. Verum illis sæpe responsum est, Angelicum Doctorem, qui passim in suis libris tantam venerationem erga Ecclesiæ, & Conciliorum Decreta, ac Sanctorum Patrum, qui illum præcesserunt, sententias profitetur, quique numquam a Canonicis decisionibus re-

cessit,

cessit, in hac certe materia a communi, & universali doctrina noluisse recedere, & novam obtrudere opinionem, antiquis legibus, & sanctioribus Ecclesiæ regulis contrariam. Sanctus Doctor clarius mentem suam aperuit, & juxta Ecclesiæ traditionem locutus est in summa, quæ cum sit ultimum, & præcipuum ejus opus, ac id, ex quo vera ejus sententia ut plurimum colligitur, majus certe pondus apud viros prudentes semper habuit. Ibi igitur expresse dicit, de primo & summo Beneficiario, summo scilicet Pontifice, loquens (2 2. *q*. 100. *art*. 1. *ad* 7.): *Quamvis res Ecclesiæ sint Papæ, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut domini, & possessoris*. Et inferius (*Ib*. *q*. 119. *art*. 3. *ad* 1.); *Clerici sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant, prodige expendendo*. Præterea in alia ejusdem Summæ quæstione sic habetur (*Ib*. 385. *art*. 7. *in corp*.): *Sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores: dicit enim Augustinus:* Si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus; non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus; *Ad dispensationem autem requiritur bona fides, secundum illud* 1. *ad Corinth*. 4. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.

Denique Doctor Angelicus mentem suam dilucide admodum aperit in præclarissimis suis in Epistolas Sancti Pauli Commentariis: *Videtur*, inquit (*in epist*. 2. *ad Corinth*. 12. *lect*. 5.), *quod male fecerint Principes, & alii, dando divitias Prælatis*. Responsio: *Dicendum est, quod non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur tamquam pauperum dispensatoribus*.

Hæc Divi Thomæ loca ita expressa, & perspicua visa sunt illustrioribus illius discipulis, ut non dubitarint asserere, Doctorem Angelicum dicere, Clericos non habere dominium redituum Beneficiorum. Vidimus superius, sanctum Antoninum (*in summa p*. 3. *tit*. 15. *c*. 1. §. 19.) hanc conclusionem firmare authoritate sancti Raymundi, & sancti Thomæ: „ De bonis, seu fructibus beneficiorum, *inquit*, quæ dant Clerici consanguineis, vel personis turpibus, utrum in dando peccent, & an teneantur ad restitutionem? Ad restitutionem tenentur omnium pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ. " Idem videtur sentire D. Thomas 2. 2. q. 185.

Joannes Major (*n*. 4. *sent*. *dist*. 24. *q*. 16. & 17.), celebris Doctor Parisiensis, hanc sententiam authoritate etiam S. Thomæ probat his verbis: *Nullus stat formalior pro conclusione quam teneo, quam ipse S. Thomas*.

Petrus Soto (*in institutionib*. *lib*. *de vita sacerdotali lect*. 9.), celebris & pius Dominicanus, qui Concilio Tridentino interfuit, dum eamdem conclusionem firmat, se fideliter opinionem Sancti Thomæ sequi asserit.

Mat-

Martinus ab Alspilcueta, Navarrus vulgo dictus, hanc etiam opinionem sancto Thomæ tribuit, & de ea loquitur his verbis (*lib. de reditib. Ecclesiasticis q. 3. Et in Apolog. ejusdem libri: Et in propugnaculo ejusdem Apolog.*): *Opinio videtur jam facta de fide necessario credenda.*

Cardinalis Cajetanus (*2. 2. q. 43. art. 8. & q. 85. art. 7. apud Paul. Comitol. lib. 1. Respons. Moral. q. 70.*), in suis doctissimis Commentariis in Summam divi Thomæ, eamdem opinionem cum Angelico Doctore sequitur.

Michael Medina (*l. 7. c. 11. de recta in Deum fide, apud Boinsfeld. p. 4.*) magni nominis Thomista; *Vocat contrariam sententiam sacrilegam, & exclusisse Evangelicum ministerium ab eo tempore, quo in Scolas irrupit.*

Demum Eminentissimus Cardinalis Capisuccus (*Ord. Præd. controv. ultima. De obligatione Ecclesiasticorum de eleemos. §. 5.*), illustris Sancti Thomæ discipulus, dum de hac materia ex professo tractat, sic loquitur: „ Sancti Doctoris sententia est, quod Episcopus licite „ possit ex massa detrahere partem sibi, ac proprio sta„ tui convenientem, cæterarum vero partium pauperi„ bus, ac Ecclesiæ debitarum in eadem massa inclusa„ rum (ut inclusæ dicendæ sunt quando Episcopales re„ ditus valde locupletes sunt, & notabiliter excedentes „ necessarium ad congruam sustentationem) si de illis „ multum tangat, sibique arroget, peccat contra fideli„ tatem & consequenter contra justitiam, & ad restitu„ tionem teneatur . . . . Ex dictis constat, Episcopos, „ & Beneficiarios, Ecclesiasticorum redituum superflua „ in pauperes, & in alios pios usus non erogantes, ne„ dum contra charitatem peccare, sed etiam contra ju„ stitiam, & ad restitutionem teneri. Confirmari au„ tem hæc possunt a signo: nam & modo summi Pon„ tifices sub onere dispensandi superflua in pauperum a„ limenta, & in alios pios usus, Abbatias ipsis etiam „ Cardinalibus commendant. Unde in diplomatibus præ„ cipiunt, ut tertiam partem fructuum, & redituum „ conferant in fabricam Ecclesiæ, vel in alimoniam „ pauperum: idque generaliter etiam statutum fuit in „ Constitutione Leonis X. in Concilio Lateranensi, quæ „ incipit: *Superne*, ubi præcipitur, quod litteræ, quæ „ super Monasteriorum commendis expediuntur, cum „ clausula onus illud specifice exprimente debeant expe„ diri: alioquin si aliter expediantur, nullius sint ro„ boris, & momenti “.

Quæst. 8. Cum Beneficiarii non faciunt expensas statui convenientes, & sic partem redituum reservant, sunt-ne domini illius portionis ex parsimonia provenientis, & possunt-ne de eadem pro arbitrio disponere?

Resp. Cum Beneficiati nihil prorsus sumere possint de reditibus Ecclesiæ, sibique vindicare, nisi necessarium sit ad sustentationem honestam, ut sæpius probatum est superius: & hi, qui aliquid sibi ex parsimonia subduxe-

duxerunt, iis tantum indigerent quæ de reditibus Ecclesiæ, seu Beneficiorum consumpserunt: omnibus circumstantiis attente coram Deo perpensis, consequens est, eos de reliquo disponere non posse, nisi in favorem pauperum, aut Ecclesiæ, juxta constantem, & perpetuam sanctorum Canonum, & sanctorum Patrum doctrinam: maxime cum ea sit Ecclesiasticorum bonorum natura, ut impendi non possint, nisi ad alendos Clericos, vel pauperes, aut ad Ecclesias reparandas, vel ornandas: unde quidquid qualibet parsimonia subductum fuit, etiam ex his, quæ quasi necessaria videbantur, ex reditibus Ecclesiasticis, in alios usus non debet insumi; quia, juxta Canonem Urbano primo tributum (*Can. Res Ecclesiæ*. 12. *q*. 1.): *Res Ecclesiæ, non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore non in alios, quam in præfatos usus, sunt fideliter dispensandæ*.

Quare sordida illa Beneficiatorum avaritia, qui sibi necessaria subtrahunt, ut consanguineos ditiores efficiant, nullatenus potest abusum illum Ecclesiasticorum bonorum comprobare, licitumque reddere, dum multa congerunt, ut avaritiæ, & ambitioni satisfaciant, consanguineos carnali affectu augentes.

Unde etiam Concilia, quæ prohibent ne Clerici consanguineos ditiores efficiant ex reditibus Ecclesiæ, generaliter & sine restrictione loquuntur de quibuscumque Ecclesiæ bonis, & ne cogitarunt quidem ea excipere bona, quæ sordida Beneficiatorum avaritia sibi quandoque, cum non parvo status Ecclesiastici dedecore, subtrahit; ut patet ex Concilio Tridentino (*sess*. 25. *de ref. c*. 1.), in quo sic generaliter, & sine exceptione habetur: „Omnino „vero eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consangui- „neos familiaresve suos augere studeant, cum & Apo- „stolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, „quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes „sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non di- „strahant, nec dissipent illorum causa, imo, quam ma- „xime potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem hu- „manum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque car- „nis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia se- „minarium extat, penitus deponant".

Demum Alexander Papa III. (*c. Quia nos, de testam.*) omnia bona Ecclesiastica sine exceptione includit, dum sic decernit: *De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum*. Et in Concilio Lateranensi (*Conc. Gen. Lateran*. 3. *Can*. 15.) includuntur omnia *Bona per Ecclesias acquisita*.

Quæst. 9. Canonici, & alii Choro addicti, habent ne majorem facultatem disponendi de bonis ex quotidianis distributionibus provenientibus, quam de aliis Beneficiorum reditibus?

Resp. Cum hæc omnia bona sine discrimine inter reditus Ecclesiasticos computentur, & Deo pariter conse-

crata

crata sint, consequens est, ea esse ejusdem naturæ, & distributiones quascumque ad alios usus destinari licite non posse, quam ad eos, ad quos cæteri Ecclesiæ reditus applicari debent. Nec diversitas aliqua reperiri potest sub specioso prætextu, quod distributiones sunt velut quædam salaria, & mercedes assiduæ in Choro præsentiæ; nam, ut egregie docet S. Thomas (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *in corp.*), „ Accipere aliqua ad sustentationem eo„ rum, qui Sacramenta Christi ministrant, non est pec„ catum; non enim sumitur tamquam pretium mercis, „ sed tamquam stipendium necessitatis; & ut ait Augu„ stinus lib. de Pastoribus, cap. 2. qui præsunt Presby„ teri, accipiant sustentationem necessitatis a populo, „ mercedem dispensationis a Deo". Quod idem sine dubio de distributionibus dici debet.

Unde in Concilio Aquisgranensi (*a.* 816. *c.* 107. *ex S. Prospero*) dicitur: *Quod si quilibet Minister Ecclesiæ non habeat, unde vivat, non ei præmium reddat hic, sed necessaria præstet Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat.*

Quod quidem eo certius videri debet, quod si distributiones omnino tamquam veræ mercedes darentur, simoniacæ videri possent, quia scilicet temporale pro pretio rei spiritualis daretur.

Ea vero objectio, quæ desumitur ex quibusdam Concilii Tridentini verbis (*sess.* 24. *de ref. c.* 3.), non multum urget; dicitur quidem in Concilio, quod *Qui eas*, scilicet distributiones, *obtinent, si personaliter competens sibi servitium, juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant:* sed verba Concilii non intelligenda sunt de vero, absolutoque dominio, sed potius de facultate quadam, quæ speciem, & similitudinem habet dominii: & Concilium solummodo his verbis utitur, quia cum dominium nihil aliud sit, quam facultas libere de re aliqua disponendi, nisi vi, aut jure prohibeatur, & Ecclesiastici de reditibus Beneficiorum disponere possint, eosque insumere, ut honeste vivant, Ecclesias ornent, aut pauperes alant; inde sequitur, quod speciem quamdam dominii in dictos reditus habeant: quod tamen dominium integrum non est, & absolutum, sed potius a Sacris Canonibus restrictum, & ab ipsamet bonorum Ecclesiasticorum natura, quæ converti non possunt in prophanos usus.

Quin etiam ipsum Concilium insinuare velle videtur, se non de vero, & perfecto dominio, sed tantum de specie quadam dominii limitati, & interpretative sumpti loqui, cum dicit: *Nec ejus quoquo modo dominium acquirant.*

Quæst. 10. Quo tandem modo Beneficiati reditus Beneficiorum impendere debent?

Resp. Ubi de bonis Ecclesiæ sumpserunt id, quod necessarium est ad honeste vivendum, cætera tenentur omnia

omnia pauperibus aut Ecclesiæ distribuere. *Clericus*, inquit sanctus Hieronymus relatus in Canone (*Can. Clericus 12. q. 1.*), *qui Christi servit Ecclesiæ, quasi levita & sacerdos, vivere debet de decimis, & altari serviens, altaris oblatione sustentari: habens victum, & vestitum, his contentus esse, & nudam crucem nudus sequi*. Et in sermone sancto Augustino tributo (*ser. 37. ad Fratres in eremo.*); *Memento, quod pauperum vitam Sacerdos gerere debet; & ideo si superabundantiam habet, si magno gaudet Beneficio, præter victum, & vestitum, quod superest, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt*.

Quæst. 11. Clerici, qui nullum possident Beneficium perpetuum, sed in Vicarii, aut Secundarii officio Ecclesiæ serviunt, aut qui tempore Quadragesimæ, aut Adventus concionantur; possunt ne de bonis hoc modo acquisitis libere disponere? & sunt-ne illorum veri, & absoluti domini?

Resp. Non possunt dici talium bonorum veri domini, sed iis tantum uti possunt ad honestam sustentationem: neque enim verum est, quod ea, quæ dantur Concionatori ad prædicandum verbum Dei, aut Vicario ad inserviendum Parochiæ, sint fructus laborum; quia, juxta constantem sancti Thomæ doctrinam (*2. 2. q. 100. art. 2. in corp.*); „ Accipere alimenta ad sustentationem eorum, qui Sacra„ menta Christi ministrant, non est peccatum; non enim „ sumitur tamquam pretium mercedis, sed tamquam sti„ pendium necessitatis; Et ut ait Augustinus, lib. de „ Pastoribus, cap. 2. Qui præsunt Presbyteri, accipiant „ sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispen„ sationis a Domino. *Et in Canone dicitur* (*Can. Sacer„ dos, 1. q. 2.*), *quod* Non debent in præsenti laboris „ sui fructum, sed in futuro recipere “.

Et ut egregie explicat sanctus Gregorius Papa (*lib. 19. in Job., c. 10.*): Non quod ideo prædicent, ut „ alantur, sed ideo alantur, ut prædicent, id est, ut „ prædicare subsistant; non ut in intentionem sumendi „ victus transeat actio Prædicatoris, sed ad utilitatem „ prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Un„ de a bonis Prædicatoribus non causa victus prædicatio „ impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. „ Et quoties Prædicatoribus necessaria ab audientibus „ conferuntur, non solent de rerum munere, sed de „ conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum di„ citur: Non quæro datum, sed fructum “.

Ratio autem, cur Clerici non habeant talium bonorum verum dominium, sumitur ex eo, quod ut dicitur in libro de vita contemplativa (*lib. 2.*): *Non debent in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro recipere. Quod si quilibet Minister Ecclesiæ non habet, unde vivat, non ei præmium reddit hic, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat;*

quod

quod in hac vita jam spe Dominicæ promissionis expectat. Quia scilicet simoniacum esset, dare spirituale pro temporali.

Unde Sanctus Thomas sic docet (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *in corp.*): *Pro spiritualium administratione aliquid dare, vel accipere tamquam mercedis pretium, simoniacum atque illicitum est; non autem tamquam necessitatis, vel subventionis stipendium*.

Idcirco summi Pontifices, Concilia, & sancti Patres, qui asserunt, Clericos non esse dominos bonorum Ecclesiæ, sed tantum dispensatores, & œconomos, nunquam cogitarunt, a communi sorte horum bonorum ea excipere, quæ in administratione Sacramentorum, aut aliarum rerum spiritualium comparata sunt; est autem placitum, seu axioma Juris tam Canonici, quam Civilis, quod *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*.

Præterea Alexander Papa III. (*c. Quia nos, de testam.*) sic expresse loquitur: *De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum*. Et in alio loco (*Cap. Relatum est auribus, de testam.*): *Bona quælibet per Ecclesiam acquisita, ei debent, juxta Lateranense Concilium, post acquirentis obitum, remanere*. Certum est autem, ea bona, quæ dantur Confessario, Concionatori, aut Vicario, seu Secundario, esse revera bona consideratione Ecclesiæ percepta, & per Ecclesiam, seu ministerium Ecclesiæ acquisita: quia scilicet illis tantum dantur ratione Ministerii spiritualis, & Ecclesiastici, quod exhibent; unde concludendum est, hæc bona ejusdem plane esse naturæ, ac cætera Ecclesiæ bona: & idcirco, post sumptam necessariam sustentationem, reliqua pauperibus, aut Ecclesiæ esse tradenda.

Quæst. 12. Qui habent, unde sustententur ex bonis patrimonialibus, possunt-ne sumere necessaria ad sustentationem ex reditibus Beneficiorum?

Resp. Optandum certe foret, ut Clerici hac in parte plurimorum Canonum sententiam sequerentur in praxi, juxta quos ex patrimonio vivere deberent, & reditus Beneficiorum in pios usus impendere. In Canone sic habetur (*Cap. Illi autem qui* 12. *q.* 1.): „ Illi autem, qui „ tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renunciare non „ possint; si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquunt, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua; quia & ipsi quodammodo sua relinquunt, „ quando propriis contenti rebus, nihil eorum, quæ labori, vel Ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt “. Ex quibus verbis inferri potest, eos, qui non ita perfecti sunt, ut proprio patrimonio renunciare velint, non debere ex Ecclesiæ bonis vivere: quæ data tantum sunt ad necessariam sustentationem eorum, qui altari deserviunt.

Secundo, in Canone (*Can. Sacerdos*, 1. *q.* 2.): *Sacer-*

cerdos, sic legitur: *Clerici pauperes, sive ex nativitate, sive ex propria voluntate, vitæ necessaria ab Ecclesiæ accipiant, quia ad ea accipienda non cupiditas ducit, sed vivendi necessitas cogit.*

Tertio, in Canone (*Can. Episc.* 12. *q.* 1.): *Episcopus*, sumpto ex Concilio Antiocheno, & uno ex Canonibus Apostolicis, sic dicitur; *Episcopus de bonis Ecclesiæ participet, quibus indiget, si tamen indiget, tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo recipiuntur, necessariis usibus profuturis.*

Demum in Canone (*C. Clericos*, 1. *q.* 2.): *Clericos*, ex Epistola sancto Hieronymo tributa, ita habetur: „ Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant, & bibunt ".

Idem sanctus Augustinus asserit in Epistola in Canone inserta (*Ep.* 50. *ad Bon. ref. in Can. Si Privatum.* 12. *q.* 1.): „ Si pauperum, *inquit*, compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autem privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.

Verum hæc eadem veritas plenius explicatur in celebri Concilio Aquisgranensi (*an.* 816. *c.* 107.), ubi sic habetur: „ Cum damno animæ suæ ab Ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiunt illi, qui de suo sibi sufficiunt. Ex S. Prospero, de vita Contemplativa, lib. 2. Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis dicit per Prophetam Spiritus Sanctus, *Peccata populi mei comedent*. Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, suscipiunt; ita possessores, non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt ...

„ Qui autem Ecclesiæ serviunt, & labore suo veluti debita reddi oportere credentes, ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ fideliter servientes, stipendia terrena, ac non potius præmia æterna percipiant. Sæcularis quippe militia, quia cælestia non habet, terrena strenue militantibus præstat. Unde satis indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum, propter stipendium temporale præmia æterna contemnat.

„ Quod si quilibet Minister Ecclesiæ non habet, unde vivat, non ei præmium reddit hic, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe Dominicæ promissionis expectat. Illi quoque, qui velut idonei, nihil sibi qui-

„ dem dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ
„ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali pecca-
„ to cibos pauperum præsumendo suscipiunt, qui Eccle-
„ siam, quam juvare de propriis facultatibus debuerant,
„ suis expensis insuper gravant.

„ Dura sunt, quæ dico, nec ego diffiteor; dura sunt,
„ sed observare nolentibus; cæterum si faciant ista, quæ
„ difficilia non facientibus sunt, statim facilia facien-
„ tibus fiunt. Non ergo ea, quæ nolumus observare,
„ impossibilitas nobis facit dura, sed novitas: in usum
„ veniant, & neminem frequentata conturbant. Nam
„ quæro, quid sit eorum, quæ dixi, difficile, ut homo
„ id, quo opus non habet, ab Ecclesia non accipiat,
„ an ut quod habet, sine causa contemnat? Si propter
„ hoc non vult sua quisque relinquere, ut habeat unde
„ vivat, ut quid accipit, unde rationem reddat? ut
„ quid peccatis alienis sua multiplicat?

„ Quod si putant, (*Ib. c. 109.*) ideò accipi debere eo-
„ rum, quæ conferuntur Ecclesiæ, portionem, ne eam
„ videantur abjicere, se vero non posse sua relinquere,
„ quod eis deforme sit inter suos pauperes reddi: nove-
„ rint esse deformius possessores de eleemosynis paupe-
„ rum pasci".

Harum autem assertionum, quæ in dicto Concilio Aquisgranensi reperiuntur, prima ratio est, quia Beneficiati non vocantur ad vitam voluptuosam, & mollem. *Ac se*, ut monet Concilium Tridentinum (*sess.23. de ref. c. 11.*), *non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant*. Unde etiam sanctus Carolus (*Concil. Mediol. c. 2. 28.*): *A Clero evellatur*, inquit, *& extirpetur prava illa bonorum temporalium cupiditas, & illicitus Beneficiorum Ecclesiasticorum ambitus*. Et sanctus Bernardus de Beneficiis loquens (*lib. de vita, & moribus Cleric. cap. 5.*): *Si illud*, inquit, *eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ necessaria habeat, evangelizat, ut manducet, & perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur*: dum scilicet finem ad media refert, cum tamen e contrario media ad finem referri deberent, dum Deo, & Ecclesiæ inservit, ut vivat, cum tamen vivere tantum deberet, ut Deo, & Ecclesiæ serviret.

Unde etiam merito dici potest, eos Dei, & Ecclesiæ intentioni resistere, qui ex bonis Ecclesiæ ditescere volunt, aut cum luxu vivere; quia hæc bona illis tantum concessa sunt ad necessariam sustentationem. Illi autem, qui patrimonium sufficiens ad sustentationem honestam habentes, ex reditibus tamen Beneficii vivere volunt, ex bonis Ecclesiæ revera ditescunt, aut certe superfluum luxum ostentant.

Quæ cum ita sint, quid sentiendum de Clerico, qui in sortem Domini vocatus, & ad vitæ perfectionem majorem, ac terrenarum, caducarumque rerum contem-

ptum, nihil tamen aliud agere præcipue videtur, nec alio majori duci affectu, quam opes cumulandi? Illi certe Salomonis verba applicari possunt (*Ecclesiastes*, c. 4.): *Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem: & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.*

Secunda ratio ex eo desumitur, quod Beneficia vocentur a sanctis Patribus oblationes fidelium, & patrimonia pauperum: *Res Ecclesiæ*, inquit Urbanus Papa in Canone illi tributo (*Can. Res Ecclesiæ*, 12. *q.* 1.), *non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore, non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ.* Idcirco hæc bona non ab aliis consumi possunt, quam iis, quibus ad honeste vivendum sunt necessaria. Et nullum aliud in ea jus habere videntur quicumque Clerici, & Beneficiati, quam ut ex eis sustententur, si indigeant; aut certe ea in pios usus fideliter distribuant. Quando autem habent aliunde necessaria ad vitam, bonis Ecclesiasticis uti non debeant ad proprios usus, ut patrimonio parcant, & ditiores evadant, aut consanguineos augeant. Sicut enim, juxta omnes Doctores, dives, qui paupertatem simulans, ex oblatis eleemosynis viveret, injustitiam committeret, quia veros pauperes talibus eleemosynis privaret, easque ipsis quodammodo surriperet, quas paupertatis nomine acciperet: ita etiam Beneficiatus, qui patrimonium possidet sufficiens ad sustentationem, ex Ecclesiæ tamen bonis vult vivere, quamdam injustitiæ speciem, juxta sanctos Patres, committit, utendo bonis pauperum ad alendum eum, qui revera pauper non est.

Tertia demum ratio sumitur ex eo, quod Beneficiati, ut supra ostendimus, non sunt veri domini redituum Beneficiorum, quia data tantum sunt ad indigentium sustentationem: iisque uti non possunt, ut patrimonium augeant, aut ut familiares, aut propinquos ditiores reddant. *Bona quippe Ecclesiæ*, ut docet Dionysius Carthusianus (*contra pluralitatem beneficiorum art.* 14.), *sunt stipendia Ministrorum ejus indigentium hujusmodi bonis. Quod si eis non egeant, non sunt capaces talium bonorum ad proprium usum. Verumtamen serviendo Ecclesiæ, faciunt hujusmodi bona esse sua, ut ea indigentibus pie dispensent, non ea sibi thesaurizent, possideant, & immoderate, seu absque necessitate, & indigentia assumant.*

Quæst. 13. Quid respondendum verbis sancti Pauli (1. *ad Cor.* 9.): *Qui altari deserviunt, cum altari participent?* Et (1. *ad Tim.* 5. 18.), *dignus est operarius mercede sua.* Ex his enim Apostoli locis colligi posse videtur, Clericos, qui patrimonium sufficiens possident, vivere posse ex reditibus Beneficiorum.

Resp.

Resp. Dicendum cum sancto Hieronymo, in suis in Epist. ad Titum Commentariis, eos quidem, qui altari serviunt, ex eodem vivere debere, non ditiores fieri: *Vivant*, inquit, *non divites fiant*. Et ita non possunt ali ex bonis Ecclesiæ, quando aliunde habent, unde vivere possint; quia tunc ea bona iis tantum prodessent, ut ditescerent. Et ut habetur in Canone ex sancto Prospero (*Can. Sacerdos*, 1. *q.* 2.): *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edant; & qui altari serviunt, cum altari participent. Qui nisi hoc de contemptoribus suarum facultatum vellet intelligi, numquam secutus adjungeret*: Ita & Deus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. *Quid est aliud de Evangelio vivere, nisi laborantem, inde ubi laborat, necessaria vitæ percipere?* Quare si ex patrimonio vivere possit, ex bonis Ecclesiæ nihil accipere deberet: quia tunc ea bona non necessaria sunt ad vivendum, sed potius ad opes cumulandas: quod est contrarium naturæ bonorum Ecclesiæ.

Sanctus Bernardus (*declam. in hæc verba: Ecce nos reliquimus omnia*), seu potius illius Secretarius Godofredus, Igniacensis & postea Claravallensis Abbas eodem plane modo hæc verba Apostoli interpretatur: Qui altario servit, de altario vivat „: Utinam, *inquit*, de al„ tario, juxta eumdem Apostolum alimenta, & quibus „ tegatur habet, his contentus sit! Tertium ei hoc pe„ riculum est, De altario, inquit, vivat, non super„ biat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra „ Sancti (*id est sancti Hieronymi*) cujusdam plane di„ gnam omni acceptione sententiam ex Clericatu ditior „ fiat: non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabri„ cet, mutans quadrata rotundis: nec loculos inde con„ greget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat. „ Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos „ suos, aut nepotes nuptui tradat. Res pauperum non „ pauperibus dare, sacrilegii crimen esse dignoscitur. „ Sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum: & „ sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi mi„ nistri, & dispensatores, non utique domini, vel pos„ sessores, ultra victum accipiunt & vestitum ".

Quæst. 15. Nonne consuetudo generalis in Ecclesia, conferendi Beneficia Clericis tam divitibus, quam pauperibus sine ullo discrimine, excusare videtur eos, qui ex reditibus Beneficiorum viventes, patrimoniales reditus cumulant, ut ditiores fiant?

Resp. Cum usus bonorum Ecclesiæ per modum eleemosynæ & sustentationis, de jure divino esse videatur, nulla ei potest consuetudo derogare; nec Clerici, sub prætextu talis consuetudinis, ea bona ad alios usus convertere possunt. Quod quidem ex sancto Thoma probari potest, qui loquens de iis, quæ propter administrationem Sacramentorum offeruntur (quorum certe, juxta omnes

Doctores, Clerici magis domini sunt, quam Beneficiati redituum Beneficiorum), sic loquitur (2. 2. *q.* 10. *art.* 2. *in corp.*) : „ Accipere pecuniam pro spirituali Sacramen-
„ torum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla con-
„ suetudine potest excusari ; quia consuetudo non præju-
„ dicat juri naturali vel divino : Accipere autem aliqua
„ ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi mi-
„ nistrant, non est simonia, neque peccatum ; non enim
„ sumitur tamquam pretium mercedis, sed tamquam sti-
„ pendium necessitatis ".

Enimvero nulla consuetudo id efficere potest, ut reditus Beneficiorum, qui dati sunt Beneficiatis propter officium, quod exhibent Ecclesiæ, quod certe est spirituale, illis ob aliam causam dati sint, quam ad honestam sustentationem seu alios pios usus.

Quæst. 15. Si Beneficia data sint tantum ad Clericos honeste alendos, cur igitur permittit Ecclesia, ut conferantur his, qui sufficiens possident patrimonium? Et cur reperiuntur Beneficia, quorum longe majores sunt reditus, quam par sit ad Beneficiati sustentationem?

Resp. Sanctus Thomas hanc quæstionem optime solvit, dum dicit (1. 2. *q.* 87. *art.* 5. *ad* 1.) : *Decimæ dantur Clericis, non solum propter sustentationem, sed etiam ut ex eis subveniant pauperibus, & ideo non superfluunt, sed ad hoc necessariæ sunt* (*Ibid. art.* 1. *ad* 4.). *Et ipsæ etiam decimæ, quæ Ministris Ecclesiæ dantur, per eos debent in usus pauperum dispensari.*

Unde etiam, juxta Innocentium IV. Papam (*in c. Postulastis, de rescriptis.*), *Clericus habens patrimonium, non indigne accipit Beneficium, dummodo bene dispenset.* Nam, ut docet Beatus Albertus Magnus (*in* 4. *sent. dist.* 25. *art.* 4. *ad* 1.), *Bona Ecclesiarum non sunt data Prælatis ad possidendum, sed ad dispensandum ad usus aliorum, scilicet pauperum.*

Quæst. 16. Sacerdotes, qui habent unde honeste vivant, possunt-ne accipere consuetam eleemosynam pro celebratione Missæ & ea uti ad sustentationem?

Resp. Ex his quæ superius dicta sunt, inferri facile potest, sacerdotes non debere ita se gerere, quia hæc retributio dari non potest, nisi per modum eleemosynæ ; & contra justitiam agere videtur, qui habens aliunde, unde vivat, eam sibi servat eleemosynam, quæ nonnisi in pauperes, aut alios pios usus debet impendi : *Si Sacerdos,* inquit Angelicus Doctor (*in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 4.) *non habet alios sumptus, potest aliquid accipere pro celebratione Missæ, non tamquam pretium, sed tamquam sustentamentum vitæ.* Quæ verba satis ostendunt, Doctorem Angelicum eos tantum reprimere voluisse, qui habentes unde aliunde possint honeste vivere, sibi tamen hanc Missæ eleemosynam retinent : non autem eos, qui eam accipiunt, ut pauperibus, aut Ecclesiæ applicent.

Quæst. 17. Possunt-ne Beneficiati moriendo, ad beneplacitum de rebus illis disponere, quas ex reditibus Beneficiorum compararunt?

Resp. Hæc veritas, quam supra solidis probationibus stabilire curavimus, nimirum Beneficiatos non esse dominos redituum Beneficiorum, sufficere plane deberet ad ostendendum, Clericos non posse Testamento relinquere bona ex reditibus Beneficiorum acquisita, nisi pauperibus aut Ecclesiæ; quia cum hæc bona in illorum dominio proprie non sint, & eorum œconomi & dispensatores potius quam domini sint, juxta constantem Conciliorum & sanctorum Patrum doctrinam; consequens est profecto, Beneficiatos de illis non posse in morte disponere, nisi tamquam œconomos in favorem pauperum, aut Ecclesiæ.

Per multa sæcula Ecclesiastici nulla omnino Testamenta condebant, dum nulla prorsus retinebant bona patrimonialia: & ita post illorum mortem, omnia ab ipsis relicta, tam mobilia, quam immobilia, Ecclesiæ esse censebantur. Verum si Episcopus aut Presbyter aliqua propria bona possidebat, aut ex successione alicujus cognati collecta, aut per donationem acquisita, sine ulla Ecclesiæ consideratione, de his pro arbitrio vivens, aut moriens disponere poterat: quia Ecclesia nullum prorsus prætendebat jus in hujusmodi bona. Unde in uno ex Canonibus Apostolorum sic habetur (*Can.* 40. *Apostol. refertur in Can. Sint manifestæ*, 12. *q.* 1.); Sint manifestæ res „ propriæ Episcopi, si tamen habet proprias, & manifestæ Dominicæ; ut potestatem habeat de propriis mo„ riens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, re„ linquere, ne sub occasione Ecclesiasticarum rerum inter„ cidant res Episcopi; justum enim est apud Deum pariter „ & homines, simul ne Ecclesia, per ignorationem rerum „ Episcopi, damni aliquid sustineat; simul ac Episco„ pus, aut cognati ejus, prætexu Eccl. obcædantur".

Hunc Canonem sequitur Concilium Antiochenum (*anno* 341. *Can.* 24.) his verbis: „ Manifesta sint, „ quæ pertinere videntur ad Ecclesiam cum notitia Pre„ sbyterorum & Diaconorum: ut si contigerit Episco„ pum migrare de sæculo, nec res Ecclesiæ depereant, „ nec quæ propria probantur Episcopi, sub occasione „ rerum Ecclesiæ pervadantur; justum namque & acce„ ptum coram Deo & hominibus est, ut sua Episcopus „ quibus voluerit derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, „ eidem conservantur Ecclesiæ".

Unde Patres in Concilio Carthaginensi tertio congregati (*Can.* 49. *refertur in Can. Placuit*, 12. q. 3.), ne fraudibus daretur locus, sic statuerunt: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel Clericatus sui, agros vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tamquam rerum Dominicarum invasionis*

sionis crimine teneantur obnoxii, nisi admoniti, Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod ipsorum proposito congruit.

Sanctus etiam Hieronymus docet (*in Ezech. c.* 46.), quod „ Sacerdotes ipsis quoque filiis suis, quibus paterna „ debetur hæreditas, nihil debent derelinquere, nisi quid „ sibi a parentibus derelictum est: ergo qui ditior est Sa„ cerdos, quam dum venit ad sacerdotium, quidquid plus „ habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, & san„ ctis fratribus, & domesticis fidei, qui vincunt merita li„ berorum, ut reddat ea quæ Domini sunt, Domino suo. „

Quia, ut diserte statuitur in Concilio Agathensi (*Can.* 84. *refertur in Can. Episcopi*, 12. *q.* 1.) *Episcopi de rebus propriis vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant, quidquid vero de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus.*

Unde etiam sanctus Gregorius Papa scribens filio cujusdam Episcopi defuncti, qui Episcopalem domum occuparat: „ Dicitur, *inquit*, quod & Episcopum detineas „ & occasione blandiaris, ut Episcopi patris tui vestes „ tibi, vel alia quæ in Episcopo inventa sunt, appli„ ces: & ideo, si ita est, & ab Episcopio te præcipi„ mus sine mora recedere, & quidquid pater tuus Epi„ scopatus sui tempore de proprio Ecclesiæ constiterit ac„ quisisse, ne tollas: quia & sacris Canonum legibus es„ se noscitur definitum, ut in his quæ Antistites Episco„ patus tempore acquisiverint, non alius nisi sola succe„ dat Ecclesia“.

Ex hac S. Gregorii Epistola colligi potest (*l.* 9. *ep.* 13.), sacros Canones non solum prohibere ne terræ, seu fundi, & immobilia bona ex Ecclesiasticis reditibus comparata, consanguineis relinquantur; sed ne quidem permittere, ut iisdem pecuniæ, mobilia, aut ipsæ etiam vestes Ecclesiæ reditibus comparatæ concedantur.

Verum quia multi, qui carni & sanguini non omnino renunciarunt, ægre admodum se his sanctis regulis subjicient: varii Beneficiati, qui has constitutiones circa nonum Ecclesiæ sæculum, eludere tentarunt, bona ex reditibus Ecclesiasticis acquirebant sibi alterius nomine, ut ea postmodum consanguineis relinquere possent.

Unde Patres in Concilio Parisiensi sexto congregati (*anno* 829. *L.* 1. *c.* 16.), huic malo mederi cupientes, ista statuerunt: „ Quoniam multi Episcoporum, amore „ propinquorum suorum de rebus sibi commendatis, suo „ aut quorumlibet amicorum nomine, prædia aut man„ cipia emunt, & ut in suorum propinquorum jus ce„ dant, statuunt, & ob hoc & jura Ecclesiastica con„ velluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, imo a „ subditis detrahitur & contemnitur: placuit omnibus,

„ ut hoc avaritiæ genus caveatur, fixumque abhinc & „ perpetuo mansurum esse decrevimus, ut Episcopus res „ sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certe in E- „ piscopatu, hæreditaria successione acquisivit, secundum „ authoritatem Canonicam, quidquid vult faciat, & cui „ vult conferat. Postquam autem Episcopus factus est, „ quascumque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut „ alterius nomine, qualibet conditione comparaverit, „ decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in „ Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. Similiter & de „ Presbyteris, qui de Ecclesiarum rebus, quibus præ- „ sunt, prædia eo modo emunt, faciendum statui- „ mus".

Quare, juxta hujus celebris Concilii Decretum, Beneficiati nihil omnino de reditibus Ecclesiasticis, quæ quocumque modo sibi reservarunt, propinquis aut amicis concedere possunt: quia scilicet hos reditus possident per modum depositi Deo consecrati, & pauperibus alendis destinati, ex quo nihil aliud sibi assumere possunt, quam quod est necessarium ad honestam sustentationem, & ut in eodem Concilio habetur: *Non sunt res Ecclesiæ ut propriæ, sed ut Dominicæ, & a Domino commendatæ, tractandæ.*

Unde etiam, juxta idem principium, Paschalis Papa secundus ad Episcopum Augustodunensem scribens (*ep. 35. ad Episcop. Augustod.*): „ Illud autem, *inquit*, „ Apostolica authoritate statuimus, ut nulli Presbytero „ vel viventi, vel morienti, seu ad aliam regionem vel „ quietam vitam transeunti, liceat res, quas a die ordi- „ nationis suæ, in Ecclesia in qua est ordinatus, con- „ quirere poterit, auferre vel minuere: sed intacta ea „ & illibata, in ipsa in qua conquisita sunt, permittat „ Ecclesia permanere".

Demum Concilium generale Lateranense, (3. *anno* 1579. *Can.* 15. *refertur in Can. Cum de Officiis, de te- stam.*) varios abusus hac in re abolere satagens: „ Ec- „ clesiastici, *inquit*, quidem Clerici, cum ab Ecclesiis „ suis multa bona perceperint, bona per Ecclesias ac- „ quisita, in alios usus præsumunt transferre. Hoc igi- „ tur, quia & antiquis Canonibus constat inhibitum, „ nos etiam nihilominus inhibemus. Indemnitati itaque „ Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesse- „ rint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias ea- „ dem bona præcipimus remanere".

Quoniam autem nonnulli de sensu hujus Canonis disputabant, dubitantes, utrum tam de mobilibus, quam de immobilibus bonis a Beneficiatis comparatis intelligendus esset; Alexander Papa III. qui huic Lateranensi Concilio præfuerat, dubium illud resolvit his verbis; (*c. Ad hæc, de testam.*) *Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt. Viventes tamen, & sui compotes, moderate valent aliqua*

de

de bonis ipsis, non ratione Testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti.

Et ita Canones cavent, ne Clerici Testamentum condant, aut moriendo disponant de bonis mobilibus aut immobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, volentes ut pauperes aut Ecclesia ea hæreditate gaudeant; quia cum hæc bona ab Ecclesia profecta sint, ad eamdem necessario redire debent: & cum hostiæ quædam sint precibus votisque fidelium Deo consecratæ, in profanos usus insumi non debent. Præterea cum Beneficiati sint tantum depositarii & œconomi, non autem veri domini talium bonorum, consequens est, eos de his moriendo non posse ad libitum disponere; quandoquidem cessat eo tempore hoc eorum depositum, & aliunde non possunt plus juris in bona Ecclesiastica aliis tribuere, quam ipsime habeant.

Ob hujusmodi rationes, leges etiam civiles nolebant, ut Ecclesiastici Testamentum conderent, ut videre est in Constitutione Justiniani Imperatoris a Cardinali Baronio relata his verbis (*Annal. Tom. 7. an.* 528.): „ De his „ vero Episcopis, qui nunc sunt, vel futuri sunt, sanci„ mus, nullo modo habere eos facultatem testandi, vel „ donandi, vel per aliam quamcumque excogitationem, „ quid de rebus suis, quas postquam facti sunt Episcopi „ possederint & acquisierint, vel ex Testamento, vel do„ nationibus, vel alia quacumque causa, exceptis his „ quæ ante Episcopatum a parentibus, & aliis, *id est* „ *patruis*, vel avunculis, & a fratribus ad ipsos perven„ turæ sunt. Quæcumque enim post ordinationem ex „ quacumque causa, extra præfatas personas, ad ipsos „ pervenerunt, ea jubemus ad sanctissimam Ecclesiam, „ cujus Episcopatum tenuerunt, pertinere, & ab ea vin„ dicari & evinci, nulla alia persona potestatem haben„ te ex eo proprium aliquid auferre lucrum; quis enim „ dubitaverit, eos qui ipsis res relinquent, aut relique„ rint, etsi in aliam personam transferunt aut transtule„ runt non potius ipsum sacerdotium contemplatos, quam „ ejus personam? & cogitantes, quia non solum ab i„ psis relicta pie insumant, sed suas ipsorum res abji„ cient, id fecisse? . . . . Nam cum quidam summa in „ Deum spe, & ut animæ eorum salvæ fiant, ad san„ ctissimas occurrant Ecclesias, & eis omnes suas facul„ tates offerant & derelinquant, ut in pauperes & egen„ tes, & ad alios usus pios consumantur: indecens est, „ Episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in pro„ priam sobolem, aut cognatos impendere ": Quia scilicet bona ab Ecclesia profecta, ad eos proprie non pertinent, & eorum tantum usus habent.

Quæst. 18. Consuetudo in variis Orbis Christiani partibus vigens, juxta quam Beneficiati de omnibus bonis suis, sine exceptione ulla, testantur, nonne Canonum sanctiones abrogasse, aut eis derogasse videtur?

Resp. Cum hi Canones non solum jus aliquod positivum & humanum, verum etiam naturale & divinum contineant; licet dici possit, hanc consuetudinem a Superioribus Ecclesiasticis toleratam, dum eam vident, sequuntur, & ipsimet in praxim deducunt, derogare posse juri positivo in hac materia, ut explicatum fuit supra Tom. 1. Tr. 1. Cap. ult. nihilominus certum est, illam consuetudinem non posse derogare legi naturali, aut divinæ in sacris Canonibus contentæ. Unde licet eadem consuetudo permittat Beneficiatis in pluribus regionibus, ut disponant, tum moriendo, tum vivendo, de bonis ex reditibus Beneficiorum comparatis: dici tamen vere non potest, juxta talem consuetudinem, posse Beneficiatos eadem bona ad usus profanos destinare, & propinquis patrimonium pauperum dare; quia licet consuetudo, quæ permittit Clericis Testamentum condere, possit dici non omnino mala & abusiva; quia scilicet Ecclesia eorum bonæ fidei hanc facultatem committere potest, ut vitentur variæ lites, quæ ex difficultate discernendi in praxi bona ex Ecclesiæ reditibus comparata, ab iis quæ aliunde profecta sunt, oriri possent: præsertim cum Ecclesia confidere possit, eos in gratiam tantum pauperum, aut ipsius Ecclesiæ testaturos, scientes, hæc bona ad Deum pertinere, nec ad profanos usus sine furti ac sacrilegii quadam specie detorqueri aut distrahi posse:

Nihilominus hæc consuetudo mala esset, & abusus ac corruptela merito dici posset, si permitteret Beneficiatis, ut moriendo bona darent per Ecclesiam acquisita aliis, quam ipsi Ecclesiæ, aut pauperibus, ac proinde numquam derogare posset legi naturali, aut divinæ, aut contra eam præscribere, qua cavetur, ne Beneficiati ea dissipent bona, quæ non ad eos, sed ad Deum proprie pertinent, nec de illis ad usus profanos disponant.

Et in hoc casu asserere possumus, Beneficiatos non posse dare successoribus suis bona per Ecclesiam acquisita, nisi cum oneribus iis bonis naturaliter & indispensabiliter conjunctis; quia scilicet ipsimet non alter iis bonis gaudere poterant. Certum est autem, onera bonis Ecclesiasticis conjuncta esse, ut non possint impendi aliter quam in honestum & moderatum victum & vestitum ipsius Beneficiati, in reparationem, aut constructionem Ecclesiarum, & in alendos pauperes.

Quare qui successionem Beneficiatorum colligunt, sive ex Testamento, sive ab intestato, eorum oneribus succedunt in bonis per Ecclesiam acquisitis; quia, juxta jus tam Canonicum, quam civile (*Regul.* 79. *de reg. jur. in* 6.): *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.*

Hæc veritas manifestata & stabilita fuit in Synodo Parisiensi, præterito sæculo celebrata sub Stephano Poncherio, Episcopo tunc Parisiensi (*anno* 1503.), qui non obstante tali testandi consuetudine in Gallia jam o-

lim

sim introducta, *Prohibemus*, inquit, *Clericis eorum rebus male uti*, & *de bonis eorum Ecclesiasticis testari*, & *legare aliis locis* & *personis*, *quam eorum Ecclesiis*, *si voluerint sacrilegium* & *ultionem evitare divinam*, *sicuti sacræ Sanctiones prohibuerint*.

Unde concludendum, eos qui Clericis succedunt, tum in bonis mobilibus, tum immobilibus, per Ecclesiam, seu occasione Ecclesiæ acquisitis, sive ex Testamento, sive ab intestato, nisi vere sint pauperes, nullum prorsus habere jus in hæc bona in foro conscientiæ, licet eorum domini habeantur in foro externo, fundato in ea præsumptione, quod Beneficiati bona sua legitime propinquis aut amicis reliquerint. Et certe propinqui, saltem divites, qui hujuscemodi bonis succedunt, tenentur ea continuo pauperibus distribuere, aut Ecclesiæ, ut ea impleant & subeant onera quæ his bonis, inseparabiliter sunt annexa. Verum si propinqui vere sunt pauperes, sibi possunt ex his retinere, quod honestæ sustentationi necessarium est, quia juxta Decretum Alexandri Papæ III. (*Relatum de testam.*) *Licet mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios*, *pro morientis arbitrio*, *transferri non possint*: *consuetudinis tamen non est improbandæ*, *ut de his pauperibus*, & *religiosis locis*, & *his qui viventi servierunt*, *sive sint consanguinei*, *sive alii*, *aliqua*, *juxta servitii meritum*, *conferantur*.

Videatur in fine hujus Tomi 2. insignis Bulla Innocentii XII. vere pauperum patris; quam Bullam Clemens Papa XI. hodie, magno Ecclesiæ bono, feliciter in Cathedra Petri sedens, & verbis aureis, in Sacro Consistorio prolatis, & subscriptione, &, quod caput est, factis mirabiliter comprobat & confirmat. Hinc sumant Prælati, & Clerici omnes, modum distribuendi Ecclesiasticos proventus digne Deo.

CAPUT XII.

De Pensionibus.

Qu. I. QUid est Pensio Ecclesiastica?

Resp. Est certa portio fructuum Beneficii, ad tempus assignata, & justa de causa Clerico concessa, qui Beneficium illud non possidet, ut accipiat ab eo qui possidet.

Ut paucis hanc definitionem explicemus: dicitur *Certa portio*, id est, pars quædam redituum & fructuum alicujus Beneficii, a titulo separata, aut a possessione in commendam data. Dicitur *ad tempus assignata*; quia pensio distincta est a Beneficio per hoc, quod Beneficium est ex natura sua perpetuum, nec finitur, aut extinguitur morte Beneficiati, sed solummodo vacat, ut possit alteri conferri. Pensio vero extinguitur morte, aut matrimonio, aut etiam quibusdam criminibus illius, qui jus habebat illam exigendi, aut per ejus consensum

Dicitur *justa de causa*; quia cum concessio pensionum fit contra jus commune, quo omnia *Beneficia Ecclesiastica sine diminutione debent conferri* (*Innoc. III. cap. Ut nostrum, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*); consequens est, ut in hac lege dispensari non possit, nisi ex justa causa, ad utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ pertinente; quia certum est, non posse derogari sacris Canonibus, nisi propter majus aliquod bonum, juxta celebrem Concilii Tridentini Constitutionem (*Sess. 25. de ref. c. 18.*): „ Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse: id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur“. Dicitur *Clerico*, sive Ecclesiastico vitio, ut distinguatur hæc pensio ab his, quæ aliquoties conceduntur Laicis per modum eleemosynæ, aut gratificationis erga eos qui magna Ecclesiæ præstiterunt officia. Additur, *qui Beneficium non possidet*: quia qui Beneficium possidet, non potest habere super eo pensionem. Denique dicitur *Accipienda ab eo qui Beneficium possidet*: quæ verba non solum complectuntur titularem Beneficii, verum etiam, si Beneficium per mortem vacet, aut alio quovis modo, ipsum Capitulum, seu Monasterium, aut alium quemcumque, qui reditus Beneficii vacantis percipit; qui tenetur semper pensionem solvere, quæ est ejus quædam portio, ei qui jus illam exigendi habet.

Quæst. 2. Quo pacto in Ecclesia introductæ sunt pensiones ex Beneficiis percipiendæ?

Resp. Antiqua satis est pensionum origo, earumque vestigia & exempla in Concilio generali Chalcedonensi (*anno 455. actione 18. in fine*) reperiuntur: in eo enim Maximus Reverendissimus Episcopus Antiochiæ dixit: „ Deprecor magnificentissimos & gloriosissimos Judices, & sanctam hanc & universalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Episcopus, dignemini, & statuere ei certos sumptus de Ecclesia, quæ sub me est. Vicarii Sedis Apostolicæ, per Paschasinum Reverendissimum Episcopum, dixerunt: Sanctus & Beatissimus Papa, qui Episcopatum sancti & Venerabilis Maximi Antiochenæ Ecclesiæ Episcopi confirmavit, justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur; si quidem memoratus Reverendissimus Episcopus Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consultum, ut sumptus ei de sua Ecclesia, miserationis intuitu, prout æstimaverit, largiatur, ut contentus alimoniis, quiescat in posterum .... Universa sancta Synodus vociferata est: Laudabiles merito sunt benevolentiæ Archiepiscopi: omnes cogitatum jus

„ lau-

„ laudamus: hic decet ejus existimationem humanus cogitatus Pontificis“.

Idem quoque Concilium, Bassiano & Stephano, qui Ephesi Episcopi esse contendebant, amotis pensionem concessit: „ Removebuntur quidem (*ib. Act.* 12. *in fine*), „ *inquit*, a sancta Ephesinorum Ecclesia Bassianus & „ Stephanus Reverendissimi; habeant autem dignitatem „ Episcopi, & ex reditibus memoratæ Ecclesiæ, nutri„ menti gratia & consolationis, annis singulis solidos au„ reos ducentos accipiant“.

Ita etiam sanctus Gregorius Papa voluit ut haberetur ratio Agathonis Episcopi Liparitani, postquam fuit depositus (*S. Greg. l.* 2. *Ep.* 3. *ad Maximianum Episc. Syracusan.*): „ Postquam, *inquit*, in Agathonem quon„ dam Episcopum, juxta qualitatem excessuum, distri„ ctione est Canonica vindicatum, necesse est, humani„ tatis intuitu, quemadmodum sustentari possit, dispo„ nere. Propterea fraternitas tua ad Liparitanam Eccle„ siam, in qua supradictus Agatho Sacerdotis gessit of„ ficium, festinet dirigere, eique ad præsens exinde quin„ quaginta solidos, qui in ejus possint proficere victum, „ transmittat. Nam nimis est impium, si alimentorum „ necessitati post vindictam subjaceat“.

Videmus præterea, eumdem summum Pontificem desiderasse, ut induceretur quidam Episcopus ad renunciandum Episcopatui ob varias corporis infirmitates, ita tamen ut aliqua pars redituum ei concederetur (*Idem l.*11. *Ep.* 7. *ad Pulcherium Episc. in Can. Quamvis*, 7. *q.* 1.): „ Ipse, *inquit*, data petitione, non se ulterius ad „ hoc ministerium intellectum habere, nec ad alia offi„ cia, subvertente infirmitate, posse fateatur assurgere, „ & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, o„ mnium solemniter electione, alter qui dignus fuerit, „ Episcopus ordinetur: sic tamen ut quousque eumdem „ Episcopum in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei de„ biti de eadem Ecclesia ministrentur“.

Demum legimus in ejusdem Pontificis vita, a Joanne Diacono conscripta (*Joannes Diaconus in vita S. Greg. l.* 5. *c.* 16.); „ quod Expulsos Episcopos, quos tam cito „ Gregorius vel incardinare non poterat, vel quorum re„ ditum ad sedes proprias contingere posse sperabat, aliis „ Episcopis, qui tunc videlicet in locis suis degebant, „ interim pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ „ injungebat, generaliter dicens: Fratres & Coepiscopos „ nostros, quos & captivitatis diversarumque necessitatum „ angustiæ comprimunt, studete consolandos, convivan„ dosque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus liben„ ter suscipere: non quidem ut per communionem Epi„ scopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia, „ juxta possibilitatem, sufficientia debeant alimenta per„ cipere“.

Et alibi idem Author refert (*Lib.* 4. *c.* 9.), quod *Ponti-*

tificibus voluntarie suis renunciantibus sedibus, successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodum de reditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat.

Verum observandum est, has omnes pensiones fuisse tantum concessas ad honestam sustentationem Clericorum, qui non habebant aliunde, unde vivere possent. Et ita necessaria tantum sustentatio dabatur Episcopis ex amplissimis Patriarcharum Ecclesiarum reditibus, & hæ pensiones ex quodam piæ commiserationis affectu, seu *miserationis intuitu*, concedebantur, aut certe pro bono pacis; *Ut contentus alimoniis quiescat in posterum*; vel ne extrema premerentur inopia, qui egregiam Ecclesiæ præstiterant operam; suaque postmodum Beneficia propter infirmitatem deserere cogebantur.

Quæst. 3. Licet ne reservare sibi pensionem in permutatione, aut resignatione Beneficii?

Resp. Generaliter loquendo id non licet, cum a multis Conciliis damnatum fuerit; in Concilio Oxoniensi (*sub Onorio III. anno* 1212. *c.* 11.) sic habetur; „ Ne „ lepra Giesitica, quod absit, per avaritiæ cultum la„ tenter irrumpens, ministros Ecclesiæ collocet extra ca„ stra regni æterni, districtius inhibemus, ne quis Ec„ clesiæ suæ renuncians, recipiat ab eo, qui sibi substi„ tuitur, vicariam; cum vehementer posset præsumi, „ quod talia fiant per actionem etiam turpem. Quod si „ ab aliquo fuerit acceptatum, ille vicaria, & alius per„ sonatu privetur“.

Id etiam prohibetur in Concilio Turonensi relato in c. *Majoribus*, De Præbendis, & Concilio generali Lateranensi sub Alexandro Papa tertio c. 7. §. *Prohibemus*.

Hujus autem prohibitionis rationem assignat Concilium delectorum Cardinalium & Prælatorum, de emendandâ Ecclesia, sub Paulo III. (*anno* 1538.) „ Nam, *inquit*, „ reditus sunt annexi Beneficio, ut corpus animæ; ideo „ natura sua pertinent ad eum qui Beneficium habet, „ ut possit ex eis vivere honeste pro suo ordine, simul„ que queat sustinere impensas pro divino cultu, & tem„ pli sacrarumque ædium reparatione, ut, quod reliquum „ est, impendat in pios usus: hæc est enim natura eo„ rum redituum“.

Enimvero Beneficium conceditur propter servitium, quod Ecclesiæ al quo modo exhibetur: *Beneficium propter Officium*: neque ullo modo credi potest, voluisse fundatores, se suosque legitimos hæredes bonis privare, ut ea traderent Clericis otiosis, & laborare nolentibus, qui meterent ex agro, in quo non seminassent: cumque Apostolus expresse dixerit: *Si quis non vult operari, nec manducet*; ii soli qui laborant, & Beneficia possident, jus habent eorum reditus percipiendi. Licet tamen in aliquibus casibus pensionem sibi in resignatione reservandam curare.

Quæst.

Quæst. 4. Quinam ſunt illi caſus, in quibus licet ſibi penſionem ex Beneficio reſervare?

Reſp. Ex ipſis procurationibus ad reſignandum in manibus ſummi Pontificis, qui poteſt penſiones in Beneficiis creare, ſatis apparet, id licere tantum, cum reſignans honeſte vivere non poteſt ſine talis penſionis auxilio; in ſupplici enim libello, qui tunc porrigitur, hæc reperiuntur verba: *Subventionis cauſa, & ne reſignans nimium pateretur diſpendium ex ſua reſignatione*. Quod, juxta naturalem & obvium verborum ſenſum, ſignificat, eum qui penſionem petit, ea ad ſuſtentationem indigere: & tamquam eleemoſynam poſtulari, ne quis, reſignato Beneficio, non habeat, unde vivere poſſit. Unde etiam in ſupradicto Concilio delectorum Cardinalium ſic habetur: „ Alius abuſus, cum Beneficia conferuntur, ſeu cum ce„ duntur aliis, irrepſit in conſtituendis ſuper eorum fru„ ctibus penſionibus, &c. Qua in re illud animadverten„ dum, nulla alia de cauſa, nulloque alio jure penſio„ nes conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ „ in pios uſus & indigentibus concedi debent. Itemque „ penſiones dari Clericis divitibus, qui commode & ho„ neſte vivere queant ex reditibus quos habent, magnus „ certe abuſus: tollendus uterque".

Unde etiam S. Carolus, Eccleſiaſtico ſpiritu pleniſſimus, & ad reſtaurandam Eccleſiæ diſciplinam a Deo excitatus, a penſionibus valde alienus fuit, & in illius vita a Petro a Baſilica, ejuſdem Sancti intimo familiari, conſcripta, ſic habetur (*lib.* 7. *c.* 35.): „ Fructus ſuos „ unicuique Eccleſiæ, Presbyteriſque ſingulis integros re„ linqui curavit vehementer, & effecit. Eo namque pri„ mum Eccleſiam capeſſente, vel magna ex parte, vel „ toti, alienis hominibus erant reſervati, ex quo fiebat, „ ut qui eſſent aliquo numero Presbyteri, ſacerdotia re„ cuſarent, quorum ſæcularibus pro dignitate vitæ cultum „ minime poſſent conſervare. Qui vero accipiebant, parvi „ pretii homines neque doctrina, neque authoritate ſatis „ muneri ſuo facere valebant: ut præter Sacerdotis, ut „ tempora ſunt, ex ea re contemptum, neque ſacra ſu„ pellex pro decreto parari, neque refici, vel ornari Ec„ cleſiæ, neque ſartatecta haberi poſſent.

„ Igitur neque penſionis onus vel minimum cuiquam „ Eccleſiæ impoſuit unquam: & ſi quis forte per autho„ ritatem ſuperiorem obtinere vellet, contra totis viri„ bus pugnavit. Cum ex magis Præpoſituræ facultati„ bus: ex ſuis quidam, quo plurimum utebatur, annuam „ penſionem ſibi fere impetraſſet, at Carolus, ut aufe„ retur, ſtatim effecit. Neque alius poſtea unquam co„ nari aliquid ſimile auſus eſt".

„ Sacerdoti tantum penſionem conceſſam ſcio: is cum „ Eccleſiæ diu utilem ſane operam pro doctrina virtute„ que ſua navaſſet, demum multi laboris parochiam ha„ bens, infirmaque valetudine confectus, cum eam re-

„ linquere cogeretur, neque aliunde haberet vitæ sum„ ptum, moderatam pensionem ex Ecclesia sua, quæ e„ rat ex locupletioribus, a Carolo accepit".

Ad cavendos ejusmodi abusus, Edictum vere aureum, jussu Innocentii XII. emanavit, quod in Synodicon Eminentissimi Cardinalis Ursini repertum, hic inserere congruum duxi.

E D I T T O

Di ordine del Nostro Santissimo Padre Innocenzo XII. intorno a non gravare le Parrocchiali di Pensione.

Bandino, del Titolo di S. Pancrazio, Prete Cardinale Panciatichi, e della Santità di Nostro Signore Prodatario.

VOlendo la Santità di Nostro Signore, con la sua paterna carità e zelo, eccitare li Parrochi alla maggiore vigilanza delle anime alla loro cura commesse, e facilitargli il modo di sovvenire alle necessità delle medesime con più abbondanti elemosine; quindi è, che per ordine espresso datoci a bocca dalla Santità sua, comandiamo, ed ordiniamo, che per l'avvenire non si abbiano d'aggravare le Parrocchiali, etiam di juspadronato laicale, di pensioni; e che ciò debba osservarsi ancora dagli Ordinarj nelle proviste ch'essi faranno per farne. Inoltre che non si ammettano rassegne, o permute di Parrocchiali, con riserva di pensioni a favore di chi si sia, e sotto qual si voglia titolo, etiam di prestazione d'alimenti; e che molto meno si riservino pensioni sopra le medesime Parrocchiali, *sine causa*, *Beneficio pleno*, di consenso di possessori, per qualsivoglia causa e titolo. Dalla Dataria, questo dì 11. Novembre 1692.

B. Card. Prodatario.

In Roma nella Stamperia della Reverenda Camera Apostolica 1692.

Illius Edicti saluberrimos effectus refert Eminentissimus Jacobus Cardinalis Cantelmus, Archiepiscopus Neapolitanus, in accurata Relatione status Ecclesiæ, quam Concilio Provinciali Neapolitano attexuit, his verbis (*Rel. status Ecclesiæ Neap.* 1700. *pag.* 159): *ad Ecclesias Parochiales expeditus est aditus, saluberrima Constitutione Sanctissimi Domini de Parochiis nulla pensione gravandis.*

Quæst. 5. Qui postquam Beneficio servivit, morbo, aut aliis justis de causis, eidem servire nequit, potest-ne tuta conscientia renuntiare, & pensionem reservare si ea indigeat?

Resp. Potest omnino, ut patet exemplo sancti Gregorii Papæ, qui sine ullo disciplinæ Ecclesiasticæ præjudicio tales concedi posse pensiones putavit, mandans, ut Episcopo, qui infirmitatis causa cesserat, sustentatio ne-

cessaria

cessaria ex Episcopatu suppeditaretur: *Sic tamen*, inquit (*Ep. 7. l. 11.*), *ut quousque eumdem Episcopum in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur*. Ordinavit etiam S. Pontifex in alia Epistola (*Lib. 1. Ep. 43.*); *Episcopos, quos e propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc usque in locis propriis degunt, pro sustentatione & stipendiis præsentis vitæ esse jungendos: non quidem ut per communionem Episcopalis Throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere.*

Quæst. 6. Licet-ne pensionem exigere ex Beneficio, propter jus, quod quis in illud habere prætendit, &, ut vulgo dicitur, Pro bono pacis?

Resp. Generaliter loquendo, & perpensis ordinariis circumstantiis, quæ in talium pensionum creatione sæpe interveniunt, non licet; quia est contra jus commune, quod Beneficia pensionibus onerentur, ut habetur in cap. *Majoribus*, De Præbendis; cum fructus omnes Beneficii illi debeantur, qui Beneficium possidet, & illi servit. Fructus autem numquam nimii reputari possunt, quando quis muneribus Beneficio annexis recte defungens, eis recte utitur. Unde pensiones hujusmodi legitimum sæpius impediunt usum bonorum Ecclesiæ, quæ ex natura sua destinantur tantum, post honestam & frugalem ministrorum Ecclesiæ sustentationem, ad pauperes alendos, & Ecclesias reparandas. Proindeque illa pension s species, quæ augustum boni pacis nomen præ se fert, non est indicium veræ pacis; & sæpe particulares Ecclesiæ gemunt talibus pensionibus quasi oppressæ, ita ut merito dicere possint, *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*.

Verum quidem est, Innocentium III. talem pensionem tolerasse, quæ in sententia arbitrali pro bono pacis constituta fuerat; sed expresse declarat Pontifex, se eam non toleraturum, & hanc sententiam sibi valde suspectam fore, nisi de arbitrorum, & partium probitate sibi constaret; variis præterea restrictionibus talem tolerantiam limitat, quæ continentur his verbis (*Cap. Nisi essent, de præbendis & Dignitatibus.*); „ Nisi „ essent viri providi & honesti, tam qui ordinationem „ fecerunt, quam illi, circa quos est facta ordinatio in „ Ecclesia vestra super negotio Prioratus, ordinationem „ illam valde suspectam propter exempli perniciem ha„ beremus. Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus est „ recepta, possuntque licite Prior & Capitulum de pro„ ventibus frui, propter causas prædictas, non quidem „ ex pactione partium, sed ex jussione Judicum, provi„ sionem hujusmodi exhibere, Nos eam, hoc adhibito „ moderamine, toleramus, ut ad præstationem qua„ draginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona „ Prioris maneat onerata: ne forte circa proventus ali-

„ qua videatur facta sectio Prioratus. Ita quod ipso
„ Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem qua-
„ draginta librarum minime teneatur ".

Unde constat, hujusmodi pensiones in praxi sæpius esse illegitimas, quia de illis creandis partes ipsæ conveniunt: quod summus Pontifex expresse damnat, ut observat Glossa (*ib.*): *Ex pactione*, inquit, *partium non liceret, nec illam tolerasset Papa; cui in cap.* Cum pridem, De Pactis, *Sed quia Judicis authoritate factum est, & ad tempus, sustinetur*. Secundo, sæpius sunt suspectæ tales pensiones, quia ad vitam imponuntur, & dividere videntur Beneficii reditus; quod Papa ibi damnat; Unde etiam Glossa (*ib.*): *Occasione*, inquit, *hujusmodi provisionis, assumunt quandoque aliqui causam male faciendi*. Sæpius etiam in praxi, non propter jus quod quis habet, sed propter potentiam & vexationem, quæ timetur a Beneficiato, imponitur hujusmodi pensio, quæ vocatur pro bono pacis: quod certe eam omnino illegitimam reddit, respectu illius, in cujus favorem imponitur.

Videantur, quæ fusius dicta sunt infra tom. 2. tract. 2. c. 1. q. 6.

Quæst. 7. Licet-ne Beneficium consequi cum intentione pensionem postmodum ex eo sibi reservandi?

Resp. Satis patet, eos qui Beneficium cum tali suscipiunt intentione, commercii & negotiationis quoddam genus exercere, quod in Beneficiis licere non potest. Præterea illa Beneficia consequuntur cum intentione simoniaca, quia principaliter temporale bonum intuentur, quod ex Beneficio sperant elicere mediante pensione: Certum est autem, hanc temporalis lucri præcipuam considerationem in acceptatione Beneficii, quod est res spiritualis, esse plane damnabilem „: Si vero, *ut docet*
„ *Angelicus Doctor* (*Quodlib.* 9. *c.* 7. *art.* 2. *in corp.*
„ *vel Quodlib.* 8. *art.* 15.), aliquis hac intentione plu-
„ ra Beneficia habeat, ut fit ditior, ut lautius vivat, &
„ ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Eccle-
„ siarum, in qua est præbendatus, non tolluntur prædi-
„ ctæ deformitates, sed augentur: quia cum tali inten-
„ tione & unum Beneficium habere, quod nullam inor-
„ dinationem importat, esset illicitum ".

Unde etiam Dionysius Carthusianus sic egregie loquitur (*lib. contra pluralitatem Beneficiorum c.* 15.):
„ Qui Ecclesiastica Beneficia optant, quærunt, impe-
„ trant, suscipiunt, non intuitu spiritualis boni, puta
„ divini Officii, ut scilicet competentiam habentes,
„ Deo devotius quietiusque ministrent, sed intuitu com-
„ modi temporalis, bonique corporalis, isti sunt sub-
„ versatores rectissimi ordinis rerum, atque in tempo-
„ ralibus finem sibi constituunt: idcirco mortaliter
„ peccant, etiam unicum Beneficium competens tali-
„ ter cupiendo, obtinendo, habendo. Tales sunt o-
„ mnes, qui amore temporalium divitiarum, aut car-

„ nalium

„ nalium deliciarum, seu transitoriorum bonorum, Ec-
„ clesiastica Beneficia quærunt, procurant, seu habent".

Quocirca culpabiles omnino videntur qui Beneficium obtinent cum intentione principali, illud postmodum resignandi cum aliqua pensionis reservatione.

Quæst. 8. Potest-ne licite pensionem Ecclesiasticam exigere, qui Beneficium possidet sufficiens ad honestam sustentationem?

Resp. Cum Ecclesia pensionem eo tantum fine concedat, ut possit quis habere quod ad sustentationem necessarium est, illud autem amplum non sit, juxta Apostoli (1. *ad Tim. c.* 6.) sententiam Clericis in primis convenientem; *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*; videtur non licere coram Deo pensionem exigere, cum aliunde necessaria sustentatio non deest; præsertim cum in supplici libello summo Pontifici exhibito ab obtinendam pensionem, semper exprimatur, eam desiderari *subventionis causa*.

Est præterea contra Ecclesiasticorum bonorum naturam, quod plus ex eis exigatur, consumaturque, quam necesse sit ad honeste vivendum, & hæc est perpetua Sacrorum Canonum doctrina, qui, ut habetur in celebri Concilio Aquisgranensi (*anno* 836. *lib.* 3. *c.* 25.): *Toto Orbe venerandi, & Sancto Spiritu inspirante digesti, imo calamum Sanctorum Patrum qui eos de ordine, & statu sanctæ Dei Ecclesiæ conscripserunt, regente*. Unde qui Beneficium possidet sufficiens, pensionem tamen exigit, quæ non potest non esse superflua, violare videtur Ecclesiæ leges, quæ divisionem prohibent Ecclesiasticorum redituum sine legitima causa, quæ spectet ad majorem utilitatem Ecclesiæ: quæ numquam intendit creandis pensionibus consentire, nisi in gratiam eorum, qui postquam ei servierunt, inopia, sine tali auxilio, premerentur; non autem, ut ditiorem faciat Clericum, superfluaque ei concedat bona, dum alii multi ne quidem necessaria habere possunt. Hæc etiam inæqualitas in distributione bonorum communium, propter quam pluralitatem Beneficiorum in se malam esse probat Angelicus Doctor (*Quodlib* 9. *art.* 16. *sequitur etiam inæqualitas dum unus pluribus Beneficiis, &c. alius nec unum habere potest*.), reperitur quoque dum pensio, ultra Beneficium sufficiens, habetur; & eam praxim valde suspectam reddere debet.

Quæst. 9. Qui super aliquo Beneficio pensionem habet, tenetur ne eam in eosdem usus impendere, in quos impendi debent reditus Beneficii?

Resp. Cum pensiones hujusmodi sint Ecclesiastica bona, consequens est, eas dispensari debere juxta regulas, quas exigit natura horum bonorum, quasque sacri Canones constituerunt, ut fuse in præcedenti Capite vidimus. Et ita non licet cuivis Clerico ex reditibus pensionis quidquam percipere, præter necessa-

rium victum & vestitum: reliqua omnia necessaria pauperibus distribui debent, aut Ecclesiæ, sive pendente vita, sive causa mortis, cum sit testamentum.

Quæst. 10. Tenentur-ne illi, qui pensionem habent Ecclesiasticam, Ecclesiæ aliquo modo inservire?

Resp. Ipsa naturalis ratio docet, eos qui Ecclesiæ sumptibus vivunt, eidem inservire debere, quia juxta Apostolum (*Ad Thes. c.* 3. *v.* 10.): *Si quis non vult operari, nec manducet.* Licet enim Ecclesia eos expresse obliget tantum, qui pensionem obtinent, ad recitandum Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis, juxta Bullam Pii V. in qua sic habetur (*in Bulla* 135. *quæ incipit*; *Ex primo.*); „ Quicumque pensionem, fructus, aut alias „ res Ecclesiasticas, ut Clericus, percipit, eum modo „ prædicto ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ „ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fru„ ctuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium". Et ad tonsuram, habitumque Ecclesiasticum ferendum, ut ostendimus supra c. 9. juxta Sixti V. Bullam, in qua dicitur (*in Bulla cum sacrosanctam*): „ Verum etiam „ pensiones ex quacumque concessione percipientes, ton„ suram, & habitum Clericalem, vestes scilicet talares, „ assumant, & jugiter deferant".

Nihilominus hinc inferri rationabiliter non potest, pensionarios ad nihil aliud teneri; quamquam enim nullum determinatum, fixumque habeant officium, sicut nec illi, qui Beneficium simplex possident, præter Breviarii recitationem, justum tamen, & rationi consentaneum est, ut tam pensionarii, quam Beneficium simplex obtinentes, in Ecclesia laborare aliquo modo satagant, juxta possibilitatem, & talentum a Deo concessum; ne tamquam servi inutiles rejiciantur, qui volunt tantum otiose vivere, dominique sui bona devorare, ac consumere, nec tamen illi ullum officium præstare.

Quæst. 11. Quibus modis pensiones Ecclesiasticæ cessare possunt?

Resp. Pensiones merito considerari debent tamquam onera quædam molesta, quæ Ecclesia quasi invita patitur, ob graves causas, quæ eam quandoque inducunt ad dispensandum ab exacto rigore suorum Decretorum, quibus cavetur, ne fructus Beneficiorum dividantur, & ut Beneficia sine diminutione conferantur. Ideoque pluribus modis pensiones extingui possunt. Primo quidem morte naturali ejus, qui jus existendi pensionem habebat, aut etiam morte civili, veluti si damnetur ad triremes. Secundo, cessant matrimonio a pensionario contracto, aut professione in Ordine Religioso edita, aut aliquo gravi crimine, veluti hæresi, & similibus, quæ Beneficiorum & pensionum Ecclesiasticarum privatione puniuntur.

Possunt etiam extingui pensiones, aut minui, sola voluntate ejus, qui jus illa percipiendi habet. Denique redimi possunt, si per antecessum quinque, aut sex, aut etiam

etiam septem anni dictarum pensionum solvantur. Quod tamen sine Sedis Apostolicæ authoritate fieri nequit, ne simoniæ labes in tali redemptione obrepat: quod valde periculosum est: præsertim si quis habens intentionem redimendi, dum Beneficium cum tali pensione acceptat, hanc intentionem manifestet ei, in cujus gratiam constituta est pensio. Quia tunc idem propemodum est ac si quis Beneficium consequeretur, data certa pecuniæ summa. Et sæpe quis in talibus fit reus coram Deo, licet excusare variis artibus se possit, ac etiam justificare coram hominibus.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE

SIMONIA.

Caput Primum

De definitione Simoniæ.

Quæst. I. QUid est simonia?

Resp. Juxta Angelicum Doctorem (2. 2. *q.* 90. *art.* 1.): *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Dicitur: *Studiosa*, inquit Sanctus Antoninus (*p.* 1. *tit.* 1. *c.* 5. §. 4.), *id est, deliberata; nam sola deliberatione rationis potest committi istud peccatum: sed non punitur in judicio Ecclesiæ, nisi procedat ad extra.* Dicitur: *Emendi, vel vendendi*, quia *nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus*, ut explicat idem S. Thomas (2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 5.). Dicitur denique: *Aliquid spirituale, vel spirituali annexum*, ut ostendatur, simoniam non solum committi, dum venditur aliquid spirituale simpliciter, ut dona Spiritus-Sancti, gratia, virtutes infusæ, Sacramenta, & functiones spirituales, veluti Missam celebrandi, prædicandi Verbum Dei: verum etiam simoniam quoque fieri, dum venditur, aut emitur aliquid annexum rei spirituali, veluti reditus, aut fructus Beneficiorum, aut jus ea percipiendi, quæ plerumque sunt simoniæ objecta; manifestum est enim, eos qui hoc simoniæ peccatum committunt, non multum curare de gratia, de virtutibus infusis, aut donis Spiritus-Sancti, nec ea prorsus emere velle; verum pecuniam tradunt, ut facultatem aliquam spiritualem acquirant, quæ ipsis utilitatem temporalem afferat: veluti jus gaudendi bonis Ecclesiæ, facultatem prædican-

dicandi verbum Dei, aut alias functiones obeundi, quibus honor & lucrum comparari possit. Et in hoc exemplum Simonis Magi sequuntur, a quo simoniæ nomen desumptum est. *Simon magus*, inquit Urbanus Papa II. (*Can. Salvatur*, 2. *q.* 3.) *non Spiritum Sanctum, quo ipse erat indignus, sed Donum Dei emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur: nec Apostolus emptionem Spiritus-Sancti, quam bene fieri non posse noverat, sed ambitionem quæstus talis, & avaritiam, quæ est idolorum servitus, in eodem Simone exhorruit, & eum maledictionis jaculo percussit.*

Unde conjicere licet, Simonem a sancto Petro simoniæ damnatum fuisse, non quod vellet Spiritum-Sanctum emere, sed quod pecunia sua comparare vellet spiritualem facultatem miracula faciendi, ut postmodum, ea mediante facultate, longe plura lucraretur, quam dedisset.

Quæst. 2. Requiritur-ne ad simoniam, ut detur temporale pro spirituali tamquam pretium, ut fit in contractu emptionis & venditionis; an sufficit, ut detur tamquam motivum, quo inducatur collator Beneficii ad illud tali personæ conferendum?

Resp. Constat ex authoritate summorum Pontificum, Conciliorum, & sanctorum Patrum, committi simoniam, quoties datur temporale pro spirituali, sive detur tamquam motivum, sive tamquam pretium: quia essentia simoniæ in hoc posita est, quod quis vult per temporale acquirere spirituale. Quod quidem probatur primo authoritate Calixti Papæ relata in Canone (*Can. Sanctorum*, 1. *q.* 1.): *Sanctorum Patrum*, inquit, *exempla sequentes, & officii nostri debita innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei, vel promoveri, authoritate Sedis Apostolicæ modis omnibus prohibemus*. Unde concludi facile potest, nullo modo dari posse pecuniam pro re spirituali, sive per modum motivi, sive per modum pretii.

Secundo, ex Decreto Concilii Toletani Canoni inserto, in quo sic habetur (*Can. Reperiuntur*, 1. *q.* 1.): *Si quis pro percipienda Sacerdotii dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore anathematis se noverit opprobrio condemnatum*. Sufficit igitur, juxta hoc Concilium, quod aliquis pecuniam solummodo obtulerit Episcopo ad recipiendos Ordines, ut damnationem incurrat.

Tertio, probatur ex S. Bonaventura, qui ad quæstionem propositam, utrum simoniacus censendus sit Hæreticus, ita respondet (*in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 4. *art.* 1.):
„ Dicendum, quod ille, qui emit, ac vendit spiritualia,
„ aut credit ea pro pretio posse æstimari, & valori rei
„ terrenæ æquari, & pro pecunia possideri: & hæc est
„ Hæresis manifesta. Aut ille, qui vendit & emit, non
„ credit quod gratia Dei per pecuniam comparetur,

„ sed

„ sed tamen ardens avaritia nititur aliquid assequi, vel
„ impetrare per pecuniam, quod ad humanam spectat
„ dispensationem: & sic non est peccatum fidei, sed mo-
„ rum; quia talis peroptime novit, & male facit: & sic
„ simoniacus est avarus, & in pessima specie avaritiæ,
„ nec est proprie hæreticus". Unde concludendum est,
non omnino necessarium esse, ut aliquis simoniacus habeatur, quod det pecuniam tamquam pretium rei spiritualis: sed sufficere, quod aliquis ex ardenti avaritia velit uti pecuniis tamquam medio ad comparandas res spirituales.

Idcirco Concilium Tolosanum (*an.* 1650. *c.* 1. *de Episcopis, qui pecuniam ab ordinandis exigunt: Et de ordinatis per simoniam.*), contra simoniacam labem, in Gallia & Hispania tunc grassantem, a Victore Papa II. convocatum: „ Si quis Episcoporum, *inquit*, accepta quo-
„ cumque modo pecunia, ordinaverit Episcopum, Abba-
„ tem, Presbyterum, Diaconum, aut quemcumque alium,
„ qui numeratur inter Clericos, ipse gradus sui subjaceat
„ periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum
„ ex hujusmodi mercimonio, sed sit alienus ejus Digni-
„ tatis, & Ordinis, quem per pecunias acquisivit." In quo Concilio notandæ sunt voces: *Quoquo modo*; hoc est, si pecuniam receperit per modum pretii, aut per modum motivi, semper reus est.

Verum Decretum Innocentii XI. (2. *Martii* 1679.) imaginariam, & illusoriam plane distinctionem motivi & pretii, omnino exsufflavit, & os obstruxit iis, qui falsis recentium Casuistarum rationibus homines in hac materia eo periculosius decipiebant, quo cupiditati faventes, apertam ad omnem simoniam sternebant viam. Hanc igitur doctrinam in duabus sequentibus propositionibus Sedes Apostolica damnavit.

45. Propositio damnata: *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

46. Propositio damnata: *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

Recentiores quidam Casuistæ ex his propositionibus, quæ illis veræ videbantur, inferebant, vix in praxi ullam fieri posse simoniam; & in famosa Casuistarum Apologia (*fol.* 6.) plura hujus generis reperiebantur: sed Academia, seu Facultas Theologiæ Universitatis Parisiensis (16. *Julii* 1530.), hanc idcirco censuram edidit:
„ Hæc propositio, in qua Author Apologiæ asserit,
„ hominem qui actu, vel habitu ita esset dispositus,
„ ut nollet unquam rem spiritualem æquare tempora-

„ li

„ li nec credere, rem temporalem esse posse pretium „ rei spiritualis, non commissurum simoniam contra jus „ divinum, dando, ut loquitur Author, *rem spiritualem pro cognitione rei temporalis*. Falsa est, temeraria, scandalosa, & aperit viam ad omne simoniæ genus contra jus divinum “.

Quæst. 3. Quid respondendum objectioni sumptæ ex S. Thoma sequentibus verbis: *Sacramenta emi, aut vendi non possunt sine simonia, quia pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans ad illud, quod emitur?* Nam consequens esse videtur, necesse esse, juxta Doctorem Angelicum, quod temporale detur tamquam pretium adæquans spirituale, ut committatur simonia.

Resp. Ex eodem Doctore in eodem loco facilis est ad hanc objectionem responsio; tres enim ibi affert rationes, propter quas non licet Sacramenta vendere: „ Sacramenta, *inquit* (*in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.*), emi, aut vendi non possunt propter tria. „ *Primo*, quia dispensator Sacramenti non est dominus, „ sed minister, emptio autem debet fieri a domino rei. „ *Secundo*, quia pretium emptionis ponitur, quasi mensura adæquata ad illud, quod emitur. *Tertio*, quia „ gratia ex hoc nomen accepit, quod gratis datur; unde contra rationem gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ quasi venialia tractat “. Quare, juxta Doctorem Angelicum, sufficit, ut fiat simonia in administratione Sacramentorum, quod gratis non administrentur; quia scilicet gratis dandum est, quod gratis acceptum fuit.

Quæst. 4. Licet-ne aliquid dare ad removenda obstacula, seu tollendas oppositiones, quæ impediunt, ne quis Beneficium consequatur?

Resp. Id licitum non videtur, juxta sensum Lucii Papæ, qui consultus a Præsule, qui a majori electorum parte in Episcopum electus erat, cujusque amicus pecuniam cuidam se opponenti dederat, ut ab oppositione cessaret, ita respondit (*Cap. Matthæus de Simonia.*): „ Quia „ igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum; respondemus, quod multum tibi consulis, si administrationem celeriter, ac sponte dimittas, verbi memor existens: “ *Nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*.

Quæst. 5. Nonne dici posset, hoc summi Pontificis responsum, consilium, non autem præceptum continere; proindeque nullam in casu proposito fuisse simoniam, quia certum est, eum qui Beneficium per simoniam acquisivit, teneri illud statim dimittere?

Resp. Dicendum cum Glossa in dicto capite (*Glossa in cap. Matthæus, de simonia, verbo: Consulit.*): „ Hoc „ ideo dicit (*scilicet Papa*) quia peccatum occultum „ erat, unde illum expresse non poterat prohibere nisi „ consulendo; necessitatem tamen importat, si vult salvari; quia nisi renunciet, salvari non potest, ut dixi:

„ Ex-

„ Extra de simonia, *cap. Ex tua:* Et hoc idem dicit „ littera in fine.

Quæst. 6. Licet-ne dare aliquid temporale ad tollendas molestias, seu vexationes intentas contra possidentem Beneficium?

Resp. Juxta Angelicum Doctorem (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 3.): „ Antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, „ vel quacumque Dignitate, vel Præbenda, per electio- „ nem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum „ esset, adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim „ per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obti- „ nendam. Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, „ licet per pecuniam injusta impedimenta removere.

Et S. Antoninus sic loquitur (*p.* 2. *tit.* 1. *c.* 4. §. 2. *in fine.*): „ Quinto, ratione redimendæ vexationis, & „ antequam jus acquiratur alicui in Beneficio, vel Digni- „ tate, non licet dare ad redimendam vexationem suam; „ alias simonia esset. Sed postquam fuerit adeptus, & „ jus sibi acquisitum, vexationem sibi injuste factam su- „ per Ecclesia, vel Beneficio, vel Dignitate, licet pe- „ cunia redimere; sed non justam vexationem, ut si „ juste accusaretur, & hujusmodi ".

Sed ne quis in hujusmodi casibus sibi aduletur, & in aliquam simoniæ speciem incidat, S. Carolus ita statuit in Concilio Mediolanensi (1. *tit. quæ pertinent ad collationem Beneficiorum.*): „ Ne redimendæ vexationis „ specie, in causis Beneficiorum simoniacæ pactiones in- „ tercedant; nemini licere volumus ad redimendam ve- „ xationem, ne in casibus quidem jure permissis, pecu- „ niam dare, quicquamve pacisci, aut transigere, nisi „ Episcopi consensus accesserit: cujus partes erunt, & per- „ spicere diligenter, an subsit aliqua fraus; & ubi rem „ fraude carere, & jure permissam esse cognoverit, non „ denegare ei, qui petierit, facultatem se a vexatione li- „ berandi ".

Idem fere constitutum reperitur in Concilio Beneventano (*an.* 1656. *tit.* 31. *n.* 2.), his verbis: „ Ne redi- „ mendæ vexationis specie, in causis beneficiorum simo- „ niacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus, „ ad redimendam vexationem, ne in casibus quidem ju- „ re permissis, pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut „ transigere, nisi Episcopi consensus accesserit: cujus par- „ tes erunt, & perspicere diligenter, an subsit aliqua „ fraus; & ubi rem fraude carere, & jure permissam es- „ se cognoverit, non denegare ei, qui petierit, faculta- „ tem se a vexatione liberandi. Qui contra quam de- „ cretum a Nobis est, fecerit, Episcopi arbitratu plecta- „ tur, & quod actum fuerit, irritum sit, ac nullum ". Idem habetur in Concilio Neapolitano ann. 1576. cap. 34. Et in Synodo Æsina ann. 1683. tit. 36. Et in Syn. Auximana ann. 1593.

Præterea in Synodo Ravennatensi (*an.* 1607. *de Be-*

nef.

„ *nef. num.* 4.) decernitur, quod „ nulli liceat in casi-
„ bus a jure permissis, sese a vexatione redimere abs-
„ que Episcopi licentia, qui re diligenter inspecta & co-
„ gnita, quod juri, & æquitati consentaneum videbi-
„ tur, decernet & admittet; " quod etiam confirmatur in alia recentiori Synodo Ravennatensi Cardinalis Aloysii Capponi (*an.* 1604.)

Demum Cardinalis Julius Feltrius de Ruvere, in Concilio Provinciali Ravennatensi (*anno* 1669. *de Benef. cap.* 6.) decernit, ut „ nulli liceat, in casibus a jure
„ permissis, sese a vexatione redimere absque Ordinarii
„ licentia, qui re diligenter inspecta & cognita, quod
„ juri, & æquitati consentaneum videbitur, pro sua con-
„ scientia decernet, & admittet " .

Et ita maxime convenit, ut in praxi non redimantur vexationes, antequam consulatur Episcopus, si id fieri possit; aut certe viris piis, doctis, & prudentibus tota rei series exponi debet, ut videre possint, num, sub redimendæ vexationis specie, aliquæ simoniacæ pactiones non lateant; vel an periculum non sit, quod illicitis aliorum extorsionibus facilius annuendo, ipse eorum injustitiæ aliquo modo complex fiat, aut saltem scandali causa sit. Quæ omnia haud dubie securius aliis expendenda committuntur; quia sæpius aviditas, qua cupimus a vexationibus liberari, & beneficium pacifice possidere, facile excæcare potest, & proprium judicium corrumpere.

Quæst. 7. Licet-ne dare pecuniam Sacerdoti, ut administret Sacramentum, cum adest extrema necessitas illud recipiendi, & non vult illud gratis administrare?

Resp. Id fieri nullatenus debet, juxta Doctoris Angelici doctrinam; & satius est, sine Baptismo, aut sine Confessione mori, quam simoniæ illius sacerdotis participem fieri, qui sine pecunia Sacramentum non vult administrare, volens hoc modo sacrum ministerium vendere. Cum sibi objecisset sanctus Thomas (2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 1.): „ Videtur, quod non semper sit illici-
„ tum pro Sacramentis pecuniam dare; Baptismus enim
„ est janua Sacramentorum: sed licet, ut videtur, in
„ aliquo casu dare pecuniam pro Baptismo, puta, quan-
„ do Sacerdos puerum morientem sine pretio baptizare
„ non vellet: ergo non semper est illicitum emere vel
„ vendere Sacramenta " .

Huic objectioni Angelicus Doctor respondet his verbis: „ Ad primum ergo dicendum, quod in casu ne-
„ cessitatis quilibet potest baptizare: & quia nullo mo-
„ do est peccandum, pro eodem est habendum, si Sa-
„ cerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non
„ esset qui baptizaret; unde ille qui gerit curam pue-
„ ri, in tali casu licite potest eum baptizare, vel a quo-
„ cumque alio facere baptizari. Posset tamen licite a-

„ quam a Sacerdote emere, quæ eſt purum elemen-
„ tum corporale. Si autem eſſet adultus, qui baptiſmum
„ deſideraret, & immineret mortis periculum, nec Sa-
„ cerdos eum vellet ſine pretio baptizare; deberet, ſi
„ poſſet, per alium baptizari: quod ſi non poſſet ad a-
„ lium habere recurſum, nullo modo deberet pretium
„ pro baptiſmo dare, ſed potius abſque baptiſmo dece-
„ dere: suppleretur enim ei ex baptiſmo flaminis, quod
„ ex Sacramento deeſſet ".

Quæſt. 8. Liceret-ne dare rem aliquam ſpiritualem, veluti jus nominandi ad Beneficia, munus Vicarii, aut Officialis, & ſimilia, ad redimendam vexationem, quæ excitatur contra Beneficiarium canonice electum?

Reſp. Certum videtur, juxta ſanctum Thomam loco mox citato, Simoniam reperiri in caſu propoſito; quia ſcilicet hæc vexatio eſt res temporalis, pro qua redimenda, aut amovenda, pecunia dari poteſt ex ſententia Sancti Thomæ, non autem res aliqua ſpiritualis. Proindeque numquam licet jus aliquod ſpirituale dare ad removendam quamcumque vexationem, quia vexatio eſt temporalis res, & ita in hoc caſu datur ſpirituale pro temporali, in quo vera Simonia conſiſtit.

Quæſt. 9. Committitur-ne Simonia, cum promittitur aliquid temporale pro ſpirituali ſine intentione ſolvendi; v. gr. Petrus promittit Paulo centum aureos, ſi velit in ſui favorem Beneficium renunciare, ſine ulla tamen intentione ſolvendi: quia probe ſcit, non licere temporale pro ſpirituali dare?

Reſp. Certum videtur, id ſine Simonia fieri non poſſe; quia Simoniæ ratio in eo potiſſimum ſita eſt, quod quis ad Beneficium per rem temporalem perveniat; qui autem promittit ſine intentione ſolvendi, non minus conſequitur Beneficium per pecuniam, quam is qui promiſſam pecuniam ſolvit, cum in utroque caſu pecunia ſit cauſa conceſſionis Beneficii. Et hoc ſolum inter primum & ſecundum diſcrimen eſt, quod qui promittit pecuniam ſine intentione ſolvendi, Simoniæ vitio deceptionis crimen adjungit.

Idcirco Concilia non modo prohibent ne detur, ſed etiam ne promittatur pecunia. In Concilio Melphitano in Apulia ſub Urbano II. congregato (*ann.* 1090.), ſic ſtatuitur: „ Sanctorum Patrum ſententiis conſona ſen-
„ tientes, Dei & Apoſtolorum ejus parte præcipimus,
„ ne quis ulterius dato, vel promiſſo, vel pretio, vel
„ ſervitio ea intentione impenſo, vel precibus Epiſco-
„ palem nitatur aſſequi dignitatem; nec ullus eam præ-
„ taxato tenore indulgeat: idem etiam de omni Eccle-
„ ſiaſtica dignitate, vel officio, Apoſtolicæ poteſtatis au-
„ thoritate, præfinimus ".

In Concilio etiam Toletano 8. relato in Canone (*Can. Reperiunt*, 2. *q.* 1), ſic dabetur: *Si quis pro percipien-*

da

da Sacerdotii dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore anathematis se noverit opprobrio condemnatum.

Idem habetur in cap. *Super hoc*, De Renunciatione: & in cap. *Cum essent*, De Simonia.

Verum sanctus Carolus (*Conc. Mediolan.* 1. *tit. Quæ pertinent ad collationem Beneficiorum.*) videtur omnes preoccupasse, prævidisse, & præscidisse humanæ subtilitatis & cupiditatis artes & technas, quibus nititur per rem aliquam temporalem Beneficia consequi sine nota Simoniæ, dum statuit, ut Episcopi *Forma dignum* non darent pro quacumque Beneficio, cuivis nominato, præsentato, aut electo, nisi exacto prius sequenti juramento.

Ego N. præsentatus, vel electus &c. ad Beneficium N. juro per Sacro-sancta Dei Evangelia, quæ meis manibus tango, neque me Beneficii obtinendi causa, aut ut ad id præsentarer, vel nominarer &c. neque quemquam alium meo nomine, aut consentiente vel sciente me, quidquam collatori, Patrono seu alii cuiquam ea de causa promisisse, aut dedisse, aut compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse: Neque mutuo dedisse, vel locasse, vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remisisse aut relaxasse. Nec de domibus, terris, prædiis, reditibus ejus Ecclesiæ, fructibusve, decimis, aut oblationibus ejusdem præteritis, præsentibus, aut futuris, donationem, remissionem, locationemve fecisse, promisisse, aut inivisse: aut alium, mandante vel consentiente me, promisisse, fecisse, aut inivisse: ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Quæst. 10. Licet-ne emere rem temporalem spirituali annexam, dando pretium, non pro re spirituali, sed pro sola re temporali illi annexa?

Resp. Ex sancto Thoma (2. 2. *q.* 100. *ar.* 2. *in corp.*); „ Dicendum, quod aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter; uno modo sicut ex spiritualibus dependens, sicut habere Beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritalibus annexum: quia non competit, nisi habenti Officium Clericale, unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus: & propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut jus Patronatus, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Ecclesiastica Beneficia: & vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum. Unde hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ex ordine temporis præcedunt: & ideo aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa “.

Unde colligere licet, quod quamvis possint vendi Calices ratione materiæ & metalli, non licet tamen accipere

pere aut dare aliquid pro Beneficio sub specie aut prætextu, quod accipiatur tantum intuitu rei temporalis, id est redituum Beneficio annexorum.

Idcirco Paschalis Papa I. (*Can. si quis objecerit*, 1. *q.* 3.) *Si quis objecerit*, inquit, *non consecrationes emi, sed res quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur: quisquis enim horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*.

In Concilio etiam Remensi (2. *tit.* 21. *c.* 6.) sic habetur; „ Illi habentur Simoniaci, qui Beneficia resque „ spirituales pecuniis comparant & conferunt, vel certe „ rebus, quæ pecunia æstimari queant; nam eorum im„ pudentissimum prætextum detestamur, qui de solo pro„ ventu, reque temporaria se pacisci dicunt, cum ea „ spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis „ una ab altera divelli queat, quam in homine vivo „ manente corpus a sua anima ".

Quæst. 11. Licet-ne vendere jus Patronatus?

Resp. Ex Decrero Alexandri Papæ tertii vendi non potest (*Cap. de jure*, *Extr. De jure Patron.*): „ De ju„ re vero Patronatus, *inquit*, mandamus, quatenus si „ quis illud comparavit, cum inconveniens sit vendi jus „ Patronatus, quod est spirituali annexum, contractum „ illum irritum esse decernas ".

Quæst. 12. Quomodo igitur intelligendum est, quod superius diximus, ex sancto Thoma, de rebus temporalibus annexis spiritualibus, & quæ ad ea ordinantur, inter quas ponit Angelicus Doctor jus Patronatus, dicens, quod vendi possunt?

Resp. Intelligit Divus Thomas (2. 2. *q.* 100. *ar.* 4. *ad* 5. *Et in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *n.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 3. *Instit. Juris Canonici*, *l.* 1. *t.* 28. §. *Sed si quis.*), jus Patronatus vendi posse indirecte, hoc est, posse transferri ab uno ad alium, cum venduntur bona, quibus annexum est: *Jus Patronatus*, inquit, *per se vendi non potest, sed transit cum villa quæ venditur vel conceditur*. Unde etiam in Institutionibus Juris Canonici sic habetur: *Sed si quis dato pretio, hujusmodi sibi jus comparare ausus fuerit, talis contractus irritus erit & inanis, nisi tale jus cum universitate rerum transferretur*.

Quæst. 13. Licet-ne vendere Calicem consecratum?

Resp. „ Dicendum, *inquit Angelicus Doctor* (*in* 3. „ *sent. dist.* 25. *q.* 3. *ar.* 2. *q.* 2. *ad* 1.), quod vasa sa„ cra nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, „ ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exi„ gatur; tamen in necessitate Ecclesiæ possunt vendi ex „ parte ejus, quod in eis est non spirituale, scilicet ma„ teria auri & argeni: & tunc si venduntur Ecclesiasticæ „ personæ, possunt integra vendi; si autem venduntur „ aliis non ad usum Ecclesiæ debent prius frangi, præ-

„ missa

„ missa oratione, ne sancta ab aliis tractentur, quam a „ ministris Ecclesiæ “.

Et in Canone statuitur (*Can. Hoc ejus*, 12. *q.* 2.), quod *Si Ecclesia habet superflua vasa, nec aliunde solvere valet, vel integra aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel conflata cuilibet alii vendantur.*

Quæst. 14. Licet-ne carius vendere bona, veluti feudum, eo quod annexum habeat jus Patronatus, aut Calicem, eo quod sit consecratus?

Resp. Id nullo modo licet, quia daretur pretium temporale pro re spirituali annexa, quod est manifesta Simonia, ut docet S. Thomas, ubi supra.

Quæst. 15. Quanam de causa videmus, quod prioribus Ecclesiæ sæculis Concilia & sancti Patres ut plurimum contra Simoniam, quæ in Ordinationibus fit, acriter invehuntur: posteriori vero tempore contra simoniacas beneficiorum collationes vehementius frequentiusque insurgunt?

Resp. Si quis ex hac varia loquendi methodo argueret, quod olim minus ac hodie simoniaca beneficiorum collatio Ecclesiæ displicuerit, aut quod hodie minus quam olim horreat Ecclesia simoniacam Ordinationem, multum profecto falleretur; idem enim est veterum & recentiorum Canonum scopus, ut egregie differit eruditus nostrorum temporum sacrorum Canonum interpres; nimirum ut omnis in electione Ministrorum Ecclesiæ caveatur simonia, atque servetur illud Christi præceptum: *Gratis accepistis, gratis date*: quod vero prioribus seculis amplius contra ordinationes simoniacas, quam posterioribus, decertatum fuerit, ex diversa quæ circa electionem Ministrorum atque Officiorum Ecclesiasticorum distributionem intervenit disciplina, factum est.

Primis enim sæculis in more positum erat, ut Clerici per ipsam Ordinationem jus ad proventus Ecclesiasticos acciperent, imo per ipsam ordinationem ad Ecclesiæ dignitates pervenirent; ita ut ipsa sacra Ordinatio, collationis tituli Ecclesiastici loco esset. At posterioribus sæculis titulus Ecclesiasticus, cui jus percipiendi emolumenta annexum est, ab ipsa Ordinatione paulatim sejunctus fuit, & separatim ab illa conferri cœpit. Hinc ulterius contigit ut Simonia rarior circa sacras Ordinationes, frequentior vero circa titulorum Ecclesiasticorum, seu beneficiorum collationes esse cœperit, ac per consequens ad illam extirpandam Simoniam circa Ordinationes rarioribus, ad Simoniam vero in beneficiis evellendam frequentioribus decretis opus fuerit.

Nec id mirum: cum enim Simoniaci non spiritualia propter spiritualia, ambiant, sed ob temporalia lucra, honores, atque dignitates, spiritualia adipisci unice contendant; nihil aut parum de sacra Ordinatione soliciti fuere, quando per illam parum temporalis lucri accede-

re

re intellexerunt: sed quomodo titulum Ecclesiasticum, seu beneficium, per quem ad emolumenta atque honores temporales pervenire possent, adipiscerentur, unice incumbere maluerunt (*Van-Espen, De simonia p.* 1. *c.* 1. §. 2.)

Ut igitur verbo dicam, tota ac unica ratio, quare per decem circiter sæcula Simonia fere circa solas sacras Ordinationes versaretur, ac ob id ad eam extirpandam eo tempore Decreta edi atque frequenter renovari deberent: postremis vero sæculis rarior in Ordinatione, frequentior in collationibus beneficiorum fuerit Simonia: hæc est, quod prioribus sæculis lucra sæculi, quæ Simoniaci potissimum intuentur, sacram Ordinationem sequerentur: ultimis vero sæculis, non sacram Ordinationem, sed tituli Ecclesiastici, seu beneficii adeptionem illa consequantur.

CAPUT II.

De divisione Simoniæ.

Quæst. 1. Quomodo dividitur Simonia?

Resp. Dividitur primo in Simoniam de jure divino, & Simoniam de jure tantum positivo: utraque subdividitur in mentalem, conventionalem, & realem.

Quæst. 2. Quænam est Simonia juri divino contraria?

Resp. Illa est, quæ committitur dando rem temporalem pro re ex natura sua spirituali, cujusmodi sunt Sacramenta: aut pro re spirituali annexa, cujusmodi sunt Beneficia, vasa sacra, & Ecclesiæ ornamenta, cum carius venduntur, eo quod destinata sint ad usum sacrum.

Quæst. 3. Quænam est simonia contra jus positivum, aut Ecclesiasticum?

Resp. Ea est, quæ legibus tantum Ecclesiasticis prohibetur, & in qua licet non detur temporale pro spirituali, aliquid tamen simile committitur; unde ex motivo religionis hæc actio ab Ecclesia prohibita fuit tamquam simoniaca, & quoties fit, simonia perpetratur Ecclesiastico juri contraria. Exempli gratia, Beneficium pro alio authoritate propria permutare, licet tunc spirituale pro spirituali detur, simonia tamen est Ecclesiastico juri contraria, juxta cap. *Quæsitum*, & cap. *Cum olim*, De rerum permutatione; quia scilicet id ab Ecclesia prohibitum fuit.

Quæst. 4. Quot sunt species simoniæ Ecclesiastico juri contrariæ?

Resp. Multæ sunt, & præcipuæ dicuntur: Primo munera, seu officia temporalia instituta tantum pro administratione rerum Ecclesiasticarum, vendere: ut sunt Officia Sacristæ, Officialis, Procuratoris, Advocati, & similia, cum id multis Canonibus prohibitum fuerit, & præ-

præsertim, Can. *Salvatore*, 1. *q.* 3. & c. *Consulere*, in quo sic habetur (*Can. Consulere, de Simonia*): „ Quicumque vel Dominatum, vel aliam Ecclesiasticarum „ rerum administrationem, per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes, quam vendentes, cum Simone „ percelluntur; & ab illa Ecclesia, in cujus contumeliam dare pecuniam vel accipere voluerunt, juste excluduntur". Lucius etiam Papa III. sic scribit cuidam Episcopo (*Cap. Ad nostram de Simon.*): „ Discretioni „ vestræ mandamus, quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo, sive pro Vicariis assignandis, seu pro „ Chrismate, nullatenus pecuniam exigatis".

Præterea Alexander Papa tertius in Concilio generali Lateranensi ita statuit (*Cap. Præterea, ne Prælati vices suas, &c.*): „ Quoniam in quibusdam partibus sub „ pretio statuuntur, qui pro certa pecuniæ quantitate, „ Episcopalem Jurisdictionem exercent; præsenti Decreto statuimus, ut qui de cætero hoc præsumpserit, Officio suo privetur; Episcopus conferendi hoc Officium „ potestatem amittat".

Secundo, prohibetur jure Ecclesiastico ne quis permutet Beneficium cum altero sine Superioris authoritate, ut videre est in cap. *Quæsitum*, & in cap. *Cum olim*, De rerum permutatione.

Tertio, non licet resignando Beneficium, indicare collatori successorem: ita ut quis resignet cum hac principali intentione, ut Beneficium resignatum ad eum perveniat, quem collatori indicavit. Quod prohibetur in Bulla Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ Dei*.

Quæst. 5. Simonia, quæ committitur in collatione Beneficiorum, quæ conferuntur propter rem temporalem, est-ne contra jus divinum, aut solum contra jus Ecclesiasticum?

Resp. Patet ex supradictis, hanc simoniam esse contra jus divinum, cùm probatum fuerit authoritate summorum Pontificum & Conciliorum, illum, qui vendit rem spirituali annexam, vendere spirituale: ac proinde committere Simoniam contra jus divinum, quæ in hoc consistit, quod detur res temporalis pro spirituali. Et ut habetur in Canone (*Can. si quis objecerit*, 1. *q.* 3.): *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*.

Quod certe manifestum videbitur iis, qui paulo attentius perpendere volent Alexandri Papæ II. verba (*Can. Ex multis*, 1. *q.* 3.): „ Chalcedonense, *inquit*, Concilium, unum ex principalibus, simili pœna condemnat eos, qui Ecclesiæ Beneficium interventu pecuniæ „ acquirunt, & eos qui sacram manus impositionem, „ per quam Spiritus sanctus confertur, mercari dignoscuntur: utrosque enim authoritate inexpugnabili, illos a Beneficio, istos a sacro Ordine jubet expelli. „ Unde humani generis redemptor omnes vendentes &

„ emen-

„ ementes de templo ejiciens, cathedras vendentium co-
„ lumbas evertit, nummulariorum effudit æs, præcepti
„ sui authoritate denuncians, & dicens: *Nolite facere*
„ *domum Patris mei, domum negotiationis*. Et paulo
„ post dicitur: Sicut per columbarum venditores illi de-
„ notantur, qui sacram manus impositionem vendere co-
„ nantur; sic per nummularios Ecclesiastici Beneficii
„ venditores designantur, qui domum Dei, teste Evan-
„ gelio, speluncam latronum efficiunt. Quod si aliquis
„ divinorum præceptorum & animarum salutis imme-
„ mor, præfatum Beneficium Ecclesiæ, iniqua cupiditate
„ ductus, vendere vel emere temerario ausu præsumpse-
„ rit, gradus sui periculo eum subjacere decernimus:
„ nec ministrare possit Ecclesiæ, quam pecunia venalem
„ fieri concupivit, & insuper terribili anathematis mu-
„ crone perfossus, nisi resipuerit, ab Ecclesia Dei, quam
„ læsit, modis omnibus abscindatur".

Id etiam confirmari potest authoritate Urbani Papæ II. qui consultus, utrum simoniacum esset vendere rem Ecclesiasticam, id est Beneficium, ut ait Glossa, sic respondet (*Can. Salvator*, I. *q.* 3.): „ Hoc simoniacum
„ esse patenter colligitur ex hoc, quod Beatus Aposto-
„ lus Petrus ait Simoni: *Pecunia tua tecum sit in per-*
„ *ditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possi-*
„ *deri*. Donum quippe Dei est Spiritus sanctus, & do-
„ num Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata. Et, si bene ani-
„ madvertis, Simon Magus, qui ad fidem ficte accessit,
„ non Spiritum sanctum, quo ipse erat indignus, sed
„ donum Dei emere voluit: ut ex venditione signorum,
„ quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lu-
„ craretur .... Quisquis igitur res Ecclesiasticas & Dei do-
„ na, quæ a Deo fidelibus, & a fidelibus Deo donan-
„ tur, quæque ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gra-
„ tis dari debent, propter sua lucra vendit, aut emit,
„ cum eodem Simone donum Dei possideri pecunia exi-
„ stimat".

Unde colligere licet, juxta hunc summum Pontificem, simoniam committi juri divino contrariam, cum datur pecunia pro consequendo Beneficio; quia donum Dei emitur, idemque fit, quod a Simone Mago olim perpetratum fuit: qui certe simoniæ juri divino contrariæ reus fuit, cum tunc nullum adhuc esset jus Ecclesiasticum, quo sub pœna simoniæ aliquid prohiberetur.

Præterea id docere videtur Doctor Angelicus, dum sic loquitur (I. 2. *q.* 100. *art.* I. *in corp.*): *Habere Beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum, quia non competit, nisi habenti Officium Clericale. Unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, & propter hoc ea nullo modo vendere licet*. Ratio autem, cur simonia perpetretur, juxta hunc sanctum Doctorem, in venditione Beneficiorum Ecclesiasticorum, est, quia

venditur spirituale, in quo certe consistit simonia juri divino contraria.

Demum id probari potest authoritate Sancti Antonini, in quo sic habetur: *Præbenda, quamvis quid temporale sit, tamen quia annexa spirituali, scilicet Canoniæ, vendi non potest; alias ipsa vendita venditum intelligitur illud jus spirituale*. Igitur quoties, juxta S. Antoninum, datur pecunia pro Beneficio, emitur res natura sua spiritualis, & simonia fit contra jus divinum, quia simonia de jure divino in hoc consistit, quod res temporalis detur pro re ex natura sua spirituali.

Quæst. 6. Quænam est simonia mentalis?

Resp. Ea est, quæ solo interno voluntatis actu peragitur, sine ullo pacto, vel expresso, vel tacito. Hæc rursus subdividi potest in simoniam mere mentalem, quæ fit, dum adest solum desiderium emendi rem spiritualem, veluti Beneficium, pro re aliqua temporali, licet executioni non mandetur, quia tunc reperitur nemo, qui Beneficium velit vendere, ut patet ex cap. *Mandato*, *de simonia*. Altera vero est simonia non omnino, seu non mere mentalis, quamvis nullum intercesserit pactum expressum, vel tacitum, quia aliquem sortitur effectum. Petrus, exempli gratia, habet jus nominandi ad Beneficium Ecclesiasticum, & duo illi proponuntur, Paulus inops, & alias aptior, seu dignior, & Joannes dives, & minus dignus: Petrus, qui non vult nominare ad hoc Beneficium absque aliquo temporali commodo, nominat Joannem, quem non nominaret, nisi accederet spes alicujus temporalis lucri; de quo tamen non convenit, ne pro simoniaco habeatur, aut certe ne nimium emordeat conscientia. In hoc casu Petrus committit simoniam, quæ non est pure mentalis, quia prava ejus voluntas aliquem effectum sortitur.

Quæst. 7. Quænam est simonia conventionalis?

Resp. Simonia conventionalis ea est, quæ committitur, quoties additur mentali simoniæ pactum, sive tacitum, sive expressum, dandi, aut accipiendi rem temporalem pro spirituali: Et est duplex; altera pure conventionalis, cum scilicet, facto pacto, seu conventione inita, dandi rem temporalem pro spirituali, nihil tamen revera datur, aut accipitur. Petrus, v. g. & Paulus statuerunt dare, aut recipere aliquid temporale pro Beneficio; postmodum pœnitentia ducti, aut propositum exequi non valentes, conventionem, pactumque retractant. Licet autem hæc simonia videatur externa, mentalis tantum censetur, quantum ad pœnas Canonicas ejusmodi simoniacis impositas.

Simonia vero non omnino, seu non pure conventionalis, ea est, quæ fit, cum ex una tantum parte perficitur pactum initum; veluti cum Petrus in casu Beneficii dat Paulo, quod ei promisit, sed Paulus facti pœnitens non vult acceptare, aut recusat dare spirituale, quod promiserat.

Quæst.

Quæst. 8. Quænam est simonia realis?

Resp. Ea est, quæ committitur, cum post conventionem tacitam, vel expressam, partes hinc inde perficiunt, quod statuerant in conventione, dum scilicet alter dat spirituale, alter vero temporale.

Quæst. 9. Quot modis simonia perpetratur?

Resp. Cum simonia in hoc consistat, quod spiritualia non conferantur gratis, tria sunt donorum, seu munerum genera, cum quibus committitur simonia, cum eorum intuitu datur, vel quæritur aliquid spirituale; sunt autem munus a manu, munus a lingua, & munus ab obsequio. *Cum virum justum Propheta describeret*, inquit sanctus Gregorius Papa (*Can. Sunt nonnulli*, 1. *q*. 1.): *ait; Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere: non dixit solum a munere, sed ab omni munere; quia aliud est munus ab obsequio, aliud a manu, aliud a lingua: munus ab obsequio est servitus indebite impensa; munus a manu, pecunia est; munus a lingua, favor*. Quæ tria complectuntur omnia munera, seu officia, quæ præstantur, aut exiguntur ad recipiendam, aut dandam rem aliquam spiritualem. Idem etiam habetur in Can. *Ordinationes*, 1. q. 1. Et in Can. *Salvator*, 1. q. 3.

Sanctus vero Gregorius VII. tria hæc munera exponit his verbis (*l.* 6. *Registri*, *ep*. 34.): „ Qui nullo interveniente munere electi, vel promoti fuerint, videlicet „ a manu, ab obsequio, & a lingua: a manu, ut nullum pretium prorsus a se, vel ab alio tribuatur: ab „ obsequio, ut nihil inde servitii faciat, sicut quidam „ intentione Ecclesiasticæ Prælationis potentibus personis „ solent deferre: a lingua, ut neque per se, neque per „ submissas personas preces effundat ".

Demum Sanctus Petrus Damiani, Cardinalis Episcopus Ostiensis, de tribus hisce muneribus ita loquitur (*In Epistola ad Collaterales Episcopos Cardinales*): „ Plane „ Prophetica illa sententia sic exponitur, ut tria dicantur esse munerum genera, scilicet munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua. Siquidem munus a „ manu, pecunia; munus ab obsequio, obedientia subjectionis: munus a lingua, favor adulationis. Et cum „ ab unoquoque horum manus excutiendas Propheta denuntiet, omnibus his manus implicasse convincitur, „ qui nanciscendæ dignitatis ambitu, potestatum sublimium castra sectatur. Nam, dum in vehiculis acquirendis, diversorumque sumptuum apparatibus non modica summa profunditur, hic procul dubio datæ pecuniæ obnoxius invenitur: qui etiam nulli dubium, quin „ ei & obsequium præbeat, cui factus assecla, sub tanto laboris, & itineris fasce desudat. Postremo, dum „ domino suo blandiri, ejusque voluntati congruere per „ omnia nititur, sæpe ipsi quibusdam adulationis favoribus assentatur. Porro autem quisquis in dandis, accipiendisve dignitatibus Ecclesiasticis una dumtaxat ea-

„ rum, quæ prædictæ sunt, peste corripitur, simoniacæ „ hæreseos teneri crimine judicatur. Quam ergo sui af- „ ferrent excusationem, qui licet verbis non contraxe- „ rint venalis pacta commercii, operatione tamen, non „ uno, sed omnibus his probantur laqueis irretiti? Ve- „ rumtamen jactant se & eo gloriantur innoxios, quia „ nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se „ pepigere daturos.

„ Sed dic mihi, o Clerice, quisquis es, si redempto „ quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, „ ut retenti apud te vice pretii, hujusmodi sibi sedulita- „ tis impendium exhiberes: numquid non postmodum „ constanter assereres, te quod acceptum est, justo pre- „ tio comparasse? non videlicet quia pecuniam persolvi- „ sti, sed quia servitium præbuisti. Diceres enim, & „ non hoc fortassis imprudenter astrueres; Carius emi, „ dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum „ mearum sumptus expenderem; quam si semel præfixæ „ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquam ergo si- „ bi innocentiam spondeant, & a simoniacæ hæreseos „ maculis se mundos esse confidant, qui licet metalla „ vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipien- „ dis honoribus, per subjectionis obsequium, quædam „ sibi talenta persolvunt".

Quæst. 10. Potest-ne afferri aliqua ratio, qua demonstretur, his tribus muneribus contineri, quidquid temporale pro spirituali dari potest?

Resp. Rationem assignat Angelicus Doctor, dum sic loquitur (*in* 4 *sent. dist.* 25.); *Aliquis ab alio bonum temporale expectat, quod vel ex anima oriatur, qualis est amicitia, & favor, & tunc munus a lingua est: vel ex corpore, quales sunt operæ, & tunc munus ab obsequio: vel ex bonis exterioribus, qualis est pecunia, & tunc munus a manu appellatur.* Sub pecunia enim omnia exteriora bona, quæ possident homines, continentur, ut docet Sanctus Augustinus in Can. *Totum quidquid*, 1. q. 3.

Quæst. 11. Simonia mentalis est-ne vere simonia, adeo ut dare aliquid spirituale cum intentione habendi aliquod temporale, absque ullo prævio pacto, sit simonia?

Resp. Certum est, simoniam mentalem esse veram simoniam, ac proinde simoniacos esse illos, qui dant, aut recipiunt aliquid temporale, cum intentione habendi aut dandi aliquid spirituale, etiam absque pacto.

Id probari potest primo ex celebri c. *Tua nos*, in quo sic habetur (*Cap. Tua nos, de simon.*): „ Si vero „ pure, ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat, „ rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & „ bona sua retinere sibi liceat pro Præbenda, & Cleri- „ ci ejusdem Ecclesiæ pure consentiant; hujusmodi re- „ ceptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravita- „ tis. Licet autem taliter duxerimus respondendum, „

„ quia Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare; si tamen is, qui talem donationem facit, ea „ intentione, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam ille, „ quam isti apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabiles judicantur".

Probatur etiam ex Angelico Doctore, qui sic loquitur (*in 4. sent. dist. 25. q. 3. art. 1. ad 7.*): *Qui dat ratione consanguinitatis præbendam, qui si intendit aliquod bonum in seipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit fortior, simoniam committit; quia aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat.*

Quod aperte declarat, simoniam esse posse sine pacto; nemo enim sibi fingere potest, privatim aliquem pactum iniisse cum omnibus hominibus, quod si Beneficium det consanguineis, familiam suam magis æstimabunt. Non est igitur necesse pacisci, ut fiat simonia, seu ut reus aliquis fiat veræ simoniæ.

Quæst. 12. Numquid datur alia simoniæ species, quæ confidentialis dicitur?

Resp. Bulla 85. Pii IV. quæ incipit, *Romanum Pontificem*; & Bulla 85. Pii V. quæ incipit, *Intolerabilis*, satis indicant, talem esse simoniæ speciem ab his duobus summis Pontificibus damnatam, qui fuse statuunt, ut ejusdem simoniæ rei priventur omnibus Beneficiis, & muneribus Ecclesiasticis, & incapaces sint aliqua deinceps possidendi, nisi dispensationem consequantur, & peccati sui pœnitentiam agant.

Quæst. 13. Quænam est confidentiaria illa simonia?

Resp. S. Pius V. in Bulla mox citata eam describit his verbis (*Bulla* 85. *Pii V. quæ incipit*, *Intolerabilis*): „ Multi ipsa Beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne „ cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant; alii ut alieno nomine „ lites agant, aut defendant; alii propter crimina incapaces; quidam ut, purgato delicto, vel absolutione „ consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, „ & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, „ aut quibus ipsi statuunt, sæpe Laicis, & inhabilibus. „ Plerique vel senes, vel infirmi, ut Beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt, vel renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium „ de fructibus Ecclesiasticis alant, vel ea etiamnum „ infantibus, aut nascituris asservent, facto interdum „ circuitu retrocessionis cum reservatione fructuum.... „ Alii aut incapaces, aut aliis Beneficiis onusti, aut Ecclesiastico Ordini se mancipare refugientes, aut mere „ Laici, Beneficia Ecclesiastica aliis conferenda procu-

 rant,

„ rant, ut de illis postmodum ad libitum suum dispo„ natur, fructus etiam percipientes ipsorum. Ad hæc „ plerique Odinarii, & Collatores, ac etiam Patroni „ Laici, curant deponenda Beneficia, ut fructus, seu „ pensiones capiant eorumdem, aliisve faciant ministra„ ri. Alia item permulta ejuscemodi admittuntur, qui„ bus immaculata rerum divinarum puritas impie viola„ tur, disciplinæ Ecclesiasticæ nervus dirumpitur, & „ imminens paratur exitium animarum".

Concilium autem Rothomagense (*an.* 158. *tit. de Episcoporum Officiis*, §. 21.) de talibus pactis confidentialibus ita loquitur: „ Non levius malum nostris tem„ poribus aut exortum, aut longius propagatum, Eccle„ siam affligit, ac perdit, per aliorum Beneficiorum cli„ tellarios asinos, & custodes, qui confidentiarii vocan„ tur: quorum nomine, ac ministerio, viri, Laici, ac „ mulieres hæreditate possident sanctuarium Dei, ac pro„ fanant. Tam illos custodes, quam eos, quorum cupi„ ditati deserviunt, denunciari quoque in Prono, & „ concionibus pro excommunicatis, & teneri ad restitu„ tionem fructuum, atque eorumdem hæredes, ex Bul„ la summi nostri Papæ Pii V. per omnes dies Domini„ cos jubemus".

CAPUT III.

De variis casibus, in quibus simonia committitur.

Quæst. I. COmmittit-ne simoniam, qui fundat Beneficium cum intentione illud permutandi cum alio?

Resp. Simonia procul dubio committitur in hoc casu; idque probatur primo ex cap. *Tua nos* (*de simonia*), in quo Innocentius III. sic loquitur: *Si Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: talis oblatio, vel receptio non poterit fieri sine vitio simoniæ*. Unde colligere licet, eum esse simoniacum, qui Beneficium fundat ea intentione, ut cum alio permutet; quia cum permutare non possit tale Beneficium, nisi prius ipsi conferatur, illud semper fundat cum pacto expresso, aut tacito, quod sibi conferatur.

Quod ita certum est, ut Prosper Fagnanus, illustris Romanæ Curiæ Prælatus, & eruditissimus Canonista, explicans dictum cap. *Tua nos*, hæc observet (*In lib. I. Decretal. p. 1. in cap. Tua nos, de simonia*): „ Nota, simoniam esse, fundare, vel dotare Canonicatum, „ vel aliud Beneficium Ecclesiasticum, eo pacto, ut Be„ neficium illud sibi conferatur: de quo hic est casus „ apertus. Unde cum quidam Clericus non ita pridem „ sua bona patrimonialia contulisset pro erectione Ar-

„ chi-

„ chipresbyteratus in Cathedrali Ecclesia, cum reserva-
„ tione juris Patronatus, eo pacto adjecto ut posset sei-
„ psum præsentare, & non alias, consultus ab eodem
„ Clerico, respondi, erectionem & institutionem inde
„ secutam, fuisse simoniacam, & nullam per hanc De-
„ cretalem: & opus esse nova erectione, & provisione
„ Sedis Apostolicæ, quam postea idem Clericus impetra-
„ vit ab Urbano VIII."

Probatur secundo authoritate Angelici Doctoris, qui docet (*in 4. sent. dist.* 25. *q.* 1. *art.* 6. *ad* 8.), quod *Si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, stat permutatio, est simonia*. Quod etiam damnatur in cap. *Quæsitum, de rerum permutat.* Unde inferri potest, eos, qui fundant Beneficia cum intentione ea permutandi, esse ut plurimum simoniacos; cum fere semper commodum aliquod temporale in his permutationibus quærant.

Tertio probatur ex Bulla 12. Pauli Papæ quarti, (*quæ incipit: inter cæteras curas*) in qua sic habetur: „ Sta-
„ tuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, qui
„ Beneficia animo, & intentione, ea postmodum in fa-
„ vorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum, & be-
„ ne meritorum, cum pensione, aut commodo, aut et-
„ iam sine eo, resignandi, obtinere procuraverint; cujus-
„ cumque status, gradus, ordinis, & conditionis exi-
„ stant, excommunicationis & anathematis, ac maledi-
„ ctionis æternæ sententiam, a qua, nisi a Nobis, aut
„ Romano Pontifice pro tempore existente, præter quam
„ in mortis articulo constituti, absolvi nequeant: nec-
„ non privationis omnium, & singulorum Beneficiorum
„ Ecclesiasticorum pœnam, eo ipso, absque alia declara-
„ tione desuper facienda, incurrant". Ex quibus colligere licet, eum qui fundat Beneficium cum intentione postmodum illud cum alio permutandi, reum esse coram Deo.

Demum probatur etiam ex eodem cap. *Tua nos* (*de simonia*), modo citato; ubi sic loquitur summus Pontifex: *Si is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabilis judicatur*. Cum autem certum sit, eum, qui fundat, v. gr. Capellam cum intentione permutandi cum alio Beneficio, non dare bona sua Ecclesiæ per hanc fundationem, nisi cum intentione adipiscendi rem spiritalem, scilicet Beneficium: quia eam revera Capellaniam non fundaret, nisi speraret eam se cum alio Beneficio permutaturum; non minus etiam certum videtur, eum veram committere simoniam.

Unde etiam in Synodo Nonantulæ Eminentissimi Cardinalis de Angelis (*a.* 1688. *Appendic.* 2. *pag.* 39.), insertum reperitur Decretum Sacræ Congregationis Concilii, his verbis: „ Decretum S. Congregationis Concilii su-

„ per simoniaco augumento dotis Canonicatus. Vacante „ a pluribus mensibus Canonicatu in Ecclesia Collegiata „ S. Mariæ de Nive jurispatronatus fratrum de Mantel„ lis, Sacerdos Thomas Verrus proposuit dictis Patro„ nis, se dicti Canonicatus dotem aucturum fore me„ diante assignatione cujusdam vineæ, expressa tamen „ lege adjecta, ut ad eumdem Canonicatum debeat ab „ illis ipse præsentari. Quæsitum fuit, an dicta conven„ tio sit simoniaca“?

Sacra Congregatio Concilii Tridentini respondit, dictam conventionem esse simoniacam. Die 12. Aprilis 1687. In Alexandrina.

Quæst. 2. Nonne potest Beneficii fundator sibi jus Patronatus illius reservare, & cum alio Beneficiario pacisci, quod eum ad tale Beneficium præsentabit, modo ipse aliud Beneficium, quod possidet, dicto Patrono, aut alteri ab eo designando renuntiaverit?

Resp. Id licite fieri non potest, quia collatores, præsentatores, aut Patroni Beneficiorum, tenentur ea gratis dare. Quare dum conveniunt, ut sibi, vel alteri detur aliqua portio fructuum Beneficii, aut resignetur jam obtentum in favorem Patroni, aut collatoris, committunt simoniam. Ut enim docet Angelicus Doctor (2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 2.); *Si Episcopus ab eo, cui Beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii, idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio simoniæ.*

Quæst. 3. Nonne dici posset, similes fundationes ad Ecclesiæ bonum, & utilitatem spectare, cum augeant Ecclesiæ reditus; proindeque damnari non debere?

Resp. Tantum abest, ut ejusmodi fundationes sint in utilitatem Ecclesiæ, quin imo maximo sunt damno; cum per ipsas impendatur pecunia ad acquirenda spiritualia, veluti Beneficia, quod est simonia; cum juxta D. Thomam (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 3.): *Simonia est*, inquit, *per pecuniam parare sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* Adde, quod per tales fundationes sæpius ad dignitates Ecclesiasticas indigni perveniunt, cum magno utique Ecclesiæ damno, & mœrore, quæ filiorum salutem pluris æstimat, quam quoslibet reditus temporales.

Quæst. 4. Canonicus Choro assistens principaliter, ut accipiat distributiones, ita ut nullo modo adesset, si nullæ forent distributiones percipiendæ, committit-ne simoniam?

Resp. Sanctus Thomas huic quæstioni respondet his verbis (*Quodlib.* 8. *art.* 11. *in corp.*): *Clericus, qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter distributiones, quas recipit tamquam finem sui operis, committit simoniam.* Idem docet Glossa (*penult. in c.* 1. *de Clericis non residentibus an.* 6.), dum ait; *Canonici interessentes Horis principaliter pro denario, qui datur interessentibus*

tibus, peccant graviter, & committunt mentalem simoniam; sed per pœnitentiam satisfaciunt.

Quæst. 5. Dare, aut accipere aliquid pro sepultura, Sacramentorum administratione, aut aliis functionibus spiritualibus, est ne simoniacum?

Resp. Pro hujusmodi functionibus spiritualibus non debet quidquam exigi: & S. Thomas egregie explicat, quomodo dari, aut accipi aliquid possit (2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *in corp.*) ,,: Vendere, *inquit*, quod spirituale ,, est, aut emere, simoniacum est; sed accipere, aut ,, dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritua- ,, lia, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudi- ,, nem approbatam, licitum est: ita tamen quod de- ,, sit intentio emptionis, vel venditionis, & quod ab ,, invitis non exigatur per spiritualium subtractionem ,, quæ sunt exhibenda; hoc enim haberet quamdam ,, venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius ,, exhibitis, licite possunt statutæ, & consuetæ oblatio- ,, nes, & quicumque alii proventus, exigi a nolentibus ,, & volentibus solvere, authoritate superioris interve- ,, niente". Hæc sanctus Thomas declarat juxta plurium Conciliorum decreta.

Nam in Concilio Londoniensi (*anno* 1525. *Can.* 1.) ita statuitur: ,, Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes, ,, quemquam in Ecclesia per pecuniam ordinari, autho- ,, ritate Apostolica prohibemus. Interdicimus etiam, ,, ut pro Chrismate, pro Oleo, pro Baptismate, pro ,, Pœnitentia, pro visitatione infirmorum, seu unctio- ,, ne, pro communione Corporis Christi, pro sepultu- ,, ra, nullum omnino pretium exigatur. Statuimus præ- ,, terea, & Apostolica authoritate decernimus, ut in ,, consecrationibus Episcoporum, vel Abbatum benedi- ,, ctionibus, seu in dedicatione Ecclesiarum, non cap- ,, pa, non tapetæ, non manutergia, non bacilia, & ,, nihil omnino per violentiam, nisi sponte oblatum ,, fuerit, penitus exigatur". In hoc autem Concilio Honorius Papa II. per Legatum præsidebat.

Concilium generale Lateranense sub Alexandro III. (*Can.* 7. *ref. in c. Cum in Ecclesiæ de simon.*) summa cum diligentia simoniacas omnes & plane sordidas exactiones, quas avaritia in rerum sanctarum administrationem invexerat, penitus abolere, & abrogare cupiens, sic loquitur; ,, Cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex ,, charitate tractari, & quod gratis receptum est, gra- ,, tis impendi; horribile nimis est, quod in quibusdam ,, Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere; ita ut pro ,, Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis ,, Ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis Pres- ,, byteris in Ecclesiam, necnon pro sepulturis & exequiis ,, mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis ,, Sacramentis, aliquid exigatur; & ille, qui indi- ,, get, non possit ista percipere, nisi manum implere cu-

„ raverit largitoris. Putant plures ex hoc sibi sicere, „ quia legem moris de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis ad sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam aliis Sacramentis, aliquid exigatur, districtius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum, cujus factum turpis muneris exactione imitatur ".

Innocentius etiam III. in Concilio generali Lateranensi quarto (*Can.* 60. *ref. in cap. Ad Apostolicam de simonia.*) ita statuit: „ Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt & extorquent, & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero Laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu Canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari; statuentes, ut libere conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem mutare ".

Demum in Concilio Tridentino (*sess.* 21. *de refor. c.* 1.) sæpius exactiones in administratione Sacramentorum prohibentur, & in sessione 12. sic decernitur: „ Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum Ministri, quovis prætextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro Officio exercendo; Nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit; contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo;

„ qui

„ qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ul-
„ tra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso fa-
„ cto incurrere “.

Præterea idem Tridentinum Concilium (*Sess.* 14. *de ref. c.* 1.) in alia sessione ita statuit „: In pluribus Ec-
„ clesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, & Pa-
„ rochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex prava
„ consuetudine observari intelligitur, ut in electione,
„ præsentatione, nominatione, institutione, confirma-
„ tione, collatione, vel alia provisione, sive admissione
„ ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Be-
„ neficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem
„ proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ
„ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones,
„ promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ
„ in aliquibus Ecclesiis dicuntur, turnorum lucra inter-
„ ponantur. Hæc cum sancta Synodus detestetur, man-
„ dat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios
„ non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ
„ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent fieri
„ non permittant, ipsique diligenter de eorum constitu-
„ tionibus, sive consuetudinibus, super prædictis cogno-
„ scant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint,
„ exceptis, reliquas, ut pravas, & scandalosas rejiciant,
„ & aboleant. Eos vero, qui adversus hæc in præsenti
„ Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœ-
„ nis contra simoniacos editis, Sacris Canonibus, & va-
„ riis summorum Pontificum Constitutionibus, quas o-
„ mnes innovat, teneri decernit. Non obstantibus qui-
„ buscumque Statutis, Constitutionibus, consuetudinibus,
„ etiam immemorabilibus, etiam Apostolica authoritate
„ confirmatis: de quarum subreptione, obreptione, &
„ intentionis defectu Episcopus tamquam Apostolicæ Se-
„ dis delegatus, cognoscere possit “.

Quæst. 6. Committitur-ne simonia, cum pro ingressu in Religionem aliquid exigitur?

Resp. Generaliter loquendo, illud est simoniacum; quia exigitur aliquid temporale pro spirituali, aut saltem spirituali annexo, quod est simoniacum, juxta definitionem Doctoris Angelici in principio hujusce Tractatus allatam. Sunt tamen aliqui casus, in quibus licet aliquid accipere, quia tunc id, quod datur, non respicit spirituale.

Quæst. 7. Quandonam licet Monasteriis Religiosorum aliquid accipere in ingressu Religionis?

Resp. Juxta doctrinam sancti Antonini (*p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 18.): *Sponte oblata possint recipere; & si quidem haberent intentionem ad temporalia principaliter, nulla tamen interveniente pactione, vel conventione, seu exactione, erit, secundum Raymundum, simonia mentalis, quæ per solam pœnitentiam aboletur.*

Secundo, juxta Angelicum Doctorem (*in dist.* 25. *q.* 4. *art.*

4. art. 2. ad 7.) : *Cum possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium, unde ei possit providere : & ideo non committitur simonia.*

Quod etiam probari potest ex Glossa in cap. *Quoniam*, ex Concilio Generali Lateranensi, in quo de simonia, quæ committi potest in ingressu in Religionem, dilucide tractatur, ut infra videbimus num. seqq. In Glossa igitur sic habetur (*in c. Quoniam Simoniaca fraus, de simon. verb. Paupertatis.*) : *Posset dici quod si ita pauperes sunt, quod non possunt ibi alias aliquo modo aliquem recipere, quia non haberent ibi victum, sub hac forma possent recipi: Non habemus, quid demus tibi pro victu, nisi tu portes tecum, unde vivas ; dum tamen hoc non dicatur in fraudem, & sine aliquo pacto.*

Hæc doctrina omnino conformis est Decreto celeberrimæ Facultatis Parisiensis, quod infra referemus, & in quo expresse declaratur, Monasteria tenuia posse petere, quod revera necessarium est ad alendam eam, quæ se Monasterio offert.

Si Monasterium, inquit sanctus Raymundus (*in summa l. 5. tit. 1. §. 22.*), *esset adeo tenue, vel paupertate depressum, quod reditus vel vix, vel non sufficerent personis præsentibus ; non solum intentionem possent habere, sed etiam credo, quod possent dicere: Non sufficiunt nobis ; libenter suscipimus te ad spiritualia, ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones ; & tunc ille offerat se, & sua.*

Demum S. Bonaventura (*in Libello Apologetico in eos, qui Ordini Fratrum Minor. adversantur, q. 18.*) dilucide, & solide explicat, quo pacto aliquid recipi possit ab iis, qui Religiosum Ordinem suscipiunt. Objectionem proponit Seraphicus Doctor his verbis, loquens de Franciscanis, qui Monachas sanctæ Claræ dirigebant „: cum ergo sitis informatores earum, quare per„ mittitis, quod plures apud eas impure, id est, per „ pecuniam recipiantur, quæ si nihil secum ferrent, „ nullatenus reciperentur ? & aperte simonia videtur ". Huic objectioni respondet idem Doctor his verbis „: Si „ illud alii faciunt, de hoc non a nobis, sed ab illis „ est ratio exigenda. Sed tamen, ut satisfaciamus quæ„ rentibus, sciendum, quod quantum spectat ad hanc „ materiam, quadruplex est forma recipiendi ad Ordi„ nem qualemcumque ".

„ Prima, quando aliquis recipitur nec pro pecunia nec „ cum pecunia, sed pure pro Deo : & ista est purissima „ coram Deo, & hominibus.

„ Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, „ sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret, tamen reci„ peretur pro Deo : & similiter hoc est purum coram „ Deo ; sed est caute agendum coram hominibus, ne de„ tur

„ tur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiæ
„ infectus ex spe lucri.

„ Tertia, quando quis recipitur, non pro pecunia, „ nec tamen reciperetur sine pecunia, eo quod non ha- „ bent aliter ei, qui eum recipiunt, in necessitatibus „ corporis providere, cum tenues facultates domus vix „ sufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures re- „ cipere, & istos suis necessitatibus spoliare; ita quod „ talis persona, quæ sic recipitur, si abundaret locus, „ sine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxo- „ rem propter divitias ejus, vel nobilitatem, quæ habet „ nasum: nec tamen propter hoc duxit eam, quia na- „ sum habet, quam tamen, si naso careret, nullatenus „ duxisset. Et hoc non est impurum, licet non appareat „ forsitan pulchrum ".

„ Quarta cum aliquis recipitur amore pecuniæ, ita „ quod si possent illam pecuniam habere sine persona „ ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecu- „ niam, personam recipiunt: & hoc penitus impurum „ est, & simoniacum, quia ibi pecunia causa est rece- „ ptionis personæ, & non e converso.

„ Ubi ergo recipitur persona propter pecuniam, simo- „ nia est; quia ibi venditur spirituale, id est, consor- „ tium spiritualis societatis, pro temporali, scilicet pro „ pecunia. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera ino- „ pia, optantes aliquem venire cum pecunia, quem re- „ ciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita „ contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, „ vel ædificia construerentur. De talibus dicit Ecclesia- „ sticus: *Propter inopiam multi deliquerunt*. Ubi vero „ pecunia recipitur propter personam, quam alias liben- „ ter reciperent, si haberent, unde eam pascerent, non „ videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione „ concordet. Et hoc modo sustinemus, quod sorores „ Sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, si „ quando oportet eas plures personas recipere, quam „ de facultatibus Monasterii congrue valeant sustenta- „ ri ".

Optandum certe foret, ut varii tollerentur abusus, qui nimium frequentes inveniuntur in receptione Monialium; quod Concilii Senonensis (1628. *Can.* 28.) statutum servaretur his verbis expressum: *Constituimus, ut in Monasteriis Monialium tot instituantur Moniales, quot de facultatibus eorumdem, reparationibus Ecclesiæ, Clausuræ, & aliis regularium domorum, necnon & processuum, expensis deductis, commode & sine penuria sustentari possint: a quibus pro ingressu, & receptione, nihil prorsus prætextu consuetudinis, aut quovis alio quæsito colore exigatur. Si qua tamen ultra eas in ejusmodi Monasteriis se recipi petat, id non interdicimus, dummodo congruam secum afferat pensionem, qua cum cæteris numerariis alatur; non tamen in locum*

rum numerariarum succedet, sed decedentibus numerariis, aliæ novæ, & pauperes subrogentur.

Quæst. 8. Quandonam simonia committitur, dum recipitur aliquid ab ingredientibus religionem?

Resp. Simonia committitur, quoties Monasterium habet, unde ministret abunde necessaria cupientibus admitti, & tamen exigitur aliquid propter eorum receptionem. Quod quidem probari potest primo authoritate Concilii generalis Lateranensis sub Innocentio Papa III. (*anno* 1215. *ref. in cap. Quoniam de simon.*) in quo sic decernitur. „ Quoniam simoniaca labes usque adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare; ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, statuentes, ut quæcumque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive Prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudenda.

„ De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quod si forte, propter nimiam multitudinem, alibi nequiverint commode collocari; ne damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in eisdem Monasteriis dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis.

„ Hoc etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus observandum. Verum ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari “.

Nihil profecto clarius, expressiusque desiderari potest, quam hujus Concilii verba, quod certam corruptionem appellans ingressum in Religionem, dato pretio, sub prætextu simulatæ, palliatæque paupertatis Monasterii, commercium hoc simoniam esse dicit. Libenter ergo cæcutire vellet, qui post hæc Ecclesiæ intentionem ignoraret; nec sine stupore videri potest, rem tam sancte, solideque stabilitam in universali Concilio ab ipso summo Pontifice, & quadringentis duodecim Episcopis, ita nostro sæculo neglectam.

Idem plane a Concilio Generali Nicæno 2. statutum, & decretum fuerat anno 787. ipseque summus Pontifex Alexander III. loquens in cap. *Veniens, de simonia*, de Abbate, & Monachis cujusdam Monasterii, qui convenerant cum Presbytero, qui Monachus fieri cupiebat, ut aliquid modicum daret juxta Monasterii consuetudinem; eos coegit ad restituendum id omne, quod ita receptum fuerat, & ab Officio suspendit, jubens, ut rece-

receptus Presbyter ab hoc Monasterio recederet, & in aliud migraret.

Id etiam probari potest authoritate Angelici Doctoris, qui loco mox citato ait: *Si autem sine gravamine Ecclesiæ potest recipi, simoniacum est, aliquid pro receptione exigere.*

Et alibi idem sanctus Doctor sic loquitur (2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 3.). „ Dicendum, quod pro ingressu Mona-
„ sterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pre-
„ tium. Licet tamen, si Monasterium sit tenue quod
„ non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem
„ ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquod
„ pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda,
„ si ad hoc non sufficiant Monasterii opes; licet non sit
„ licitum ex pacto aliquid dare, vel accipere pro ingressu
„ Monasterii, ut habetur 1. q. 2. Can. Quam pio".

Unde etiam sanctus Antoninus (*p. tit.* 1. *c.* 5. §. 18.), *Magnus abusus*, inquit, *quod quanto abundantiores sunt, tanto volunt majores dotes.*

Hæc quæstio docte resoluta videtur in Decreto celeberrimæ Facultatis Theologiæ Parisiensis, a Dionysio Carthusiano relato his verbis (*l.* 2. *de sim.*): „ Quia
„ nuper mota est controversia inter aliquos Doctores su-
„ per decisione hujus quæstionis, utrum in aliquo Mo-
„ nasterio fœminarum liceat recipere aliquam fœminam
„ ultra numerum personarum, quæ de bonis Monasterii
„ commode sine penuria possunt sustentari, & de persona
„ recipienda, oblatis gratis spiritualibus, exigere tempo-
„ ralia: Instantiusque a nobis Magistris in Facultate Theo-
„ logiæ Parisiis congregatis quæsitum est, ut in ea re con-
„ silium dare, & super ejusdem quæstionis determinatio-
„ ne quid sentimus, dicere vellemus. Nos autem ad pa-
„ cem conscientiarum, & ædificationem animarum pro
„ viribus laborare cupientes, ea quæ nobis super his vi-
„ dentur, in modum sequentem exponere duximus.

„ In primis dicimus, quod attento tenore Constitutio-
„ nis Apostolicæ felicis recordationis Papæ Bonifacii VII.
„ incipientis, *Periculoso*, non licet recipere aliquam fe-
„ minam in aliquo Monasterio non mendicantium, ul-
„ tra numerum personarum, quæ de bonis Monasterii
„ sine penuria sustentari possunt. Nec in hoc oportet
„ apponere illum terminum, *commode*, cum in textu
„ ipsius Constitutionis non ponatur. Et illud dicimus
„ non licere, ubi non habeatur de hoc consuetudo com-
„ munis, & diuturna, quam Papa scire, & tolerare ve-
„ risimiliter creditur, & per quam posset præfatæ Consti-
„ tutioni esse derogatum. Item dicimus, quod a fœmina
„ recipienda in Monasterio, oblatis gratis spiritualibus,
„ non licet exigere temporalia pro ipsis spiritualibus
„ tamquam pretium spiritualium, vel annexarum spi-
„ ritualibus, faciendo commutationem unius pro altero.

„ Dicimus ulterius, quod ubi Monasterium est ita te-

„ nue, quod fœmina, quæ recipi petit, non posset de bo-
„ nis ipsius Monasterii sustentari sine penuria, oblatis
„ gratis spiritualibus, & receptione personæ libere facta
„ ad spiritualia, si persona illa sic recepta habeat bona
„ temporalia, de quibus juxta consuetudinem regionis
„ potest disponere, & ea Monasterio conferre: tunc pot-
„ est ab ea aliquid peti solum pro necessitate sui victus sine
„ fraude, ut habeat Monasterium, unde ipsi providere
„ possit: Et hoc non intelligendo de exactione coacto-
„ ria, ita quod ejiciatur, si non dederit ".

Tutius profecto foret, nihil prorsus exigere, neque in Monasterium admittere, quam quæ sine penuria possunt ali: Si quæ præterea velit admitti, ei responderi debet, juxta Glossam: *Non habemus, quid demus tibi pro victu, nisi tu portes tecum, unde vivas.*

Demum id probatur: quia consentiunt omnes Theologi, & Canonistæ, simoniam committi, quoties exigitur aliquid temporale pro spiritualibus, aut spiritualibus annexis: quoties autem Monasterium opulentum exigit aliquid pro ingressu Religionis, id certe petitur, aut recipitur pro aliquo spirituali; neque enim accipi potest, nisi pro sustentatione Monialis, aut pro illius receptione in Monasterio, quæ est res spiritualis; illud autem, quod recipitur in Monasteriis opulentis, non recipitur ad sustentationem, cum jam possideantur necessaria ad sustentationem recipiendarum, & teneatur Monasterium opulentum, juxta Canones, ad subministrandam Monialibus sustentationem.

Quo circa cum Monasterium opulentum exigit aliquid sub titulo sustentationis, id sub falso titulo, fictoque prætextu petit, ut revera falso titulo quis peteret, & exigeret pro alendo paupere, si gratis aliunde eum ipsemet alere teneretur. Hoc autem sustentationis excluso titulo, consequens est, id omne, quod sub hoc titulo petitur, pro ipsa receptione in Religionem peti, quæ est res quædam spiritualis. Proinde omnes Moniales, quæ similia faciunt pacta, a simoniaca labe immunes non sunt.

Quare, ut constat ex omnibus authoritatibus superius allatis, necesse prorsus est, Monasterium non habere necessaria ad sustentationem recipiendæ Monialis, ut aliquid ab ea possit exigere.

Et Concilium Lateranense superius citatum, quod dilucide omnino exposuit, damnavitque simoniam, quæ sæpius in his receptionibus a Monialibus committitur, agnovit, id etiam fieri in pluribus Monasteriis sub falso, fictoque paupertatis damnabili prætextu.

Quæst. 9. Quid nomine Monasterii opulenti debet intelligi, quod scilicet nihil exigere potest a volentibus ingredi Religionem, sine simoniaca labe?

Resp. Ea Monasteria dicuntur opulenta, quæ ex propriis reditibus, omnibus pensatis & computatis, majorem numerum Monialium sustentare possunt, quam sint

in Monasterio. E contra ut Monasterium tenue dicatur, necesse videtur, ut resectis superfluis expensis, quæ in ædificiis, mobilibus pretiosis, sacristia, & alibi fieri possunt, necessaria tantum habeat pro jam receptis, ita ut iis deesset aliquid, si aliæ reciperentur. Quod si expendant in Fabricis superfluis & magnificis, in curiosa supellectili, in ornamentis Ecclesiæ nimium pretiosis, & ad pompam magis, quam ad modestum nitorem comparatis; aut etiam in delicatioribus cibis, vel vestibus, aut in munusculis, & aliis rebus vanis & inutilibus, bona ad Christi servas alendas destinata; & inde prætextus assumatur exigendi pecuniam pro ingressu Religionis quasi quæ se monachandæ offerunt, ali non possent; tunc certe se læsas palpare aut potius voluntarie decipere videntur, si putent, id in talibus circumstantiis sine labe simoniæ fieri posse; cum constet ex supradictis, tunc solum licere aliquid petere a recipiendis, cum revera aliter sustentari non possunt, & vere illis dici potest: *Non habemus, quid demus tibi pro victu*.

Egregium sancta Theresia suppeditat exemplum animi plane liberalis, & ab omni prorsus avaritia immunis, quod certe omnes Moniales in recipiendis novitiis imitari deberent, & ita, paternæ Dei providentiæ confidentes, bona non solum spiritualia, sed etiam temporalia Monasteriis procurare: „ Ne timeatis, *inquit* (*in hist.* „ *fundationum*, *c.* 26. *de fundatione Monasterii Gravagnæ*.), ne quidquam vobis deesse possit, neque eas „ unquam rejiciatis, quæ Monasterium vestrum ingredi „ volunt; modo vobis aliunde constet, verum earum esse „ desiderium, easque recte dispositas esse. Licet enim magnas non habeant facultates, quibus vos in angustiis „ vestris juvare possint, sufficit, ut ad Religionem veniant, ut Deo liberius & attentius serviant: nec pensare debetis, utrum temporalibus bonis abundent, „ modo sint virtutibus ornatæ; quia alium modum inveniet Dominus, ut vestræ succurrat inopiæ, & multo majora præstabit, quam exinde sperare potuissetis.

„ Hujus rei, *inquit*, magnum habeo experimentum: „ novit Dominus, quod, quantum meminisse possum, „ nullam unquam propter solam paupertatis causam recusavi, modo in reliquis mihi satisfaceret. Moniales, „ quæ solius Dei amore receptæ sunt, quarum nostris magnum profecto esse numerum, testimonium hac in re „ ferre possunt: & affirmare ausim, me minori semper „ animi alacritate divites recepisse, quam pauperes, & „ quæ solo Dei intuitu admittebantur. Quin potius receptio divitum numquam sine aliquo timore fuit, pauperum autem admissio spirituali gaudio plena, ita ut „ etiam præ gaudio aliquoties lachrymas funderem, dum „ vera animi libertate & alacritate fruerer. *Ecce coram Deo, quia non mentior*. Si autem dum emendæ ædificandæque erant domus, hæc agendi ratio, ex Dei

„ mi-

„ misericordia, ita feliciter nobis successit; quare non „ eamdem servaremus, nunc cum domus nostræ compe„ tenter fundatæ & ædificatæ sunt? Mihi credite, filio„ læ, sæpe perdimus, dum lucrari putamus. Quando illæ, „ quæ sese offerent, facultates habebunt, si nullas alias „ obligationes habeant, cum suas opes aliis tradere ne„ cesse sit, qui fortassis illis nullo modo indigent, per „ me licet, ut eas vobis per modum eleemosynæ con„ cedant; quia si aliter in talibus circumstantiis age„ rent, non satis vos amare viderentur“.

Quæst. 10. Possunt-ne Monasteria opulenta aliquid exigere a Novitiis pro victu & vestitu tempore probationis?

Resp. Id eis licere ex Concilio Tridentino (*sess.* 25. *de Regular. c.* 16.) infertur his verbis: „ Sed neque ante „ professionem, excepto victu & vestitu Novitii, vel No„ vitiæ, illius temporis, quo in probatione est, quocum„ quæ prætextu, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tri„ buatur“. Cujus quidem ratio est, quia Novitius, seu Novitia, nullum habet jus ad bona Monasterii, ut inde alatur, aut vestiatur, donec professionem emiserit.

Quæst. 11. Parentes, qui familiam a plurium liberorum onere liberare volentes, illos variis artibus quodammodo cogunt professionem in aliqua Religione emittere: & filii, qui profitentur, ut parentibus morem gerant, & ut pendente vita habeant necessaria ad sustentationem, sunt-ne, ob has primarias & principales intentiones, coram Deo culpabiles judicandi?

Resp. Certum est, ejusmodi intentiones Deo placere non posse, & in eis etiam aliquam simoniacæ labis speciem reperiri, cum Religionis ingressus, qui certe tamquam res spiritualis haberi debet, præcipue in dictis casibus consideretur, aut acceptetur intuitu commodi temporalis. Unde Guillelmus Episcopus Parisiensis de tali profanatione ita loquitur (*De moribus, c.* 9.): „ Alii ve„ ro a parentibus & propinquis eo modo in Claustra „ projiciuntur, quemadmodum catuli & porculi, quos „ matres non sufficiunt enutrire; ut videlicet mundo „ non spiritualiter, sed, ut ita dicamus, civiliter mo„ riantur: videlicet ut portione hæreditaria priventur, & „ ad eos, qui in seculo remanent, devolvatur. Et quan„ tum ad hoc, simonia est hujusmodi projectio, im„ mersio, vel intentio. Similiter qui ad hoc intrant, „ ut ibi vivant vita corporea, non habentes alias unde „ vivant, non Religionem intrant, sed comestionem, „ ut ita loquamur“.

Unde Concilium Remense (*an.* 1583. *tit. de Regularibus & Monasteriis n.* 3.), ut similes tolleret abusus, ita statuit: „ Quoniam arma hujus sanctæ militiæ non debent „ esse carnalia, ut verbis Apostoli utamur, adulti mo„ nasterium ingressuri, vel puerorum parentes, qui il„ los offerunt, moneantur, ut alia non subeat ipsorum „ animos cogitatio, quam sempiternorum bonorum.

„ Quis-

„ Quisquis igitur otium, honores, beneficia, vel alia „ temporalia, quasi scopum sibi proponit vitam monasticam susceptorus, vereatur, ne mittatur in tenebras exteriores, non offerens vestem nuptialem. Cui periculo „ se etiam obnoxios parentes noverint, qui liberis ingressum Religionis procurant, vel quod natura sint ad res „ gerendas inepti, animo hebetes, vel corpore vitiosi, „ aut valde deformes: vel certe ut aliis liberis, istorum „ quasi allegatione, ampliores relinquant opes ". De eadem materia locuti sumus Tom. 6. exponendo quartum Decalogi præceptum.

Quæst. 12. Committitur-ne aliquoties simonia ab eo, qui Beneficium petit?

Resp. Optandum foret, ut omnes in hac materia S. Thomæ mentem & sententiam sequerentur, quæ sacris Canonibus conformis est. Nam, ut monet S. Bernardus (*serm.* 10. *in Cantica.*): *Ad regimen animarum se se ingerere, quanta impudentia est?* „ Dicendum *igitur*, *inquit Angelicus Doctor* (2. 2. q. 100. ar. 5. ad 3. „ & Quodlib. 3. c. 9. Ex Quodlib. 8. art. 6.), quod munus a lingua dicitur ipsa laus, vel etiam preces; & ideo „ si quis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit: videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui „ preces pro indigno porrectas exaudit; Unde ipsum factum „ est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, „ ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita „ causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur: tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed „ ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut „ obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno ".

Quod autem damnabile sit, Beneficium, præsertim curam animarum habens, precibus consequi, patet ex Canone, in quo sic habetur (*Can. Ordinationes*, 1. *q.* 1.); „ Ordinationes, quæ intervenientibus precibus vel „ obsequio fiunt, falsas esse dijudicamus; quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est, per Christum, „ intrant; sed, ut ipsa Veritas testatur, fures sunt, & „ latrones ".

Et in Concilio Melphitano (*an.* 1090.) expresse prohibetur: *Ne quis dato vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione impenso, Episcopalem nitatur assequi dignitatem.*

Qui autem petit Beneficium curam animarum habens, precibus suis id obtinere velle potius quam merito personæ, rationabiliter judicatur; cum ipsa sua petendi præsumptione tali Beneficio fiat indignus, ut modo vidimus ex sancto Thoma, & illi conferri non debeat hoc Beneficium: *Quia*, ut habetur in Canone (*Can. in scripturis* 1. *q.* 1.) *sicut locus regiminis desiderantibus negadus est, ita fugentibus offerendus: Et sicut scriptum est:*

Nec

Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.

Quare qui preces adhibet ad obtinendum Beneficium curam animarum habens, a simoniaca labe ut plurimum non est immunis, cum per preces principaliter id consequi conetur, quæ preces sunt aliquid temporale, & possunt inducere simoniam, cum adhibentur ad aliquid spirituale habendum.

O perditos homines, inquit Petrus Blesensis (*ep.* 157.), *qui non attendentes, quantum eis ex animarum cura discrimen immineat, sic se ad susceptionem honoris cum aviditate præcipitant*.

Licite tamen, inquit Sanctus Thomas (*ib.*), *potest aliquis, si sit indigens, pro se Beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum*: quia existimare debemus, illum consequi Beneficium sperare potius titulo indigentiæ, aut meritorum personalium, quam ob preces impensas.

Nam si res aliter se haberet, simoniam non effugeret, juxta eumdem Angelicum Doctorem (*in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 5. *ar.* 1. *ad* 4.): *Qui dat aliquid spirituale*, inquit, *si principaliter moveatur favore precum, quantum ad judicium divinum, simoniam committit & rogatus & rogans*.

Verum hanc quæstionem dilucide solideque tractat & solvit Glossa (*in c. Tuam, de ætate & qualitate præficiendorum, verbo, Nullum prorsus.*): *Nota*, inquit, *quod cum quis eligitur vel ordinatur, aut suis precibus intervenientibus, aut alienis; si suis, dicunt quidam & Hugo cum eis, quod quantumcumque sit idoneus, simonia committitur, argumento*, 8. *q.* 1. In scripturis. *Et* 1. *q.* 7. Si quis omnem. *Et* 1. *q.* 1. Ordinationes. *Et de jure Patronatus*, Per vestras.

Illud credo, si est indignus, secundum quod dicit Textus; sed si dignus est, potest etiam preces porrigere Superiori, cum indiget; quia tunc non præsumitur ambitiosus, sed potius propter necessitatem: alias potest dici, quod Simonia esset, argumento 1. *q.* 1. *Can.* Filium. §. Nota ita quorumdam. *Et argumento* 1. *De simonia*: c. Tua.

Si preces quis pro se porrigat, ut in Prælatum eligatur, ambitiosæ sunt & illicitæ. Can. Nullus itaque, 1. *q.* 1. Et ideo ob solas preces adhibitas redditur indignus: unde etiam sequitur, illum esse simoniacum, cum simonia committatur, juxta mentem Glossæ, Canonum & Authorum qui in illa referuntur, quoties quis Beneficium petit, quo est indignus.

Sanctus Carolus ita preces pro Beneficio obtinendo aversabatur, ut in Concilio Mediolanensi (1.) ita statuerit: *Qui Beneficium Ecclesiasticum vacans, multis & ambitiosis precibus per se vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum neque illud, neque aliud Beneficium conferri possit*.

Id certe statutum fuit juxta mellislui Doctoris mentem, dum ait (4. *de consid. c.* 4.) *Alius pro alio, alius*

lius forte & pro se rogat: pro quo rogaris, sit suspectus: qui ipse rogat pro se, jam judicatus est: nec interest, per se, an per alium quis roget.

Sanctus Raymundus hanc quæstionem solide, suo more, tractat his verbis (*in summ. l. 2. tit 1. §. 7.*): „Ego di„stinguo, salvo meliori judicio, quod non potest per se „petere Ecclesiam, vel Dignitatem, vel aliud Beneficium „habens curam animarum annexam. Et in hoc sentio cum „Hugone. Beneficium vero simplex, si indiget, & sentit „se dignum, potest petere absque metu peccati & simo„niæ. Extrav. De Præbendis cap. 2. Extr. de Rescriptis „cap. *Ad aures*. Et in hoc sentio cum aliis. Si vero non in„diget, peccat, ut patet per cap. *Ad aures*. Et 1. q. 2. „Can. *Clericos*. Et 12. q. 1. Can. *Ille autem qui*.

Demum Sanctus Antoninus eamdem opinionem firmat, dum ait (*in sum. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 4.*): *Si porrigat preces pro se pro obtinenda Dignitate, vel Beneficio, seu Ecclesia habente curam animarum, tales preces inducunt simoniam secundum Hugonem, Raymundum, Hostiensem, Thomam 2. 2. Et in Directorio Juris, l. 3. Etiam quandocumque alias esset dignus; quia eo ipso quod se ingerit, præsumptuosus & ambitiosus videtur, & per consequens indignus.*

Quæst. 13. Si non liceat petere Beneficium curam animarum habens, quomodo intelligenda sunt hæc verba S. Pauli, 1. ad Timoth. c. 3. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat?* Videtur enim posse peti, quod desiderare licet.

Resp. Hæc verba a Doctore Angelico egregie explicantur (*in Epist. 1. ad Timoth. c. 3. lect. 1.*): Si quis Episcopatum desiderat, &c. „Ex hoc sumpserunt aliqui „occasionem ambitionis Episcopatus & Prælationis, sed „non recte intelligunt, quod hic dicitur: Apostolus enim „hic voluit ostendere, quid pertineat ad Episcopatum. „Episcopus enim est nomen Græcum: σκοπὸς enim idem „est quod intendens, ἐπὶ id est supra: Episcopus ergo „dicitur quasi supra intendens. Duo ergo sunt considerandа in Episcopo, scilicet gradus superior, & actio „plebi utilis: aliqui enim projiciunt forte oculos ad ea „quæ circumstant eum, scilicet quod qui præest, ho„noratur, & quod habet potestatem. Et qui propter ista „desiderat Episcopatum, nescit quid sit Episcopus, & „quid desiderat, qui Episcopatum desiderat, quia bonum „opus; non dicit, bonum desiderium habet, sed bonum „opus, scilicet utilitatem plebis".

Sed numquid licet ipsum desiderare? Augustinus dicit, quod non: in Glossa ait, Locus superior, sine quo regi non potest populus, etsi teneatur & administretur decenter, tamen indecenter appetitur. Et idem dicit lib. 19. De Civitate Dei.

„Cujus ratio est, quod nullus debet appetere aliquid „supra vires suas, non sibi proportionatum, alias esset

„stul-

„ stultus; ille ergo bene Episcopatum desiderare posset; „ cujus facultas Episcopatui esset proportionata. Ad hoc „ autem nullus est idoneus; quia Prælatus secundum „ gradum & convenientiam debet omnes alios excedere „ in conversatione & contemplatione, ita ut in respe„ ctu sui alii sint grex. Et hanc idoneitatem de se præ„ sumere, est maximæ superbiæ.

„ Aut ergo appetit circumstantias, & tunc nescit, „ quid appetat; quia non est hic Episcopatus; vel ipsum „ opus, & hoc est superbiæ “.

Eodem fere modo S. Hieronymus verba Apostoli exponit (*ep.* 43. *Ad Oceanum.*): *Bonum opus*, inquit, *desiderat: opus, non dignitatem: laborem, non delicias: opus quo humilitate decrescat, non intumescat fastigio.*

Constat igitur ex Sanctis Augustino & Thoma, non licere Episcopatum appetere, nec aliud Beneficium curam animarum habens annexam; & multo minus illud petere.

Unde etiam Angelicus Doctor de eadem materia tractans in Summa, sic post Sanctum Chrysostomum loquitur (2. 2. *q.* 185. *ar.* 1.): „ Chrysostomus dicit super „ Matthæum: Primatum Ecclesiæ concupiscere, neque „ justum est, neque utile; quis enim sapiens vult ultro „ se subjicere servituti & periculo tali, ut detractionem „ pro omni Ecclesia: nisi forte qui non timet Dei judi„ cium, abutens primatu Ecclesiastico sæculariter, ut sci„ licet convertat ipsum in sæculare? “

Et Sanctus Gregorius Papa, qui summum Ecclesiæ Pontificatum non nisi reluctans & quasi invitus, miraculisque veluti coactus acceptavit; postquam exemplo suo recte docuerant, verbo deinde docens, Apostoli verba sic exposuit (*Pastor. p.* 1. *c.* 18.): *Illo tempore hoc dixit Apostolus, quo ille, qui plebibus præerat, primus ad Martyrii tormenta ducebatur: & sic nihil aliud erat, quod in Episcopatu appeti posset, nisi bonum opus.*

In eodem sensu loquitur Alvarus Pelagius (*De Planctu Ecclesiæ c.* 18.) *Qui Episcopatum*, inquit, *desiderat, bonum opus, id est, martyrium desiderat: illo tempore dictum est ab Apostolo, quo quisquis plebibus præerat, primus ad Martyrii tormenta trahebatur. Tunc ergo fuit laudabile, Episcopatum quærere, quando pro hoc non dubium erat ad supplicia graviora pervenire.*

Hæc hujusce quæstionis sit conclusio ex eodem Sancto Gregorio (*Pastor. p.* 1. *c.* 9.) *Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus, ne coactus accedat.* Videatur Libellus hac de re non ita pridem Romæ editus, sub Titulo: *De vocandis ad Episcopatum*, Authore Antonio Charlas; in quo egregie hæc quæstio discutitur, & enucleatur.

Quæst. 14. Qui suscipiunt Ordines solo intuitu habendi Beneficii, sunt-ne aliquo modo simoniaci censendi?

Resp. Si consideraretur Beneficium, ut medium ad inserviendum Ecclesiæ majori cum diligentia; & si sola

Deo

Dei gloria, & propria salus & proximi in eo quæreretur; nulla certe esset in hac intentione deformitas. Verum quia sæpe temporalia bona Beneficiis annexa principaliter intenduntur, videri potest in hoc casu, quod is qui Ordines cum hac primaria intentione suscipit, ut commodis temporalibus Beneficio annexis gaudeat, non est omnino a simoniaca labe immunis: cum spirituale tamquam medium assumatur ad consequendum temporale.

Unde in Synodo Excestriensi in Anglia (*an.* 1237. *c.* 8.), Clerici admonentur, ut „ Ad propriam recurrant „ conscientiam, quo fine ad Ordines aspirent; ut Deo & „ Ecclesiæ virtuosius & gratiosius famulentur; non pro „ temporali, nec pro Beneficiis a suis Ordinationibus ex- „ torquendis; quoniam tales simoniacos reputamus “. Hinc etiam celeberrimus nostrorum temporum Canonista, Prosper Fagnanus „ Sic videmus, *inquit* (in l. 1. Decr. „ p. 2. c. Cum ad nostram, de elect.), Clericum sæcu- „ larem, qui Ordines suscipit, ut Beneficium consequa- „ tur, simoniam committere, saltem mentalem, quæ „ non obligat ad Beneficii dimissionem, sed tantummo- „ do ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam; nisi pa- „ ctum præcesserit. Ut c. fin. de simonia “.

De hac materia locuti sumus, Tom. 5. Tract. 8. de Sacramento Ordinis c. 2. de dispositionibus necessariis.

Quæst. 15. Religiosus, qui precibus & cum ambitu munus Prioris, aut Provincialis quærit, committit-ne aliquam Simoniæ speciem?

Resp. Constat ex authoritatibus rationibusque hactenus allatis, id sine simonia fieri non posse: quia ratio indigentiæ, quæ Clericum, ut diximus, excusare posset dum quærit Beneficium simplex, & quæ etiam difficultatem pareret, si indigens Beneficium peteret curatum, quia dici posset tale Beneficium non petere ex nullo regiminis desiderio, sed tantum propter indigentiam; hæc, inquam, paupertatis ratio Religioso suffragari non potest, cui omnia necessaria in Monasterio suppeditantur, non minus cum simplex est religiosus, quam cum aliquo munere defungitur, proindeque judicare licet, illum hanc dignitatem suis precibus & artibus consequi velle: preces autem, ut vidimus, sunt aliquid temporale simoniam inducens, dum ordinantur ad aliquod spirituale consequendum. Vult autem hic Religiosus precibus potius quam meritis propriis Officium Prioris, aut Provincialis obtinere; qua sua agendi ratione satis electoribus ostendit, se tali munere esse indignum, cum præsumptionem & ambitionem suam manifestet. Credi igitur debet, munus quod ambit, ipsi concedi principaliter intuitu precum, aut alterius officii temporalis; proindeque tam petentem, quam omnes tali petitioni suffragantes, alicujus simoniæ reos fieri; nam, ut docet S. Thomas (*in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 4.): *Qui dat aliquid spirituale, si prin-*

cipaliter moveatur favore precum, quantum ad judicium divinum, simoniam committit rogatus, & rogans.

Quæst. 16. Committit ne simoniam Religiosus promittendo suffragium suum alteri, modo ille sibi promittat suum, aut spondeat, aliud se ei munus procuraturum?

Resp. In hoc videtur aliqua simoniaca labes. Primo, quia ut docet Sanctus Thomas, simonia fit, quoties res spirituales, quales sunt munera & officia Monasterii, non conferuntur gratuito; certum est autem in casu proposito, eum qui suffragium Religioso dat, ut & ipse sibi in simili occasione obsequium præstet, aut munus aliquod procuret, non gratis dare suffragium; quia scilicet dat solummodo, seu principaliter, intuitu obsequii, quod sperat.

Secundo, eodem modo ratiocinandum est de his, qui jus habent eligendi ad aliquod munus in Religione, ac de iis, qui jus habent eligendi ad Beneficium; certum autem, ex sancto Thoma (2. *q.* 100. *art.* 4 *ad* 3.), quod *Si Episcopus ab eo, cui Beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii, idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio simoniæ.* Idem ergo dicendum de eo, qui dat suffragium pro officio aliquo in Monasterio, ita ut compensationem aliquam in simili occasione expectet.

Tertio, id patet ex Epistola Innocentii III. ad Archiepiscopum Coloniensem, in qua sic decernit (*Cap. de hoc, de simonia*): *De hoc autem quod Episcopus Oxomensis Archidiacono Beneficium, & cuidam Clerico ante electionem suam Prioratum dicitur promisisse, ut uterque consentiret eidem, tuæ prudentiæ respondemus, quod si manifestum est, eumdem Archidiaconum, & Clericum, ob causam illam promissa recepisse, aut exinde confessi fuerunt in jure, vel legitime convicti, ab Altaris ministerio sunt perpetuo deponendi.* Quod aperte ostendit, simoniæ reum esse Religiosum, qui promittit se procuraturum aliquod officium alteri, modo sibi concedat suffragium, ut in Priorem eligatur.

Denique probatur; quia, ut sæpe diximus, juxta multos Canones, omnia pactorum, & conventionum genera in rebus spiritualibus, simoniam inducunt; nisi summi Pontificis, aut saltem Episcopi authoritate comprobentur tamquam Ecclesiæ utilia, & eorum judicio res tota determinanda committatur.

Unde etiam inclyta Facultas Theologiæ Parisiensis, propositionem contrariam ex Escobario sumptam, in Apologia Casuistarum damnavit die 16. Julii 1658.

Quæst. 17. Potest-ne Beneficiatus citra simoniam suum resignare Beneficium, hac conditione, ut sibi detur aliquid temporale pro expensis provisionis sibi concessæ, pro reparationibus, & aliis ejusmodi expensis, quas fecit, ut pacificus esset Beneficii possessor?

Resp. Id fieri non potest sine simonia: & probatur primo

mo authoritate Alexandri Papæ III. qui ita decernit (*Cap. Cum pridem, de pactis*): *Cum Clericus, & Monachi pro causa, quæ inter eos vertebatur super Ecclesia, & Capella, ad nostram præsentiam accessissent, inter se convenerunt, quod eidem Clerico pro expensis quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, & idem liti cederet. Cumque compositionem ipsam authoritate Apostolica peterent confirmari, Nos eam non duximus admittendam, pro eo quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.*

Secundo, quia, ex Angelico Doctore (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5.): *Simonia est pecunia parare sibi viam ad rem spiritualem obtinendam*: Atqui in casu proposito ille, in favorem cujus resignatur Beneficium, ad illud pervenit mediante pecunia; non enim resignaretur sine dicta pecunia: ergo in dicto casu committitur simonia.

Tertio, vel dictæ reparationes utiles erant, & necessariæ Beneficio; & tunc fieri debuerunt a Beneficiario, ac proinde nihil pro ipsis exigi potest citra simoniam; aut reparationes erant superfluæ, & solius commodi Beneficiarii gratia factæ: & tunc longe foret injustius velle constringere successorem ad solvendas hujusmodi expensas voluptuarias.

Quæst. 18. Potest ne Episcopus Beneficium conferre intuitu obsequii sibi præstiti?

Resp. Ut huic difficultati fiat satis, distinguenda sunt, cum Angelico Doctore (2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 7.), duo obsequiorum genera, quæ Episcopo exhiberi possunt; alia enim referuntur ad spirituale, & Ecclesiæ Episcopo commissæ bonum; exempli gratia, exercere munus Vicarii generalis, Promotoris, Prædicatoris; alia vero sunt obsequia omnino temporalia, ut curam gerere patrimonii ipsius Episcopi, aut ejus consanguineorum.

Quantum ad priora obsequia, certum est, Episcopum non solum posse conferre Beneficia sine simonia illis, qui talia exhibuerunt obsequia, sed etiam aliquo modo teneri; quia, juxta sanctum Gregorium Papam (*Can. Ecclesiasticis* 12. *q.* 2.): *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes, Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, ut, qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt, digne nostris provisionibus consolentur.*

Quantum vero ad posteriora obsequia temporalia, Beneficium conferri non potest illorum intuitu sine simoniaca labe, quia conferretur propter munus ab obsequio, quod in Sacris Canonibus sæpius prohibetur (*Can. Cum essent, de simonia*); unde etiam sanctus Thomas expresse docet (2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 2.), quod *Si Clericus alicui Prælato impendat obsequium inhonestum, vel ad carnalia ordinatum, puta quia servit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui,*

vel ad aliquid hujusmodi; erit munus ab obsequio, & est simoniacum.

Et in Concilio Remensi (*anno* 1583. *tit.* 3. *de simoniacis c.* 7.) decernitur, ut *Si quis Beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem, conferat... Simoniacus esse censeatur.*

Idem fortasse dici posset de Episcopis, qui suis domesticis Beneficia conferunt, propter obsequia præstita in officio Capellani, aut alio ejusmodi; non enim talia officia reddunt eos Beneficio dignos, cum ad solam Episcopi personam, non autem ad Ecclesiæ, & Diœcesis utilitatem, spectare videantur.

Unde sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi (1. *tit. Quæ pertinent ad Collationem Beneficiorum*) ita statuit: „ Ut omnis ad simoniam aditus intercludatur, „ monemus & obtestamur Episcopos, aliosque, quibus „ est jus conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti, Beneficia Ecclesiastica tamquam suæ operæ, & „ laboris pretium, præcipue sibi proponant; fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrinæ, „ & pietati utiliter sacrum munus committi possit ".

Quæst. 19. Licet-ne Clerico in spiritualibus obsequium Episcopo præstare principaliter ut obtineat Beneficium?

Resp. Id licere non potest, primo, quia, ut ait sanctus Bernardus (*de vita & moribus Clericorum c.* 5.): *Qui evangelizat, ut manducet, perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur.* Quia scilicet finem ad media refert, cum media debeant referri ad finem; Deo quippe, & Ecclesiæ servit, ut vivat, cum e contra vivere deberet, ut utrique inservire posset.

Secundo, quia, ut docet Angelicus Doctor (*Quodlib.* 5. *art.* 11. *in corp.*): *Clericus, qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter distributiones, quas recipit tamquam finem sui operis, committit simoniam.* Idem sentiendum videtur de eo, qui conciones habet, confessiones audit, aut servit Episcopo in quocumque alio ministerio spirituali, principaliter intuitu Beneficii obtinendi.

Quæst. 20. Committit ne simoniam, qui Missam celebrat, ut habeat, unde vivat?

Resp. Juxta Sanctum Thomam (*opusc.* 19. *de Officio Sacerdotis, art. un.*): *Non potest Sacerdos illa intentione celebrare, vel officiare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter, licet non sit simonia.* Quod intelligendum videtur de simonia reali, non vero de mentali. Et in alio loco idem Angelicus Doctor sic loquitur (*Idem in sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 4.): „ Dicendum, quod facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper: si tamen non habet alios „ sumptus, & non tenetur ex Officio Missam cantare,

„ pot-

„ potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ". Ea, quæ diximus supra num. 4. de illis, qui ad Officium cantandum pergunt cum principali intentione recipiendi distributiones, hanc veritatem confirmant.

Varia Concilia omnes avaritiæ prætextus, circa celebrationem Sacrosancti Missæ sacrificii, sæpius abolere voluerunt. In Concilio Eboracensi in Anglia (*anno* 1191. *Can.* 3.) sic statuitur. „ Prohibemus etiam, ne Sacerdos „ Laico ad pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis, „ injungat, ut Missas faciat celebrari: & illud etiam de„ crevimus prohibendum, ne Sacerdos aliquis pro cele„ bratione Missarum pretio constituto pactum ineat: sed „ hoc dumtaxat, quod offertur in Missa, recipiat".

In Concilio Toletano (*anno* 1324. *Can.* 6.) prohibetur: „ Ne Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam e„ xigat, vel rem aliam temporalem; sed grate acci„ piat, si aliquid per facientem Missas celebrari obla„ tum sibi charitative fuerit, absque pacto, vel conven„ tione quacumque".

Demum in Concilio Tridentino (*sess.* 22. *de observandis, & evitandis in celebr. Missar.*) ita habetur, „ De„ cernit sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi „ ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo cu„ rent, ac teneantur, quæ vel avaritia idolorum servitus, „ vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse „ potest, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix in„ duxit. Atque ut multa paucis comprehendantur, in „ primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis „ mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis „ novis celebrandis datur, nec non importunas, atque „ illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam po„ stulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca la„ be, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omni„ no prohibeant".

Quæst. 21. Est ne simonia, accipere certum stipendium pro celebratione Missæ, & satisfacere per alium, collato illi minori stipendio, aliqua illius parte sibi retenta?

Resp. Juxta Angelicum Doctorem (2. 2. *q.* 110. *art.* 1. *in corp.*): „ Accipere aliquid tamquam mercedis pre„ tium, simoniacum est, non autem tamquam necessita„ tis, vel subventionis stipendium". Igitur non commit„ titur simonia in casu proposito, nisi recipiatur per mo„ dum mercedis. Certum tamen est, ibi esse peccatum „ mortale, ut constat ex Bulla Urbani VIII. (*quæ incipit, Cum sæpe contingat*) in qua „ Præcipitur Sacerdo„ tibus, ut ubi pro pluribus Missis plura stipendia quan„ tumcumque incongrua, & exigua collata fuerunt, tot „ Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elee„ mosynæ præscriptæ fuerint: etiam si Ordinarius præ„ scripserit eleemosynam congruam, juxta qualitatem

„ loci, personarum, ac temporum; ita ut alioquin ii, „ ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin „ imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

„ Prohibetur etiam Sacerdoti, qui Missam suscepit ce„ lebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam „ alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, cele„ brandam committat; ita ut Administratores Ecclesiæ, „ ex eleemosynis Missarum celebrandarum, nullam ut„ cumque minimam portionem retinere possint ratione „ expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione „ pro paramentis, luminibus, vino, hostia, & similibus; „ nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redi„ tus, quos in usus earumdem expensarum erogare licite „ possint; & tunc eam portionem, quam retinebunt, „ nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ „ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt „ subeundæ; & nihilominus eo etiam casu curandum es„ se, ut tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt „ ab offerentibus eleemosynas".

Id etiam expresse determinatum est ab Alexandro VII. dum sequentem propositionem damnavit.

9. Propositio damnata (*Decretum Alex. VII. die 24. Sept. 1665.*): *Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*. Videatur in fine Tomi Tertii Bulla Innocentii XII.

Quæst. 22. Cum Ordinarius præscripsit eleemosynam certam pro retributione Missæ, tenetur-ne Sacerdos tot celebrare Missas, quot suscipit celebrandas, si collatum illi fuit minus stipendium, quam sit taxatum, seu præscriptum ab Ordinario?

Resp. Omnino tenetur, aut tot celebrare, aut celebrari curare, ut manifeste patet ex Bulla 43. Urbani VIII. mox relata, alias ad restitutionem teneretur. Quod etiam patet ex Decreto Alexandri Papæ septimi, in quo sequens propositio damnata fuit.

10. Propositio damnata: *Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre*.

Et ratio est; quia quoties aliquis eleemosynam dat ea conditione, ut aliquid fiat, injustum foret, eleemosynam accipere, & conditioni non satisfacere; cum certum sit, id quod datur sub conditione, ad donatarium non pertinere, nisi conditionem a donatore appositam velit adimplere. Videatur Constitutio Innocentii XII. infra in fine Tomi tertii.

Quæst. 23. Licet-ne accipere duplicatum stipendium pro eadem Missa, cum Sacerdos applicat petenti partem etiam specialem fructus, ipsimet celebranti correspondentem?

Resp. Certum est, id non licere, cum Alexander VII. expresse damnaverit propositionem sequentem.

8. Propositio damnata (*Decretum Alex. VII. die 24.*

Sept.

Sept. 1665.); *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem: idque post Decretum Urbani VIII.*

Quæst. 24. Nonne licet, quando Ecclesia variis Missarum fundationibus nimis est onerata, ita ut reditus, quos percipit pro his fundationibus, non sufficiant, juxta regionis consuetudinem, & Episcopi ordinationem, eas reducere ad minorem numerum, summi Pontificis authoritate, ut ii qui tenentur eas celebrare, convenientem recipiant retributionem? Quod si licet, quare non possunt plures Missæ simul adunari, ut percipiatur eleemosyna ordinationi Episcopi conveniens?

Resp. Licet quidem ad summum Pontificem recurrere, ut Missæ fundatæ reducantur, quoties non sufficiunt reditus ad hæc onera sustinenda; non licet tamen eleemosynas pro Missis oblatas ad ordinationem Episcopi reducere, dum quis minorem receperit eleemosynam, quam quæ ab Episcopo est taxata. Discriminis ratio est; quia cum illi, qui Missas fundarunt, mortui sint, summus Pontifex, ut fidelis illorum voluntatum interpres, judicat eos, si viverent, non imposituros tantum onus pro tam modica summa. Verum cum ii, qui dant eleemosynas, vivant, & suam declarent voluntatem, nemo videtur posse dispensare ab onere implendo, quod ipsi imponunt, si eleemosyna recipiatur, quam sub hac expressa conditione dederunt. Videatur Constitutio Innocentii XII. in fine Tomi tertii.

Quæst. 25. Committitur-ne simonia, cum aliquid exigitur pro immissione in possessionem alicujus Beneficii?

Resp. Dilucide hæc quæstio definita reperitur in Conc. Trid. (*sess.* 24. *de ref. c.* 1.), in quo sic habetur: „ in „ pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Colle„ giatis, & Parochialibus ex earum Constitutionibus, „ aut ex prava consuetudine observare intelligitur, ut in „ electione, præsentatione, nominatione, institutione, „ confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive ad„ missione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, „ vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel „ partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas „ certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solu„ tiones, promissiones, compensationesque illicitæ, aut „ etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur, Turnorum „ lucra, interponantur. Hæc cum sancta Synodus dete„ stetur, mandat Episcopis, ut, quæcumque hujusmodi „ in usus pios non convertuntur, atque ingressus illos, „ qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem „ habent, fieri non permittant “. Videri possunt, quæ superius dicta sunt n. 5.

Quæst. 6. Committitur-ne simonia, cum datur Beneficium pro acquirenda hominum gratia, pro laude, vel favore, seu cum speratur aliquod obsequium ab

eo, cui Beneficium confertur, sine tamen ullo pacto?

Resp. In casu proposito simonia committitur mentalis, si propter talem gratiam, aut favorem, aut spem obsequii, Beneficium conferatur, quia tunc res spiritualis non confertur gratis: *Qui dat*, inquit Angelicus Doctor (*in 4. dist. 25. c. 3. art. 3. ad 4.*), *aliquid spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium, quin simoniam committat.*

Id etiam sanctus Gregorius Papa expresse reprobat in Canone, dicens (*Can. sunt nonnulli, 1. q. 1.*): „ Sunt „ nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex Ordina„ tione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro hu„ mana gratia largiuntur, atque de largitate eadem, „ laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimi„ rum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt: „ quia de impenso officio sanctitatis, nummum expetunt „ favoris". Unde inferri debet, simoniam committi mentalem in casu proposito, cum pro re spirituali favor principaliter expectatur.

Quæst. 27. Committitur-ne simonia, cum pecunia datur Sacerdoti, ut Missam pro nobis celebret, aut pauperi, ut Deum pro nobis oret?

Resp. Nulla prorsus est simonia in his casibus; quia illud, quod datur Sacerdoti, non est pretium Missæ, sed necessitatis tantum stipendium, &, ut docet Angelicus Doctor (2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2.): *Illi qui dant eleemosynas pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere: sed per gratuitam beneficientiam pauperum animos provocant ad hoc quod pro eis gratis, & ex charitate orent.* In quo certe nulla umquam esse potest Simonia ex parte dantium temporalia; quia dant, ut Dei benedictionem & gratiam consequantur; quod non modo licitum, sed etiam valde laudabile est, & juxta Evangelium, omnia, ipsamque vitam nostram, propter hanc divinam benedictionem & gratiam, dare debemus. Nulla etiam est Simonia ex parte recipientium temporalia, quia juxta sancti Thomæ doctrinam, non accipiunt tamquam pretium rei spiritualis, sed tamquam stipendium necessitatis: quod certæ licitum est, cum justum & æquitati consonum sit, ut populus Christianus necessaria ad sustentationem subministret illis, qui spiritualia ministrant.

Quæst. 28. Nonne dici posset, ex paritate rationis, licitum esse dare rem temporalem tamquam motivum ad inducendum collatorem, ut nobis conferat Beneficium?

Resp. Id nullo modo fieri potest: & ratio disparitatis est, primo, quia cum collator Beneficii teneatur illud conferre gratis, committit Simoniam, quoties illud confert intuitu alicujus temporalis commodi: qua de causa etiam qui dat aliquid ad inducendum collatorem, ut sibi conferat Beneficium, committit pariter Simoniam, cum velit pecunia comparare rem spiritualem, aut spirituali

annexam, in quo consistit simonia. At vero, qui dat Sacerdoti eleemosynam, ut celebret Missam, non ipsum inducit ad faciendam rem prohibitam, cum licitum sit ministrantibus altari, aliquid accipere ad necessariam vitæ sustentationem.

Altera differentia est, quia dans pecuniam pauperi, ut pro se Deum oret, non vult comparare spirituale pro temporali; sed solum actibus religionis impetrare a Deo, qui Dominus est donorum suorum, gratiam quam cupit; quod utique licitum est. At vero, qui dat pecuniam ad inducendum collatorem, ut conferat Beneficium, vult illud pecunia obtinere, & collatori suadere, ut conferat Beneficium intuitu rei temporalis, quod tamen tenetur conferre gratis: & ita speciem habet simulatæ venditionis. Præterea is, qui dat pecuniam, ut celebretur Missa, satisfacit obligationi communi omnium fidelium dandi necessariam sustentationem iis, qui spiritualia ministrant; quia, ut ait Apostolus (1. *ad Cor. c.* 9. *v.* 14.): *Ita & Deus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Et paulo superius dixerat idem Apostolus (*v.* 11.): *Si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

Quare nulla prorsus venditionis species ibi apparet; quia cum hoc modo datur aliquid Sacerdoti ad Missam celebrandam, aut pauperi ad orandum Deum, offertur Deo pars aliqua bonorum, quæ ab ipso concessa sunt, & eleemosyna datur ad adjuvandum proximum, Deique gratiam consequendam; quod ab omni prorsus specie simoniacæ labis est alienum.

Denique magnum certe discrimen debet esse inter hæc duo dona; quandoquidem Deus & Ecclesia volunt, ut larga erogatione temporalium, peccatorum veniam & Dei gratiam impetremus; & e contrario prohibent, ne velimus per pecuniam parare nobis viam ad Beneficium Ecclesiasticum consequendum; quod utique gratis conferri debet, juxta illud, *Gratis accepistis, gratis date*.

Quæst. 29. Nominati ab Episcopo ad examinandum eos, qui ad Beneficia assumi debent, committunt-ne simoniam, cum idcirco aliquid ab examinandis accipiunt?

Resp. In Concilio Tridentino (*Sess.* 24. *de ref. c.* 18.) statuitur, ut *Caveant Examinatores, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a quo absolvi nequeant, nisi admissis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur*. Idem decernitur in Concilio Mediolanensi quinto (*tit. de Examinandi ratione*.

Quæst. 30. Committit-ne simoniam, qui concionatur principaliter ad comparandam sibi laudem humanam, aut propter lucrum inde proveniens?

Resp. Ex sancto & Venerabili Beda relato in Canon. (*Non solum*, 1. *q.* 3.) *Venditores sunt columbarum, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Domino largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cujuslibet humana causa retributionis exercent, contra illud Petri Apostoli*: Qui loquitur, quasi sermones Dei; qui ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum.

Nam, ut docet S. Gregorius Magnus (*hom.* 17. *in Evang.*): *Quisquis ideo prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat*.

Non potestis Deo servire & mammonæ, inquit Sanctus Augustinus, exponens illa Evangelii verba (*de Opere Monach. c.* 26.): *Qui enim propter hoc Evangelium prædicat, ut habeat unde manducet, & unde vestiatur, simul se putat & Deo servire & mammonæ: Deo quia Evangelium prædicat: & mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat: quod Dominus dicit fieri non posse: ac per hoc ille qui propter ista Evangelium prædicat, non DEO, sed mammonæ servire convincitur*.

Simonia autem manifesta apparet in intentionibus in hac quæstione propositis; cum res spiritualis, qualis est prædicatio verbi Dei, fiat propter motiva temporalia, cujusmodi sunt laudes, fama, lucrum.

Nec jam amplius suffragari potest novorum aliquot Casuistarum distinctio motivi & pretii, postquam Innocentius undecimus, magno reipublicæ Christianæ bono, sequentem propositionem damnavit (*in Decr. contra* 65. *Propos.*

45. Propositio damnata: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed solum tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

Quæst. 31. Cum fideles teneantur subministrare temporalia Concionatoribus, quare istis non licebit Conciones habere, ut hæc bona temporalia consequantur?

Resp. Huic quæstioni respondet Angelicus Doctor, dum ait (2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2.): *Dicendum, quod temporalia prædicantibus debentur ad sustentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum: unde super illud* 1. *ad Timoth.* 5. Qui bene præsunt Presbyteri, &c. *dicit Glossa: Necessitatis est accipere, unde vivitur, charitatis est præbere: non tamen venale est Evangelium, ut pro his prædicetur; si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio.* Unde sequitur non licere prædicare, principaliter ad consequendum aliquod bonum temporale.

Idem S. Doctor alibi etiam docet (*in* 4. *sent. dist.* 25. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 5.), quod *Stipendia debentur prædicantibus*

bus ad sustentationem victus, ne cogantur relinquere verbum Dei, & circa procuranda sibi necessaria occupari: non autem debentur eis quasi pretium prædicationis.

Unde etiam Sanctus Joannes Chrysostomus (*in cap. 21. Matth. homil. 38.*): *Columbas quoque*, inquit, *vendentium cathedras evertit: ut quod honor sacerdotalis debet auferri ab iis doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant.*

Denique Sanctus Gregorius Magnus sic loquitur (*lib. 19. in Job. cap. 10.*) „: Non quod ideo prædicent, ut „ alantur, sed ideo alantur, ut prædicent, id est, ut „ prædicare subsistant; non ut ad intentionem sumendi „ victus transeat actio prædicatoris, sed ad utilitatem „ prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde „ a bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio im„ penditur, sed causa prædicationis accipitur victus: & „ quoties prædicatoribus necessaria ab audientibus confe„ runtur, non solent de rerum munere, sed de confe„ rentium gaudere mercede: unde per Paulum dicitur: „ *Non dona vestra requirimus, sed fructum*".

Egregius & vere Apostolicus concionandi modus in Epistola S. Congregationis Concilii ad Episcopos jussu Innocentii Papæ undecimi missa, præscribitur his verbis.

INNOCENTII XI.

Admonitio ad verbi Dei Concionatores, per litteras Sacræ Congregationis Concilii, ad Episcopos directas.

A Pluribus Christiani Orbis Provinciis graves frequentesque Romam, atque ad ipsam Sanctam Sedem adventant, seu delationes, seu querelæ, adversus præsentem prædicationis usum, tamquam a primævo Apostolorum instituto prorsus aberrantem. Ac quidem cum verbum Dei, quod Apostolo teste, omnino esse debet sanum, ac salutare, multiplici lue per plures ex ipsis Evangelii præconibus reddatur infectum; merito Sanctissimus Dominus noster decrevit, contagionem universo gregi tam exitiosam, longeque patentem, omni Apostolicæ authoritatis conatu, prorsus exscindere.

Nam quæ pestis esse, aut excogitari violentior ea potest, quæ cibos ipsos ad vitæ præsidium institutos, ipsasque medicinas pro morbis depellendis inventas, in mortis instrumenta, & præsentissima venena converteret? Verbum profecto Dei, panis est ille vitæ & intellectus, quo cibari, & aqua simul salutaris, qua potari fidelium animas, ab ipsis Religionis Christianæ incunabulis, Redemptor noster edocuit. At vero si sal, quod pro Dei verbo a Sanctis accipitur, per futiles conciones evanuerit, in quo putrescentia mortalium vitia condientur? Quin imo si sal idem, quod Præ-

dicatores aperte significat, per eloquentiam plane stultam, infatuatum fuerit, revera non ultra valebit, nisi ut conculcetur, & utinam jam non conculcaretur ab hominibus. Quæ enim ministerio tam sacro majestas, qui decor, quæ sanctitas, quæ utilitas inest, quando plurimi, ut Paulus clamat, verbum Dei adulterantes, aut jocis tamquam histriones, aut conversi ad fabulas uti Poetæ, auditores sibi prurientes auribus coacervant, aut inanis facundiæ lenocinio, & calamistrato ac meretricio plane stilo, prædicationem fœde corrumpunt?

Mandat ergo Sanctitas sua, zelo vere Apostolico accensa, ut omnes Primates, Archiepiscopi, Episcopi, cæterarumque Ecclesiarum Præsides, quorum præcipuum munus est, Verbum Dei administrare, gregemque pascere, tantis corruptelis occurrant, easque Concionatoribus opportune ob oculos ponant, & fugiant a facie tot pestium potius quam colubrorum. Et præsertim universi intelligant, quod per Jeremiam Deus illis indixit: *Propheta qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere: quid palea ad triticum? numquid verba mea non sunt ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* videlicet oportere conciones non paleis refertas esse ad vanitatem, sed igne veritatis succensas.

Porro sciant, non levem esse culpam, sed grande piaculum, gravissimaque pœna mulctandum, ubi per scurrilitatem verbum Dei velut in scenam adducant, atque auditoribus deridendum traduxerint. Præterea neque per quæstiones curiosas, ac paradoxa tam vana, ita supra captum populorum assurgant, ut vere querantur; *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Similiter neque per illecebras inanium verborum, res non minus vanas obtrudant; & per ostentationem memoriæ, atque pronunciationis præcipitantiam, quasi præstigiis auditorum animas auresque ludificent.

Quamobrem Antistites per se, si tempus vacaverit, tum in Cathedralibus, tum in aliis Ecclesiis serio animadvertant, & in Diœcesi Vicariis foraneis, aliisque ministris, probisque viris, a quibus ea super re relationes exigant, vigilantiam demandent. Ac si Concionatores normam hujusmodi transgressos reperierint, eos a prædicationis munere ad tempus bene visum suspendant, aliave ratione, pro modo culpæ, plectere curent, subrogando interim alios, qui salutari modo populo ostendant vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, ac cælestem gloriam consequi valeant. Eminentia igitur vestra, in Diœcesi suæ curæ credita, Sanctissimi Domini Nostri jussibus, & proprio muneri satisfacere non gravabitur; & Eminentiæ

vestræ

vestræ manus humiliter deosculor. Romæ 6. Julii 1680.

Eminentiæ vestræ

Humillimus & addictissimus servus
F. Cardinalis Columna.

S. Archiepiscopus Brancatius, Episcop. Viterbien. Secretarius.

Eminentissimus quondam Alderanus Cardinalis Cibo, Episcopus Ostiensis & Veliternus, & Sacri Cardinalium Collegii Decanus, prædictas litteras Sac. Congregationis Concilii ad Episcopos, jussu Innocentii Papæ XI. missas, in sua præclara Synodo Veliterna inseruit; & eis salutarem pro concionatoribus Instructionem vulgari lingua attexuit, quam hic apponere utilissimum putavi.

ISTRUZIONE

Per li Predicatori.

1. I Predicatori devono mirare principalmente la gloria di Dio, e la salute dell'anime, ed a tale scopo indirizzare tutta l'opera loro; considerando, che il suo ministero è santissimo, prima esercitato da' Profeti, dagli Appostoli, e quello che importa sopra ogni altra cosa, dall'istesso Figlio di Dio; e che è grandissimo il premio di chi riduce le anime alla strada della salute, dicendo San Giacomo, che chi converte il peccatore, ricuopre i suoi peccati, ancor che siano di gran numero. Procurino spesso di eccitare gli Uditori all'odio de' peccati, al timore delle pene eterne, alla vera penitenza, all'amor di Dio, al desiderio del Paradiso, ed all' acquisto delle virtù.

2 Prima di predicare, intendano dall' Ordinario, e poi dal Parroco, i bisogni di quel popolo, al quale sono mandati a predicare la parola di Dio, per poterlo fare con frutto.

3 Non raccontino favole ne' pulpiti, o altre cose da muovere riso.

4 Nemmeno miracoli, o storie apocrife, e non approvate dalla Santa Chiesa. *Id severe prohibetur in Concilio Neapolitano Cardinalis Jacobi Cantelmi ann.* 1699. *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 33.

5 Nè ardiscano interpretare cosa alcuna della Sacra Scrittura, che non sia conforme all' unanime consenso de' Santi Padri, e di Santa Chiesa.

6 Nè della medesima Scrittura, o luoghi di essa, profetizzino a' popoli, o al mondo avvenimenti d' al-

cuna sorta, ancorchè fosse ciò per incutere timore, se non quelli che spiegano i Santi Padri.

7 Riprendano i vizj con carità, e si guardino, anzi si astengano onninamente, con tacite, o espresse parole, ferire alcuno, onde potesse questi fare argomento che si parlasse di lui.

8 Si astengano di riferire in pubblico ragioni, o argomenti d' eretici, per quanto falsi, massime alla presenza di persone idiote.

9 Non pubblichino Indulgenze, che non siano sottoscritte dall' Ordinario, o suo Vicario generale.

10 Nè senza licenza dell' istesso Ordinario o suo Vicario, raccomandino alcun povero per l' elemosina; e ne' luoghi di fuori, del Vicario foraneo, o Parroco.

11 Non predichino di notte.

12 Non dissuadano alcuno dirittamente, o indirettamente, dalla frequenza della Comunione.

13 Spieghino la parola di Dio con simplicità, e si accomodino all' intelligenza di tutti.

14 Inculchino la soddisfazione de' legati pii.

15 La soddisfazione delle decime.

16 La venerazione delle Chiese.

17 La frequenza de' Sacramenti.

18 L' attenzione in fare, che li maggiori mandino i subordinati ad imparare la dottrina Cristiana.

19 Insegnino il modo di ben confessarsi, l' obbligo di restituire la fama e roba d' altri.

20 E d' esprimere le qualità che mutano specie.

21 Di rimuovere gli odj, e rancori contro il prossimo.

22 Di fuggire l' occasione del peccato.

23 Di sentire Messa ne' giorni di precetto, e osservare le feste.

24 Di fuggire le superstizioni.

25 Il Predicatore non dia risoluzione de' casi di coscienza, nè pubblicamente, nè privatamente, se non è ben sicuro della dottrina; conciosia cosa, che l' errore di uno che predica, fa gran pregiudizio, per il credito, che le persone gli hanno ordinariamente.

26 Ricordi a' popoli la Dottrina Cristiana, l' orazione per li morti, lo stare alla Messa con riverenza, la divozione della Santissima Vergine, dell' Angelo Custode, e de' Santi.

27 Inculchi spesso la frequenza de' Santissimi Sacramenti, ed esplichi le grandissime utilità, che ridondano all' anime dal confessarsi, e comunicarsi spesso.

28 Non lasci occasione di trattare del Sacramento della Penitenza, e del modo di ben confessarsi, e nella Quaresima ecciti gli uditori a farlo per tempo, e non aspettare la settimana santa.

29 Dichiari con buona occasione i Misterj della Santa Messa, de' Sagramenti, degli Uffizj Divini, e delle solennità, che celebra la Santa Chiesa infra annum.

30 Rap-

30 Rappresenti, quanto si debbano temere le Censure Ecclesiastiche, e specialmente le scomuniche, e particolarmente da chi tenesse effetti Ecclesiastici, e fosse tenuto a soddisfare Messe e legati pii.

31 Insegni, con qual riverenza si debbà stare nella Chiesa, come casa di Dio.

32 Sia molto sollecito in ammonire i Padri, e le Madri alla buona educazione de'loro figlj, con tenere ogni modo, perchè siano ben costumati e timorati di Dio, dipendendo da questo il bene di tutta la loro vita.

33 Ricordi spesso la carità verso il prossimo, e l' obbligo di perdonare l' ingiurie, e il bene di tolerare le tribolazioni di questa vita.

34 Gridi contro l'orrendo vizio della bestemmia.

35 Contro gl' incantesimi, malefizj, e superstizioni.

36 Contro l'inosservanza delle Feste.

37 Contro i spergiuri, e falsi testimonj, massime in giudizio.

38 Esclami contro i contratti simulati, mascherati d' usure, e d' ingiustizie.

39 Contro gli adulterj, stupri, incesti, concubinati, ed altri vizj di carne, ma sotto forme, che non offendino le caste orecchie.

40 Contro il vizio del giuoco.

41 Contro l' abuso di conversare i sposi, prima che sia solennizzato il matrimonio.

42 Insegni, come si commetta il peccato anche col solo pensiero: e quanto sia necessario fuggire l' occasioni, per liberarsi dal peccato medesimo.

43 Predicando ad uomini di villa, farà di grande utilità valersi di alcune similitudini, come appunto si cava dall' Evangelio che faceva Cristo Signor nostro, che si prendono dall' agricoltura V. G. da' campi, vigne, formento, alberi, e cose simili; e quando tratterà con altra sorta d' uomini farà anche bene, che si serva degli esempj dell' arte, ch' essi esercitano.

44 Avvertirà di non essere ordinariamente tanto lungo, che apporti tedio, o ritardi le persone dal venire a sentirlo.

45 Finito di predicare, comparisca avanti di Noi, o de' nostri Vicarii, e dia conto di ciò che avrà fatto per la salute e profitto spirituale di quel popolo, al quale avrà predicato.

46 E porti le lettere del Parroco del luogo, che attestino il frutto, che avrà fatto con le sue prediche, e il buon esempio che avrà dato a' popoli; altrimenti non predicherà più nelle medesime Diocesi.

TRACTATUS ULTIMUS
DE POENIS
SIMONIACORUM.

CUM Simonia sit capitale delictum, ut habetur in Can. *Qui luet*, 1. *q.* 1. non solum a sacris Canonibus proscriptum fuit, sed ipsi etiam Principes sæculares, legibus Ecclesiasticis pie obsequentes, & Ecclesiam a tam pernicioso crimine pro viribus liberare conantes, leges quoque sanxerunt, quibus Simonia gravibus pœnis mulctatur: In lege *Si quemquam*, sic habetur (*Leg. Si quemquam*, *C. de Episcopis & Clericis.*): „ Si quemquam, vel in hac Regia Urbe, vel in cæteris Provinciis, quæ in toto Orbe terrarum diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum provehi, Deo authore, contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, sincero omnium judicio præferatur. Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur: quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ causa esse poterit excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat? Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si Sanctitas incorrupta corrumpatur? Cesset Altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocumque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet: nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes: tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus: rogatus recedat, invitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusanda. Profecto enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.

„ Sane si quis hanc sanctam, & venerandam Antistitis sedem pecuniæ interventu subiisse, aut si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & læsæ Majestatis accusatione proposita, a gradu Sacerdotii retrahatur; nec hoc solum deinceps honore privari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus, ut eos, quos par facinus coinquinat, & æquat, utrosque similis pœna comitetur. " Idem fere habetur in Novellis Justiniani Imperatoris, Constitutione 115. c. 331.

Quæst. 1. Quas pœnas incurrunt, qui Ordines simoniace suscipiunt?

Resp. Juxta Concilium Toletanum 8. cap. 5. qui simoniace

niace susceperunt Ordines, anathemate percussi sunt, & excluduntur a participatione Corporis & Sanguinis Domini, propter execrandum crimen, quod commiserunt. Et Paulus Papa II. in simoniacos sic invehitur (*in c. Cum detestabilia de simonia in Extrav. communib.*): „ Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, ac etiam omnes, & singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas a Romanis Pontificibus contra simoniacos quomodolibet latas, & eorum quemlibet, tam manifestum quam occultum, quas ipso facto eos incurrere volumus, & confirmantes, & innovantes, Apostolica authoritate declaramus, quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, a suorum sint Ordinum executione suspensi ". Quæ Bulla innovata fuit in Bulla 5. Pii V. quæ incipit: *Cum primum Apostolatus*.

Quæst 2. Qui susciperet Ordines per alterius simoniam, inscius facti, esset-ne suspensus ab executione Ordinis sic suscepti, ita ut non posset illum exercere sine dispensatione, statim ac sciret, quod, v. gr. ejus pater illi procurasset collationem Ordinis data pecunia?

Resp. Sanctus Thomas respondet his verbis (*q.* 100. *art.* 6. *ad* 3.): *Si vero nec volente, nec sciente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret Ordinis executione.* Rationem autem hujus responsionis assignat ibidem *in corp. Articuli: Quia nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit; Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur.* Unde, qui recepit Ordines data pecunia, aut alia re, sive a se, sive ab alio, eorum functiones exercere non potest, licet etiam nullius criminis reus factus fuerit tales Ordines recipiendo.

Quod etiam probari potest ex Bulla Pauli II. mox citata, in qua indistincte, quotquot simoniace ordinati sunt, a susceptorum Ordinum executione suspenduntur; sive ipsi, sive alii pro ipsis simoniam commiserint.

Quæst. 3. Quis potest cum eo dispensare, qui simoniace fuit ordinatus?

Resp. Juxta Angelicum Doctorem (2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 7.): *Dicendum, quod dispensare cum eo, qui est Beneficiatus simoniace scienter, solus Papa potest; in aliis autem casibus potest etiam Episcopus dispensare.* Idem, ex manifesta paritate rationis, dici debet de simoniace ordinatis. Et ita, juxta Angelici Doctoris mentem, si ordinatus non commiserit simoniam, sed alius, eo inscio; tunc Episcopus potest cum eo dispensare, & suspensionem tollere. Quod etiam confirmari potest ex capit. *Si alicujus, de electione.* Quantum vero ad dispensationes in foro pœnitentiali; videatur Instructio in fine Tomi 5. apposita.

Quæst.

Quæst. 4. Quasnam incurreret pœnas, qui susciperet Ordines sub titulo Patrimonii obtenti ab altero, cui promisit, se nihil unquam repetiturum: quod dicitur fictum, seu falsum Patrimonium?

Resp. Cum quidam Episcopus in simili casu consuluisset Innocentium III. sic respondit (*Cap. per tua nobis, de simon.*): „ Per tuas Nobis litteras intimasti, quod „ cum quidam vellet in Subdiaconum ordinari, & cer„ tum titulum non haberet, quemdam Presbyterum exo„ ravit, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret: „ quod cum ille facere recusaret, ipse illi firmiter re„ promisit, quod numquam si præsentaret eumdem in Ec„ clesia sua, aliquam peteret portionem: & sic ad præ„ sentationem ejus extitit ordinatus, nec se in hoc illi„ citum egisse aliquid intellexit. Nos inquisitioni tuæ ta„ liter respondemus, quod nisi cum eo fuerit misericor„ diter dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec „ in suscepto debet Ordine ministrare ".

Concilium Tridentinum (*sess.* 21. *de ref. c.* 2.) hac de re sic statuit: *Compertum est, complures plerisque in locis ad sacros Ordines admitti, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, se Beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere. Statuit Sancta Synodus, ne quis ita ad sacros Ordines promoveatur, antiquorum Canonum penas super his innovando.*

Beatus Pius V. ita decernit (*in Bulla* 75. *Rom. Pontifex.*): „ Sane cum non deceant, divino ministerio ad„ scriptos, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordi„ dum aliquem quæstum exercere, a Sacro Tridentino „ Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Cle„ ricus sæcularis, quantumvis alias moribus, scientia, „ & ætate esset idoneus, ad sacros Ordines promovere„ tur, nisi prius legitime constaret eum Beneficium Ec„ clesiasticum, &c. Statuentes, & decernentes, promo„ tiones hujusmodi contra ipsius Decreti Concilii Tri„ dentini formam factas, executione prædictorum Or„ dinum omnino carere, nullasque prorsus, & irritas exi„ stere; sicque promotas personas, in Altaris ministerio „ ministrare non posse: quin imo ministrantes, privi„ legiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis Cleri„ cis concessis omnino privari, & irregularitates, alias„ que in dicto Decreto contentas pœnas eo ipso incur„ rere; a quibus, nisi a Romano Pontifice, vel in „ mortis articulo, minime absolvi possunt ".

Denique Gregorius nonus (*Can. Si quis, de simonia.*): „ Si quis, *inquit*, ordinaverit, seu ad Ordinem præsen„ taverit aliquem, promissionem, vel juramentum ab illo „ recipiens, quod super provisione sua non inquietaret „ eumdem, Ordinator a collatione, præsentator vero ab „ executione Ordinum per triennium, & Ordinatus ab Or„ dine sic suscepto, donec dispensationem super hoc a Sede „ Apostolica obtinere meruerint, noverint se suspensos ".

Ex

Ex his omnibus colligere licet, eum, qui sub falsi patrimonii titulo suscipit Ordines, esse ipso facto suspensum ab Ordinis executione; proindeque si functiones illius exerceat sine dispensatione summi Pontificis, incidere in irregularitatem. Plura de hac materia dicta sunt Tom. 5. Tract. 8. de Sacramento Ordinis, cap. 5. de Ordinibus sacris.

Quæst. 5. Quam pœnam incurrit is, qui Beneficium simoniace consecutus est?

Resp. Tenetur primo Beneficium dimittere, quod simoniace obtinuit, sive simoniæ reus sit ipse, sive non, quia videlicet simonia eo inscio perpetrata fuit a Patre, aut aliis; cujus pœnæ rationem assignat Angelicus Doctor his verbis (2. 2. *q.* 100. *ar.* 3. *in corp.*): „ Nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit: puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*: Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest ".

Tamen *Non tenetur*, ut notat idem Angelicus Doctor (*ib.*), *ad renunciandum Beneficio, si forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret alicujus promotione, vel si ipse expresse contradixerit*.

Quæ doctrina omnino conformis est Decreto Cælestini Papæ tertii his verbis expresso (*Can. Nos*, *de simonia*): „ Consultationi tuæ taliter respondemus, quod nisi constaret, illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id maliciose fecisse; quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio, tamquam simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda ".

Cujus quidem Decreti ratio est, quod in tali casu temporale non fuit causa, cur spirituale quis consecutus sit; cum propter illud datum non sit, sed potius, ut impedimentum apponeretur.

Quæst. 6. Quis dispensare potest cum eo, qui Beneficium simoniace consecutus est?

Resp. Distinguendum est, utrum quis ex propria simonia Beneficium sit adeptus, an ex simonia aliena. In aliena Episcopus dispensare potest, si agatur de Beneficio simplici: *Si alicujus electionem*, inquit Gregorius IX. (*Cap. Si alicujus*, *de electione*.) *propter simoniam, eo ignorante, & ratum non habente commissam, contigerit reprobari: cum eo super Prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest Episcopus dispensare, quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex Beneficium per simoniacam pravitatem,*

tem, post liberam resignationem Episcopi tolleretur;

Sin autem quis Beneficium consecutus sit per simoniam propriam, solus summus Pontifex cum eo dispensare potest, ut illud Beneficium retineat; ut habetur in can. *Quicumque*, 1. q. 5. (*a*)

Quæst. 7. Quasnam alias pœnas incurrunt, qui per simoniam Beneficium obtinent?

Resp. Illæ pœnæ referuntur in Constitutione Pauli Papæ II. his verbis (*in c. Cum detestabile de simon. In Extrav. communib.*): „ Cum detestabile scelus simoniacæ „ pravitatis, tam Divinorum, quam Sacrorum Canonum „ authoritas abhorreat, atque damnet: Nos considerantes, „ quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere „ solet a voluntate peccandi: ac summis desideriis affectantes, ut hoc pestiferum vitium non ex usu solum, sed „ etiam ex mentibus hominum, saltem propter pœnarum „ metum, penitus evellatur; Prædecessorum nostrorum „ Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, ac etiam „ omnes, & singulas excommunicationis, suspensionis, „ privationis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas confirmantes, & innovantes, Apostolica authoritate „ declaramus, quod omnes illi, qui simoniace ordinati „ fuerint, a suorum sint Ordinum executione suspensi. Per „ electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant, in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficiis, aut aliquo eorum, cuipiam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat „ aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus: „ Statuentes, quod universi, qui simoniam commiserint, „ aut, quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint „sententiam excommunicationis incurrant; a qua, „ nisi a Romano Pontifice pro tempore existente, non „ possint absolvi, preterquam in mortis articulo constituti".

Hæc Pauli secundi Constitutio confirmata fuit a Pio Papa IV. & a Beato Pio V. Videatur Instructio in fine Tomi quinti.

Præterea, ut habetur in recenti Synodo Derthonensi (*an. 687. de Benef.*): „ Advertant, qui beneficia, seu „ pro se, vel pro aliis, cum oblatione alicujus pensionis „ annuæ; aut pro aliis, cum spe pensionem annuam, vel „ aliud quantumvis modicum temporale commodum ab eis „ consequendi: vel pro se ipsis, principaliter animo, & „ intentione ea postmodum in favorem aliorum, etiam „ quantumvis idoneorum, & benemeritorum, cum simili „ pensione, aut commodo, aut etiam sine eo resignandi, „ obti-

(*a*) Quantum ad dispensationes, seu condonationes in foro pœnitentiali, videatur Instructio in fine Tomi 5. apposita.

„ obtinere procuraverint, cujuscumque status, gradus, or-
„ dinis & conditionis existant, excommunicationem latæ
„ sententiæ, soli Papæ reservatam, & nullitatem talium
„ provisionum, & inhabilitatem ad omnia beneficia, &
„ pœnam privationis omnium beneficiorum obtentorum,
„ eo ipso, absque alia desuper facienda declaratione, in-
„ currere, ut clare disponitur in Constitutione Pauli Papæ
„ IV. " quæ infra habetur integra post hunc Tractatum.

Quæst. 8. Tenetur-ne quis restituere, quod simoniace accepit; & quo pacto fieri debet hæc restitutio?

Resp. Certum est, simoniam ad restitutionem obligare non solum eum, qui simoniace suscepit Beneficium, quod debet Ecclesiæ restituere, simpliciter & sine conditione illud abdicando, & renunciando, & restituere omnes fructus perceptos, verum etiam eum, qui pecuniam aut aliud quidpiam accepit pro collatione Beneficii, aut alterius rei spiritualis; ut patet ex Decreto Alexandri Papæ III. (*in append. ad Concil. Lat. ref. in c. De hoc, de simonia.*) qui Toletano scribens Archiepiscopo, ait: „ Regem autem, & Principes suos solicite monere debes, „ & diligenter inducere, ut si quæ receperint a præfato „ Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Eccle- „ siæ Exoniensi sine diminutione restituant: cum ea sine „ gravi periculo salutis suæ retinere non possint ".

Idem etiam colligitur ex Epistola sancti Gregorii ad Rotomagensem Episcopum, relata in Canone his verbis (*Can. Si quis dator, q. 3.*), „ Si quis dator, vel ac- „ ceptor, Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica Beneficia, quæ „ quidam Præbendas vocant, sub pecuniæ interventu su- „ sceperit, sive dando emerit, sive accipiendo vendiderit, „ a Simoniæ non excluditur perditione... Rationis ergo „ vigore cogitur, quod injuste receperit, restituere, & „ quidquid turpis lucri gratia receperat, non tenere ".

Unde Alexander VII. sequentem propositionem damnavit (*in Decreto adversus laxas Casuistarum opiniones, anno* 1665.).

22. Propositio damnata, „ Non est contra justitiam, Be- „ neficia Ecclesiastica non conferre gratis: quia collator „ conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interve- „ niente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed „ veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre „ non tenebatur ".

Quantum vero ad modum restituendi, vidimus supra Alexandrum Tertium ordinasse, ut restitutio fieret Ecclesiæ, cujus occasione simonia commissa fuit. Et Angelicus Doctor in hac materia sic loquitur (2. 2. *q.* 32. *ar.* 7. *in corp.*): „ Alio modo est aliquid illicite acquisi- „ tum, quia ille quidem, qui acquisivit, retinere non po- „ test; nec tamen debetur ei, a quo acquisivit, quia sci- „ licet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam „ dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans, & ac- „ cipiens, contra justitiam legis divinæ agit; unde non

„ debet

„ debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in elee- „ mosynas erogari “. Unde dici posse videtur quod dum Alexander Tertius dixit, restitutionem Ecclesiæ fieri debere, noluit tamen excludere pauperes, aut alia pietatis opera; sed intendit solummodo ordinare id, quod in hoc particulari casu fieri volebat, & quod revera magis conveniens videbatur.

Constitutio PAULI Papæ IV. circa obtinenda beneficia.

PAulus Papa IV. motu proprio, &c. Inter cæteras curas, quibus ex Apostolatus officio assidue urgemur, & premimur, ea continuo animo nostro fixa fuit, ut Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam habentia, personis conferantur idoneis, quæ vellent, & possent apud ea personaliter residere, scirentque eis laudabiliter deservire. Et ad hoc dilectos filios nostros Bernardinum Sancti Matthæi Tranensem, & Scipionem S. Potentianæ de Pisis, ac Joannem Sancti Joannis ad portam Latinam titulorum, Romanum, nuncupatos Presbyteros Cardinales, una cum Venerabili Fratre Francisco, Episcopo Gebennen. Datario nostro distributioni & provisioni beneficiorum hujusmodi præesse jamdudum deputavimus. Verum cum audiamus, eosdem Cardinales, & Datarium, licet in his eam, quam possunt, majorem semper adhibuerint, & in dies adhibeant diligentiam, personas, quibus beneficia ipsa conferenda sunt, super litteratura examinando, de eorum vita, & moribus, ac beneficiis per eos obtentis, aliisque ad præmissa facientibus, accurate inquirendo, diversimode tamen circumveniri, ac falli, & diversas eis fraudes in præmissis fieri: aliquibus se alios esse simulantibus, & tamquam tales se in examine supponentibus: aliis beneficia pro personis sibi cognitis, & id ignorantibus, ut postmodum cum eis beneficia, etiam per simoniacam pravitatem, contractare, & super eis pacisci possunt: aliis beneficia, tam pro se, quam pro aliis personis, cum oblatione diversarum pensionum annuarum diversis personis etiam familiaribus continuis commensalibus nostris, aut aliis, quos ipsi Nobis gratos & acceptos esse existimant, annuatim persolvendarum: & sic simoniacam hæresim incurrendo; aliis beneficia hujusmodi pro diversis aliis, sub spe pensionem annuam, aut aliud commodum temporale ab eis consequendi; aliis beneficia ipsa pro se ipsis, animo & intentione, & interdum pacto expresse firmato de eis postmodum in favorem aliorum, qui aliquando minus idonei, & non bene meriti existunt: cum simili pensione, aut commodo, aut sine illa, vel illo resignandis & dimittendis, maxima cum instantia obtinere procurantibus.

Nos præmissis fraudibus & dolis, ac hæresi Simonia-

cæ,

cæ, quantum cum Deo possumus, efficaciter occurrere volentes, authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, atque decernimus, quod de cætero omnes & singuli, qui post publicationem præsentium in locis infrascriptis faciendam, occasione beneficiorum obtinendorum, se alios esse simulaverint, & tamquam tales se in examine supposuerint: aut beneficia pro personis id ignorantibus, seu pro se, vel pro aliis, cum oblatione alicujus pensionis annuæ: aut pro aliis, cum spe pensionem annuam, aut aliud quantumvis modicum temporale commodum ab eis consequendi: vel pro se ipsis, principaliter animo & intentione, ea postmodum in favorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum & benemeritorum, cum simili pensione, aut commodo, aut etiam sine eo, resignandi, obtinere procuraverint, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiam si Episcopali, aut alia majori dignitate Ecclesiastica, vel Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Regia, Ducali, aut Marchionali præeminentia præfulgeant; excommunicationis & anathematis, ac maledictionis æternæ sententiam, a qua, nisi a Nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; necnon privationis omnium, & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumvis Ordinum regularium, per eos in titulum, vel commendam, aut alia quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnam eo ipso, absque alia desuper facienda declaratione incurrant; ita ut, constito solum summarie, & extrajudicialiter, quod ipsi contra tenorem præsentium aliquid fecerint, per Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalem Auditorem, seu Viceauditorem, vel ejus locum tenentem, pro talibus, & ut tales publicari possint.

Et nihilominus, sicut præfertur, obtentæ provisiones, & commendæ, aliæque dispositiones, nullæ sint, irritæ, & inanes, nullumque alicui jus in ipsis beneficiis, vel ad illa tribuant; nec aliquis earum vigore fructus suos faciat, sed ad eorum restitutionem teneatur: possintque beneficia, tam sic impetrata, quam per eos antea obtenta, tamquam modo præmisso vacantia, a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente dumtaxat libere impetrari. Volumusque statutum, ordinationem, & decretum nostra hujusmodi etiam quoad monasteria monialium, & alia beneficia per moniales, aut alias mulieres obtineri solita, locum habere.

Non obstantibus, &c. 27. Novembris 1557.

Idea

Idea generalis Juris Canonici, & Civilis, ac modus citandi, & inveniendi locos in utroque Jure citatos.

CUM resolutiones casuum conscientiæ quæ in toto hoc opere continentur, Juris utriusque authoritate sæpissime comprobentur; operæ pretium fore putavi, generalem utriusque Juris ideam tradere, & modum citandi ostendere; ut, qui hoc opus legent Ecclesiastici, locos passim citatos facilius reperire possint.

Jus Romanum, quod in scholis explicatur, & in foro usurpatur, & authoritatem habet, vel Canonicum est, vel Civile.

De Jure Canonico.

Jus Canonicum, quod compositum fuit & collectum eo ordine, quo nunc conspicitur, longo post jus Civile tempore, & quasi ad instar illius, definitur a Lancelloto in suis Juris Canonici Institutionibus (*tit.* 1. §. *Est igitur.*), *Jus quod Civium*, seu Christianorum, *actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit.*

Universum autem Jus Canonicum, quod Doctores vocant aliquando Jus Divinum, aliquando Ecclesiasticum, aliquando Pontificium, vocatur Jus regulare; quia Canon Græce idem est, ac regula apud Latinos. Et hoc nomen Juri Canonico ideo tributum est, quod præsertim constet ex regulis, quas antiqui Patres tradiderunt ad morum directionem: dicimus autem Patres, & non summi Pontifices, ut una voce comprehendantur non solum statuta summorum Pontificum, verum etiam Decreta Conciliorum, & sententiæ sanctorum Patrum; ex quibus omnibus jus Canonicum constat.

Hoc autem Jus Ecclesiasticum non simul & statim compositum fuit, sed paulatim ex multis Decretis & Constitutionibus diversis temporibus factis, & a variis Doctoribus, tum Græcis, tum Latinis collectis, usque ad Gratianum Clusii in Etruria natum, Monachum Ordinis sancti Benedicti, qui priorum Collectorum labore ac doctrina adjutus, composuit, ac Bononiæ edidit circa ann. 1151. celeberrimum Librum, quod vulgo *Decretum Gratiani* vocatur, ac Concordia discordantium Canonum inscribitur: quia non modo collegit Canones & Decreta summorum Pontificum & Conciliorum; sed insuper ea voluit inter se conciliare iis in locis, in quibus videbantur inter se contraria; & ostendere, ea ab eodem Spiritu Sancto fuisse inspirata, eademque intentione collecta, ut Christianos omnes ad Deum ducerent, juxta celebre Concilii Aquisgranensis (*anno* 836. *c.* 25.) effatum, his verbis expressum: *Sacri Canones toto Orbe venerandi, & sancto Spiritu inspirante digesti; imo calamum sanctorum Patrum, qui eos de ordine & statu sanctæ Dei Ecclesiæ conscripserant, regente.*

Hoc opus tres in partes dividitur. Prima continet Juris principia & partes, ac varias Juris ſpecies, nec non perſonarum Eccleſiaſticarum peculiaria jura; unam autem ſupra centum Diſtinctiones continet, & ſingulis Diſtinctionibus plures Canones.

Secunda pars rerum, quæ in judicium cadunt, materiam proponit, & triginta ſex Cauſas continet: trigeſima autem tertia Cauſa habet tractatum de Pœnitentia, qui in ſeptem Diſtinctiones, ſeu Capita, dividitur.

Tertia demum pars tractat de Juribus, cæremoniis, Ordinatione, & conſecratione rerum omnium ſpiritualium & Eccleſiaſticarum: & quinque Diſtinctiones continet, quæ, ut poſſent ſecerni ab aliis Diſtinctionibus primæ & ſecundæ Partis, inſcribuntur, de Conſecratione.

Viginti primæ Diſtinctiones primæ partis Decreti, agunt de Jure in genere & in ſpecie; ac primo quidem de Jure Divino & humano: ſecundo de Jure naturali & poſitivo: deinde de Jure ſcripto & non ſcripto; ac demum de Jure Civili & Canonico ſeu Eccleſiaſtico, & de præcipuis partibus, quibus Jus Eccleſiaſticum conſtat: ſcilicet de Canonibus Conciliorum, de quibus agitur in Diſtinctionibus 15. 16. 17. & 18. In 19. Diſtinctione tractatur de Decretis ſummorum Pontificum: & in 20. de Sententiis ſanctorum Eccleſiæ Patrum.

Vigeſima prima Diſtinctio agit de diverſis Ordinibus & gradibus, qui ſunt in Clero: 22. de authoritate Eccleſiæ Romanæ, deque dignitate & prærogativis aliarum Eccleſiarum Patriarchalium: 23. & 24. agunt de Ordinatione Clericorum, & de examine prævio.

Diſtinctiones ſequentes uſque ad quinquageſimam notant vitia declinanda a Clericis, & virtutes, quibus ornari debent. Diſtinctio autem 50. loquitur de Epiſcoporum, Sacerdotum, & Clericorum lapſu, & eorum pœnitentia, vel impœnitentia.

Diſtinctiones ſequentes indicant impedimenta Canonica Ordinationis, variaſque irregularitates. Agitur de forma electionis, & de Conſecrationibus Epiſcoporum in Diſtinctione 62. & ſeqq.

A Diſtinctione vero 68. uſque ad 80. agitur de variis conditionibus in Ordinatione requiſitis, utpote quod fiat a proprio Epiſcopo, aut cum ejus licentia; quod fiat temporibus ac locis a ſacris Canonibus præſcriptis; ut ſerventur interſtitia, & ut Ordinandus legitimum habeat titulum & ſufficientem.

In Diſtinctione 81. & ſequentibus agitur ſigillatim de præcipuis virtutibus Clericorum, & vitiis, a quibus immunes eſſe debent: ac de eorum obligationibus erga Superiores, æquales, aut inferiores ejuſdem ſtatus, & demum erga Laicos. Diſtinctio autem 96. modum imponit authoritati Principum in rebus ſpiritualibus & Eccleſiaſticis.

Denique quinque postremæ Distinctiones varia proponunt, quæ præcipue pertinent ad potestatem Primatum & Archiepiscoporum.

2. Pars Decreti Gratiani agit præcipue de Simonia: de forma observanda in Judiciis, præcipue criminalibus: de peccatis quæ committuntur a Clericis in usurpatione Beneficiorum de Juribus Episcoporum: de Monacis, eorumque erroribus ac vitiis, de frequentioribus Laicorum peccatis: de Matrimonio & de Pœnitentia.

Verum ut plenius distinctiusque intelligantur ea, quæ in hac Decreti parte continentur, quæ Clericis convenit semper esse præsentia, ut ad ea, data qualibet occasione, recurrere possint, quod utilissimum est in omnibus studiis, seu exercitationibus Ecclesiasticis; juvabit hic speciatim observare, quod,

1. Causa complectitur septem quæstiones de Simonia.

2. Agit de Appellationibus & Accusationibus.

3. De Restitutionibus in integrum, quæ illis conceduntur, qui Juribus suis injuste fuerunt spoliati; deque dilationibus, & judiciis Episcoporum.

4. De probationibus per testes.

5. De pœna & supplicio calumniantium in Judicio, & scribentium libellos famosos.

6. De iis qui non sunt admittendi ad accusandum, & de formis servandis, cum judicatur Episcopus.

7. Quod dari nequeat successor Episcopo viventi, nisi abdicet Episcopatum, aut deponatur; dari autem posse Coadjutorem in aliquibus casibus.

8. Quod Episcopus non possit suum successorem eligere.

9. De potestate Episcoporum in suis Diœcesibus, & de eorum excommunicatione.

10. De Jure Episcopi in bona Ecclesiæ, & in omnes Ecclesiasticos.

11. De Judicibus Ecclesiasticis, ac censuris contra eos latis, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant.

12. De bonis Ecclesiasticis & Patrimonialibus, ac de modo, quo Clerici tam in vita, quam in morte, de hujusmodi bonis disponere possunt.

13. De funeribus, & Decimis.

14. De Usuris.

15. De culpis per ignorantiam & phrenesim commissis, ac de observandis in Judiciis Ecclesiasticis.

16. De Monachis, de Decimis, de Jure Patronatus, & de Præscriptione.

17. De votorum obligatione.

18. De Abbatum electione.

19. An Clerici possint Religionem ingredi, & quomodo?

20. De obligatione indispensabili Religiosorum.

21. Quod Clerici eodem tempore duas Ecclesias administrare non valeant: Quod non possint recedere a Diœcesi sine licentia proprii Episcopi: Quod non debeant

beant implicari sæcularibus negotiis, vestes sumptuosas ferre, aut ad tribunalia Laica recurrere.

22. De Juramento.

23. De Homicidio & bello.

24. De Hæreticis.

25. De Privilegiis.

26. De Sortilegiis & maleficiis.

27. De impedimento Matrimonii ratione voti, & quod Matrimonium sit indissolubile.

28. De Matrimonio infidelium.

29. De Matrimonio servorum, & impedimento erroris.

30. An uxor possit reddere debitum marito, qui suum filium baptizavit?

31. De Adulterio, & de libero consensu ad Matrimonium necessario.

32. De incestibus, & aliis commerciis illicitis.

33. De impedimentis ex impotentia, aut crimine ortis; Et de Pœnitentia in septem Distinctiones distributa.

34. An mulier Matrimonio juncta, & non certa de morte mariti, possit alteri nubere?

35. De impedimento consanguinitatis & affinitatis.

36. De Baptismo.

Denique 3. Pars Decreti Gratiani, qui inscribitur *De consecratione*, continet quinque Distinctiones.

In 1. agitur de Consecrationibus Ecclesiarum, & vasorum sacrorum, & celebratione Missæ.

In 2. De Sanctissimo Altaris Sacramento.

3. De festis per totum annum celebrandis.

4. De Baptismo.

5. De Sacramento Confirmationis, & de jejunio.

Secundum Volumen Juris Canonici continet Decretales Gregorii Papæ Noni. Cum enim Gratianus plures summorum Pontificum & Conciliorum Constitutiones omisisset, & publicato ejus opere, aliæ editæ fuissent: variæ compositæ fuerunt dictarum Constitutionum compilationes, seu Collectiones: & jam quinque extabant, cum Gregorius Nonus novam collectionem opera S. Raymundi de Pennafort, Ordinis Prædicatorum, Capellani & Pœnitentiarii sui, factam, publicandam curavit, & Apostolica authoritate solemniter confirmavit anno 1230.

Hoc autem Volumen præcipue continet Epistolas, quas varii summi Pontifices diversis scripsere temporibus ad decidendas difficultates sibi propositas ab Episcopis totius Orbis Christiani, & ad dirimendas controversias, quæ circa fidem, mores, aut disciplinam Ecclesiasticam insurgebant; & hac de causa Epistolæ vocantur *Decretales*, seu decernentes & decidentes, quid sentiendum, aut agendum in tali & tali casu.

Reperiuntur etiam in eodem volumine aliquot Constitutiones & Canones Conciliorum, imo quædam quoque sanctorum Patrum sententiæ, juxta varia quæ ibi tractantur argumenta.

Hæc autem Collectio, seu compilatio Gregoriana, dividitur in Libros quinque, quorum primus, postquam egit de Principiis Juris Canonici, & de diversis illius speciebus, tractat de ordine, gradu, & Jurisdictione eorum, qui possident aliquam Dignitatem, aut Officium in Ecclesia, seu Capitulis, quique præsidere debent in Judiciis Ecclesiasticis. Agitur etiam de iis omnibus, quæ ad præambula & initia litium pertinent: cujusmodi sunt pacta, transactiones, petitiones, restitutiones, arbitria, &c.

In 2. Libro agitur de ordine servando in litibus, seu processibus, ac de progressu, & fine Judiciorum omnium tam Civilium quam criminalium.

In 3. Libro de Vita & moribus Clericorum differitur, & de Actibus communibus tam Clericis, quam Laicis; cujusmodi sunt contractus & testamenta: de bonis Ecclesiasticis, de Præbendis, & de his quæ pertinent ad statum Monachalem.

In 4. agitur de Matrimonio.

In 5. demum Libro agitur de criminibus & de pœnis quæ reis imponi debent, ac de Censuris Ecclesiasticis. Sunt etiam in eodem Libro duo tituli, *De Verborum significatione*, *& de Regulis Juris*; & cum hoc verbo: *In antiquis*, citantur, ut distingui possint a titulo de Regulis Juris in 6. Hæc autem omnia exprimuntur hoc versu.

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Et unumquodque verbum dicti versiculi denotat id, quod continetur in uno ex Libris Decretalium Gregorii IX.

Edito hoc Volumine Constitutionum summorum Pontificum, succedentes Pontifices novas constitutiones ediderunt, quibus, occasione data, prout res exigere videbatur, augebant, corrigebant, aut explicabant id, quod dictum fuerat in Constitutionibus Gregorianis.

Quæ quidem omnia uno Volumine comprehensa sunt a Bonifacio VIII. anno 1298. illudque volumen vocatur Liber sextus Decretalium, & citari solet sub hoc nomine in 6. aut Libro 6. Hic autem Liber vocatur Liber 6. Decretalium, quia additus fuit quinque Libris Gregorii Noni. Ipse tamen dividitur etiam in quinque Libros sicut & Decretales Gregorii, & in his quinque Libris idem observatur ordo circa materiam.

In hoc ipso Volumine reperiuntur Clementinæ, seu Decretales Clementis Papæ quinti, quæ quidem inchoatæ sunt in Concilio Generali Viennensi in Gallia anno 1311. & deinde finitæ & publicatæ fuerunt a Joanne 22. illius successore anno 1317. in quibus Decretalibus idem prorsus ordo servatur, qui in Gregorianis Collectionibus habetur.

Deinde plures summi Pontifices novas ediderunt Constitutiones, quæ insertæ sunt Libris Extravagantium; quæ sic vocantur, non quasi non sint ex corpore Juris Canonici; sed quia nec continentur in Decreto Gratiani, nec in Decretalibus Gregorii IX. aut Bonifacii VIII. aut Clementis V. In iis servatur ordo Decretalium, & de eisdem

dem agitur materiis, cum eadem divisione Librorum quinque, sed nullus extat Liber 4. quia non agitur in illis de Matrimonio.

Sciendum autem, Extravagantes duplicis esse generis, nam aliæ vocantur communes, aliæ vero particulares.

Extravagantes communes illæ sunt, quæ non unum solum habent authorem, sed compositæ fuerunt a pluribus Pontificibus, qui Ecclesiæ præfuerunt usque ad annum 1483. Extravagantes particulares eæ sunt, quæ unum solum habent authorem, cujusmodi sunt illæ, quæ a Joanne 22. editæ fuerunt Avenione.

Extant præterea Institutiones Juris Canonici, divisæ in Libros quatuor, ad instar Institutionum Juris Civilis; quæque compositæ sunt a Joanne Paulo Lancellotto, Juris consulto Perusino. Verum licet dedicatæ sint summo Pontifici, & earum Author asserat, se illud opus jussu summi Pontificis suscepisse, illudque examinatum & approbatum fuisse a Commissariis ad hunc finem ab Apostolica Sede deputatis; nihilominus cum solemniter approbatæ non fuerint, fatendum est, eas vim legis non habere, nec proprie loquendo esse de corpore Juris Canonici; magnam tamen habent authoritatem, licet privatam; quia scilicet summa cum diligentia collectæ fuerunt ex Constitutionibus Conciliorum, & Epistolis Decretalibus summorum Pontificum ab eruditissimo Jurisconsulto, cujus opus eo est utilius, quo fidele est compendium totius Juris Canonici.

Quamquam autem totum corpus Juris Canonici tribus ut plurimum Voluminibus contineatur, dum Glossæ, & variæ notæ a pluribus Canonistis elaboratæ adsunt; nihilominus totum opus uno sæpe Volumine comprehenditur, aut certe duobus Tomis in 4. quando Glossæ, quæ non sunt adeo necessariæ, non adsunt. Hoc certe opus omnes Ecclesiastici apud se habere & sæpius legere deberent: quia fons est copiosus, unde summa cum securitate, & sine multo labore hauriri potest doctrina tum ad propriam, tum ad aliorum salutem necessaria. Sed in primis optandum foret, ut ii qui animas dirigendas suscipiunt, huic studio sedulo incumberent, easque veritates, quæ in his Libris reperiuntur, fideliter haurirent; instruunt enim & illuminant, simulque inflammant, & meliores reddunt eos, qui illas attente & cum summa, quæ illis debetur, reverentia legunt. Videant quæso modum & rationem, quam summi Pontifices, Concilia, & sancti Patres ac Ecclesiæ Doctores servarunt in conscientiæ casibus decidendis, qui illis subinde proponebantur: hæc tam sancta salubriaque exempla imitentur, & iisdem, quibus & ipsi usi sunt, principiis uti non pigeat.

Superest, ut ostendamus, quo pacto citentur Libri Juris Canonici, & qua etiam ratione citationes reperiri possint: quod quidem valde utile est in praxi, præsertim Juris Canonici candidatis.

Quod ut faciliori methodo fiat, sciendum est, tria esse

Juris Canonici volumina, quorum primum est *Decretum Gratiani*, quod in tres partes distribuitur: prima pars unam supra centum Distinctiones continet, & citatur hoc modo; Canone, aut Capite *Ecclesiæ*, Distinctione 97. quod sic brevius scribitur. Can. *Ecclesiæ*, dist. 97.

In 2. parte, quæ triginta sex Causas complectitur, sic citatur: Can. *Si Fœneraberis*, 14. q. 3. hoc est in quæstione tertia Causæ decimæ-quartæ, & Canone qui incipit ab his verbis: *Si Fœneraveris*. Tractatus autem de Pœnitentia, qui reperitur in trigesima tertia Causa, ita citatur: Can. *Novit*, De Pœnitentia, dist. 1.

In tertia parte Decreti, quæ quinque continet Distinctiones, hunc in modum citatur: Can. *Non oportet*, De Consecrat. dist. 5.

2. Volumen Juris Canonici complectitur quinque Libros Decretalium Gregorii Noni, ex eoque citationes ita fiunt; Cap. *Tua nos*, De Simonia. Dicitur quandoque: *Apud Gregorium*: aut; *Extra*, *de Simonia*; Particula autem *Extra*, denotat, materiam citatam reperiri in Decretalibus Gregorii Noni; quia Decretales sunt extra Decretum Gratiani, quod est antiquum Volumen Juris Canonici.

3. Volumen Juris Canonici continet Decretales Bonifacii VIII. & vocatur Liber 6. Decretalium; quia scilicet additus fuit quinque Libris Gregorii IX. Et sic citatur: Cap. *Quamvis*, De Procurator. in 6. seu, apud Bonifacium. Idem Volumen continet etiam Clementinas, quæ hunc in modum citantur: Clementina *Per literas*, De Præbendis & Dignitatibus; aut Cap. *Per litteras*, De Præbendis & Dignitatibus, in Clementinis.

Sunt etiam in eodem Volumine Extravagantes communes, & quæ Joanni 22. attribuuntur. Priores ita citantur: Cap. *Ut Prælatorum*, De Majoritate & obedientia in Extrav. communibus: aut simpliciter, *In Extravagantibus*.

Aliæ autem Extravagantes sic citantur: Cap. *Antiquæ*, De voto & voti redemptione, in Extravag. Jo. 22. Aliquando nullus apponitur titulus, sed tantum dicitur: Cap. *Antiquæ*. In Extravag. Jo. 22.

De Jure Civili.

Exposita breviter Juris Canonici materia, agendum est etiam breviter de Jure Civili, eodem ordine eademque methodo. Observandus est in primis ordo compositionis Juris Civilis, qui satis patet ex Proœmio Digestorum, & ex lege 2. *De veteri Jure enucleando*, ut ex Institutionibus Justiniani Imperatoris, in principio.

Imperator Justinianus, cum fines Imperii armorum vi propagasset, leges elucidandas credidit, ut pacifice gubernari posset; & quia tunc infinitis propemodum Voluminibus continebantur, primo ex tribus Codicibus, qui tunc temporis extabant, nimirum Hermogeniano, Gregoriano, & Theodosiano, unum composuit opera, & studio

Tri-

Triboniani, & aliorum: quem suo nomine Justinianeum appellavit: & hic Codex non extat. Deinde uno Volumine in quinquaginta libros diviso, leges omnes antiquas complexus est, quod Digestum vocatur, seu Pandectæ, quia in eo omnes continentur leges recte, & ordine facillimo digestæ.

Tum quoddam Juris epitome componendum curavit, in quatuor Libros divisum; & vocatur Instituta, seu Institutiones Juris Civilis, ut facilis traderetur methodus tironibus huic scientiæ incumbere volentibus.

Postea antiquum Codicem multum emendavit, eumque sic correctum publicavit, detractis quibusdam Constitutionibus, & novis adjectis; & hic Codex nunc extat, & inter Libros Juris Civilis locum habet.

Additæ fuerunt novæ Constitutiones tum Justiniani, tum aliorum Imperatorum, quæ dicuntur *Authenticæ*: quæque abrogant, derogant, aut supplent, quod antiquis legibus deesse videbatur.

Demum Jus Civile continet Constitutiones feudales, quæ ad Feuda pertinent decimo circiter Ecclesiæ sæculo introducta.

Exposito breviter ordine, quo Libri Juris Civilis editi fuere, superest, ut exponamus, qua ratione citari soleant.

Libri Digestorum, quia in tria ut plurimum Volumina dividuntur, *Vetus* scilicet, *Infortiatum*, & *Novum*, citantur passim hoc modo. Lege *Libertas*, Digestis, de statu hominis. Quod sic brevius scribitur: Lege *Libertas*, ff. de statu homin. vel: L. *Libertas*, de statu homin. Non assignando, quænam sit Lex, nec locum, ubi reperiri potest. Nam quoties non notatur Liber, in quo est Lex citata, signum est, illam esse in Digestis. Nisi forte ageretur tunc de materia aliqua Codicis, aut Institutionum: nam tunc ita citaretur: L. *Frater* infra, de legitimis tutorib. Hæc vox *infra*, indicat, Legem citatam in Libro, de quo agitur, reperiri, hoc est in Codice, si de Codice agatur, in Institutionibus, aut Digestis, si de illis agatur. Quod etiam observari debet de particula *supra*.

In Codice hoc modo citatur: L. *Si quis actor*, Codice, de plus petitionibus. Et brevius scribitur: L. *Si quis actor*. Cod. vel C. de plus petit.

Sunt præterea Novellæ, seu Authenticæ, quæ in hunc modum citantur Cap. *Ex his autem*, §. *Si autem plurimi*. *In Authentica*, *de hæredibus ab intestato venientibus*. Hic modus citandi indicat, materiam citatam, in Authenticis, seu Novellis reperiri. Potest etiam & hoc modo citari; Cap. *Ex his autem*, *Novella* 118. Posset insuper addi Collatio, dicendo, *Collatione* 9. idest Libro nono.

Extant etiam Authenticæ, quæ inseruntur titulis Codicis, quæ ita citantur: Auth. *Matri*, & *Aviæ*. *Quando mulier tutelæ officio fungi possit*. Et tunc recurrendum est ad titulum Codicis, in quo Authentica reperietur.

Denique quando citatur Paragraphus, §. non citata lege, materia citata reperitur in Institutionibus; quæ semper per Paragraphos citantur. Exempli gratia: §. *Jus autem Civile, de Jure naturali Gentium, & Civili*, Aut; §. 1. *Instit. de Jure Naturali, &c.*

DIGESTORUM
SEU
PANDECTARUM
LIB. I. TIT. ULT.

De diversis Regulis Juris antiqui.

1. *Paulus libro sextodecimo ad Plautium.*

Regula est: quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Non ut ex regula jus sumatur: sed ex jure, quod est, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum enarratio traditur; &, ut ait Sabinus, quasi causæ conjectio est. Quæ simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum.

2. *Ulpianus libro primo ad Sabinum.*

Fœminæ ab omnibus officiis civilibus publicis remotæ sunt; & ideo nec judices esse possunt; nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. Item impubes ab omnibus officiis civilibus debet abstinere.

3. *Idem libro tertio ad Sabinum.*

Ejus est nolle, qui potest & velle.

4. *Idem libro sexto ad Sabinum.*

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini.

5. *Paulus libro secundo ad Sabinum.*

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent. Nam furiosus nullum negotium contrahere potest, pupillus omnia tutore auctore agere potest.

6. Ul-

6. Ulpianus libro ſeptimo ad Sabinum.

Non vult hæres eſſe, qui ad alium transferre voluit hæreditatem.

7. Pomponius libro tertio ad Sabinum.

Jus noſtrum non patitur, eumdem in paginis, & teſtatô, & inteſtato deceſſiſſe; earumque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt teſtatus, & inteſtatus.

8. Idem libro quarto ad Sabinum.

Jura ſanguinis, nullo Jure Civili dirimi poſſunt.

9. Ulpianus libro quinto-decimo ad Sabinum.

Semper in obſcuris, quod minimum eſt ſequimur.

10. Paulus libro tertio ad Sabinum.

Secundum naturam eſt, commoda cujuſque re eum ſequi, quem ſequantur incommoda.

11. Pomponius libro quinto ad Sabinum.

Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.

12. Paulus libro tertio ad Sabinum.

In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur.

13. Ulpianus libro decimo-nono ad Sabinum.

Non videtur cœpiſſe, qui per exceptionem a petitione removetur.

14. Pomponius libro quinto ad Sabinum.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.

15. Paulus libro quarto ad Sabinum.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur.

16. Ulpianus libro vigeſimo-primo ad Sabinum.

Imaginaria venditio non eſt pretio accedente.

17. Idem libro vigeſimo-tertio ad Sabinum.

Cum tempus in teſtamento adjicitur, credendum eſt pro hærede adjectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris: ſicuti in ſtipulationibus promiſſoris gratia tempus adjicitur.

18. Pomponius libro ſexto ad Sabinum.

Quæ legata mortuis nobis ad hæredem noſtrum tranſeunt, eorum commodum per nos his, quorum in poteſtate ſumus, eodem caſu adquirimus, aliter atque quod ſtipulati ſumus. Nam & ſub conditione ſtipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiam ſi libertatis nobis poteſtate domini, conditio exiſtat.

19. Paulus.

Si filius familias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio; patri actio competit, quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus.

20. Ulpianus libro vigeſimo quarto ad Sabinum.

Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus. Hæredi autem hoc imputari non poteſt cum non ſponte cum legatariis contrahit.

Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

21. *Pomponius libro septimo ad Sabinum.*

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.

22. *Ulpianus libro vicesimo-septimo ad Sabinum.*

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

23. *Idem libro vicesimo-octavo ad Sabinum.*

In personam servilem nulla cadit obligatio, generaliter probandum est, ubicumque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini, vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse.

24. *Idem libro vicesimo-nono ad Sabinum.*

Contractus quidam dolum malum dumtaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam. Dolum tantum, depositum, & precarium. Dolum & culpam mandatum, & commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum: item dotis datio, tutelæ, negotia gesta. In his quidem & diligentia requiritur. Societas, & rerum communio, & dolum, & culpam recipit. Sed hæc ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus minus in singulis contractibus. Non hoc servabitur, quod initio convenit. Legem enim contractus dedit excepto eo, quod Celsus putat non valere, si convenerit, ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est, & ita utimur. Animalium vero casus, mortes, quæque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, a nullo præstantur.

25. *Paulus libro quinto ad Sabinum.*

Quatenus cujus intersit, in facto, non in jure consistit.

26. *Pomponius libro undecimo ad Sabinum.*

Plus cautionis in re est, quam in persona.

27. *Ulpianus libro trigesimo ad Sabinum.*

Qui potest invitis alienare, multo magis & ignorantibus, & absentibus potest.

28. *Pomponius libro sexto-decimo ad Sabinum.*

Nec ex prætorio, nec ex solemni, seu Civili jure, privatorum conventione quidquam immutandum est, quamvis obligationum causæ pactione possunt immutari, & ipso jure, & per pacti conventi exceptionem. Quia actionum modus vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur, nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit.

29. *Ulpianus libro trigesimo sexto ad Sabinum.*

Divus Pius rescripsit, eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt, condemnandos.

30. *Paulus libro octavo ad Sabinum.*

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

31. *Ul-*

31. *Ulpianus libro trigesimo-sexto ad Sabinum.*
Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

32. *Idem libro trigesimo-secundo ad Sabinum.*
Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere. Quod enim impossibile est, neque pacto neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit.

33. *Idem libro quadragesimo-tertio ad Sabinum.*
Quod attinet ad jus Civile, servi pro nullius habentur: non tamen & jure naturali; quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.

34. *Pomponius libro vigesimo-secundo ad Sabinum.*
In eo, quod vel is, qui petit, vel is, a quo petitur, lucrifacturus est, durior causa est petitoris.

35. *Ulpianus libro quadragesimo-quinto ad Sabinum.*
Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus, id sequimur, quod actum est. Aut, si non pateat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

36. *Idem libro quadragesimo-octavo ad Sabinum.*
Nihil tamen naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. Ideo verborum obligatio, verbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur.

37. *Pomponius libro vicesimo-septimo ad Sabinum.*
Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti.

38. *Ulpianus libro quinquagesimo-primo ad Sabinum.*
Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest.

39. *Pomponius libro vicesimo-nono ad Sabinum.*
Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debeat; ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum non pervenisset.

40. *Idem libro trigesimo-secundo ad Sabinum.*
In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora sit, quominus fiat.

41. *Idem libro trigesimo-quarto ad Sabinum.*
Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

42. *Ulpianus libro vigesimo-sexto ad Edictum.*
Non debet actori licere, quod reo non permittitur. In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro.

43. *Cajus libro nono ad Edictum Provinciale.*
Qui in alterius locum succedunt, justam habent cau-

ſam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. 1. Fidejuſſores quoque non minus, quam hæredes, juſtam ignorantiam poſſunt allegare. 2. Hæc ita de hærede dicta ſunt, ſi cum eo agitur, non etiam ſi agat, nam plane, qui agit, certus eſſe debet: cum ſit in poteſtate ejus, quando velit experiri; & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

44. *Ulpianus libro vigeſimo-octavo ad Edictum.*
Nemo ex his, qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi lex impedit. Quoties concurrunt plures actiones, ejuſdem rei nomine, unam quis experiri debet.

45. *Idem libro vigeſimo-nono ad Edictum.*
Toties in hæredem actionem damus de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur, non quoties ex ſuo.

46. *Idem libro trigeſimo ad Edictum.*
Neque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt. Privatorum conventio, juri publico non derogat.

47. *Cajus libro decimo ad Edictum Provinciale.*
Quod a quoquam pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.

48. *Ulpianus libro trigeſimo ad Edictum.*
Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt. Cæterum ſi dolus, & calliditas interceſſit, de dolo actio competit. 1. Socii mei ſocius, ſocius meus non eſt.

49. *Paulus libro trigeſimo-quinto ad Edictum.*
Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit judicium animi fuiſſe; ideoque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur.

50. *Ulpianus libro trigeſimo-quinto ad Edictum.*
Alterius circumventio alii non præbet actionem.

51. *Paulus libro trigeſimo-nono ad Edictum.*
Culpa caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.

52. *Cajus libro quinto-decimo ad Edictum Provinciale.*
Non videtur quiſnam id capere, quod ei neceſſe eſt alii reſtituere.

53. *Ulpianus libro quadrageſimo-quarto ad Edictum.*
Non defendere videtur non tantum, qui latet, ſed & is, qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem.

54. *Paulus libro quadrageſimo-ſecundo ad Edictum.*
Cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt.

55. *Ulpianus libro quadragesimo-sexto ad Edictum.*

Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet.

56. *Cajus libro secundo de testamentis ad Edictum urbicum.*

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

57. *Idem libro tertio de legatis ad Edictum urbicum.*

Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.

58. *Idem libro octavo-decimo ad Edictum Provinciale.*

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

59. *Ulpianus libro secundo Disputationum.*

Ex pœnalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari.

60. *Idem libro tertio Disputationum.*

Hæredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat.

61. *Idem libro decimo Disputationum.*

Semper qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. Sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione.

62. *Idem libro tertio Opinionum.*

Domum suam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quod jus non habet.

63. *Julianus libro sexto Digestorum.*

Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit.

64. *Idem libro septimo-decimo Digestorum.*

Qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

65. *Idem libro vigesimo-nono Digestorum.*

Ea quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur.

66. *Idem libro quinquagesimo-quarto Digestorum.*

Ea est natura cavillationis, quam Græci σωρείτην, (id est, acervalem syllogismum) vocant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur.

67. *Idem libro sexagesimo Digestorum.*

Marcellus ait: definit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

68. *Idem libro octogesimo-septimo Digestorum.*

Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est.

69. *Paulus libro singulari de dotis repetitione.*

In omnibus causis id observatur, & ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat. Ubi vero genus actionis id desiderat, ibi, ad quemvis persecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.

70. *Idem libro singulari de assignatione libertorum.*

Invito beneficium non datur.

71. *Ulpianus libro primo de officio Proconsulis.*

Nemo potest gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercitionis, ad alium transferre.

72. *Idem libro secundo de officio Proconsulis.*

Omnia (quæcumque) causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

73. *Javolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis.*

Fructus rei est, vel pignori dare licere.

74. *Quintus Mucius Scævola libro singulari.*

Quo tutela redit, eò hæreditas pervenit, nisi cum fœminæ hæredes intercedunt. 1. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset. 2. Vi factum id videtur esse, qua de re quis cum prohibetur, fecit, clam quod quisque cum controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit. 3. Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent. 4. Nec pacisendo, nec legem dicendo, nec stipulando, quisquam alteri cavere potest.

75. *Papinianus libro primo Quæstionum.*

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

76. *Idem libro tertio Quæstionum.*

Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

77. *Idem libro vigesimo quarto Quæstionum.*

In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera, & certa scientia perfici possunt.

78. *Idem libro vigesimo octavo Quæstionum.*

Actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem: velut mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris: in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. Nonnumquam tamen actus suprascripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehensa vitium adferunt: nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid, acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit; quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

79. *Idem libro trigesimo-primo Quæstionum.*

Generaliter, cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est.

80. *Idem libro trigesimo-secundo Quæstionum.*

Fraudis interpretatio semper in jure Civili, non ex eventu dumtaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

81. *Idem*

81. *Idem libro trigeſimo tertio Quæſtionum.*

In toto jure generi per ſpeciem derogatur: & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.

82. *Idem libro tertio Reſponſorum.*

Quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inferuntur, jus commune non lædunt.

83. *Idem libro nono Reſponſorum.*

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.

84. *Idem libro ſecundo Definitionum.*

Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

85. *Paulus libro tertio Quæſtionum.*

Cum amplius ſolutum eſt, quam debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti poſſit; totum eſſe indebitum intelligitur manente priſtina obligatione. 1. Is natura dabit, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.

86. *Idem libro ſexto Quæſtionum.*

In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt. 1. Non eſt novum, ut, quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent; licet ille caſus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. 2. Quoties æquitatem deſiderii, naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, juſtis decretis res temperanda eſt.

87. *Idem libro ſeptimo Quæſtionum.*

Non ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quam ſi non; ſed plerumque melior.

88. *Idem libro tertio-decimo Quæſtionum.*

Nemo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Denique poſt litem conteſtatam hæredi quoque proſpicitur, & hæres tenetur ex omnibus cauſis.

89. *Scævola in libro quinto Quæſtionum.*

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt.

90. *Paulus libro decimo Quæſtionum.*

Quamdiu poſſit valere teſtamentum, tamdiu legitimus hæres non admittitur.

91. *Idem libro quinto-decimo Quæſtionum.*

In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas ſpectanda eſt.

92. *Idem libro ſeptimo-decimo Quæſtionum.*

Quoties duplici jure defertur alicui ſucceſſio: repudiato novo jure, quod ante defertur, ſupererit vetus.

93. *Scævola libro quinto Reſponſorum.*

Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, nihil nocere, quominus & reus & fidejuſſor teneatur.

94. *Martianus libro primo Fideicommiſſorum.*

Filius familias neque retinere, neque recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur.

95. *Ul-*

95. *Ulpianus libro secundo Fideicommissorum.*
Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas.

96. *Idem libro sexto Fideicommissorum.*
Nemo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur.

97. *Martianus libro duodecimo Fideicommissorum.*
In ambiguis orationibus, maxime sententia spectanda est ejus, qui eas protulisset.

98. *Hermonianus libro tertio Juris Epitomarum.*
Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perveniunt.

99. *Idem libro quarto Juris Epitomarum.*
Quoties in utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit.

100 *Venulejus libro duodecimo Stipulationum.*
Non potest improbus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat.

101. *Cajus libro primo Regularum.*
Omnia quæ jure contrahuntur contrario jure pereunt.

102. *Paulus libro singulari de Cognitionibus.*
Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: ita enim & Imperator Antoninus cum divo patre suo rescripsit.

103. *Ulpianus libro primo ad Edictum.*
Qui vetante Prætore fecit, hic adversus Edictum fecisse proprie dicitur. 1. Ejus est actionem denegare, qui possit & dare.

104. *Paulus libro primo ad Edictum.*
Nemo de domo sua extrahi debet.

105. *Ulpianus libro secundo ad Edictum.*
Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, præponenda est causa existimationis. Ubi autem æquiparantur famosa judicia, etsi summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt.

106. *Paulus libro primo ad Edictum.*
Ubicumque causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur.

107. *Idem libro secundo ad Edictum.*
Libertas inæstimabilis res est.

108. *Cajus libro primo ad Edictum Provinciale.*
Cum servo nulla actio est.

109. *Paulus libro quarto ad Edictum.*
Fere in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati & imprudentiæ succurritur.

110. *Idem libro quinto ad Edictum.*
Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.

111. *Idem libro sexto ad Edictum.*
In eo quod plus sit, semper inest & minus. 1. Nemo

mo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi sit cum satisfactione. 2. Pupillus pati posse non intelligitur. 3. Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. 4. Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur.

112. *Cajus libro secundo ad Edictum Provinciale.*

Pupillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse & furandi, & injuriæ faciendæ. 1. In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio, veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

113. *Paulus libro octavo ad Edictum.*

Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

114. *Cajus libro tertio ad Edictum Provinciale.*

In toto & pars continetur.

115. *Paulus libro nono ad Edictum.*

In obscuris inspici solere, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

116. *Idem libro decimo ad Edictum.*

Si quis obligatione liberatus sit, potest videri accepisse. 1. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoveri.

117. *Ulpianus libro undecimo ad Edictum.*

Nihil consensui tam contrarium est, (qui & bonæ fidei judicia sustinet) quam vis, atque metus. 1. Non capitur, qui jus publicum sequitur. 2. Non videntur, qui errant, consentire.

118. *Paulus libro undecimo ad Edictum.*

Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet.

119. *Ulpianus libro duodecimo ad Edictum.*

Qui in servitute est, usucapere non potest. Nam cum possideatur, possidere non videtur.

120. *Idem libro tertiodecimo ad Edictum.*

Non alienat, qui dumtaxat omittit possessionem.

121. *Paulus libro duodecimo ad Edictum.*

Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuit.

122. *Idem libro tertiodecimo ad Edictum.*

Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

123. *Cajus libro quinto ad Edictum Provinciale.*

Libertas omnibus rebus favorabilior est.

124. *Ulpianus libro decimo-quarto ad Edictum.*

Nemo alieno nomine lege agere potest. 1. Temporaria permutatio jus Provinciæ non innovat.

125. *Paulus libro decimo-sexto ad Edictum.*

Ubi non voce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem respondere potest. 1. Furiosus absentis loco est. Et ita Pomponius libro primo Epistolarum scribit.

126. *Cajus libro quinto ad Edictum Provinciale.*

Favorabiliores rei potius quam actores habentur.

127. *Ulpianus libro decimo-quinto ad Edictum.*

Nemo prædo eſt, qui pretium numeravit. 1. Locupletior non eſt factus, qui libertum adquiſierit. 2. Cum de lucro duorum quæritur, melior eſt cauſa poſſidentis.

128. *Paulus libro vigeſimo ad Edictum.*

Cum Prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit; ſufficit, ſi vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

129. *Idem libro decimo-nono ad Edictum.*

In pari cauſa, poſſeſſor potior haberi debet. 1. Hi qui in univerſum jus ſuccedunt, hæredis loco habentur.

130. *Idem libro vigeſimo-primo ad Edictum.*

Nihil dolo creditor facit, qui ſuum recipit. Cum principalis cauſa non conſiſtit, nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.

131. *Ulpianus libro decimo octavo ad Edictum.*

Numquam actiones præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam ſumit.

132. *Paulus libro vigeſimo ſecundo ad Edictum.*

Qui dolo deſierit poſſidere, quo poſſidente damnatur, quia pro poſſeſſione (alias poſſeſſore) dolus eſt.

133. *Cajus libro ſeptimo ad Edictum.*

Imperitia culpæ adnumeretur.

134. *Idem libro octavo ad Edictum Provinciale.*

Melior conditio noſtra per ſervos fieri poteſt: deterior fieri non poteſt.

135. *Ulpianus libro vigeſimo-primo ad Edictum.*

Non fraudantur creditores, cum quid non adquiritur a debitore, ſed cum quid de bonis diminuitur. 1. Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt.

136. *Idem libro vigeſimo-tertio ad Edictum.*

Ea, quæ dari impoſſibilia ſunt, vel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adjectis habentur.

137. *Paulus libro octavo ad Edictum.*

Bona fides tantumdem poſſidenti præſtat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt.

138. *Ulpianus libro vigeſimo-quinto ad Edictum.*

Qui auctore judice comparavit, bonæ fidei poſſeſſor eſt.

139. *Paulus libro vigeſimo-ſeptimo ad Edictum.*

Omnis hæreditas, quamvis poſt, adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. 1. Numquam creſcit ex poſt facto præteriti delicti æſtimatio.

140. *Cajus libro ad Edictum Prætoris Urbani.*

Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, ſemel incluſæ judicio, ſalvæ permanent. 1. Non videtur perfecte cujuſque id eſſe, quod ex cauſa auferri poteſt.

141. *Ulpianus libro ſexto ad Edictum.*

Abſentia ejus, qui Reipublicæ cauſa abeſt, neque ei, neque alii damnoſa eſſe debet.

142. *Paulus libro quadragesimo-quarto ad Edictum.*

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia. 1. Uni duo pro solido hæredes esse non possunt.

143. *Idem libro 56. ad Edictum.*

Qui tacet, non utique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare.

144. *Ulpianus libro 42. ad Edictum.*

Quod ipsis qui contraxerunt, obstat, & successoribus eorum obstabit.

145. *Paulus libro 62. ad Edictum.*

Non omne quod licet, honestum est. 1. In stipulationibus id tempus spectatur quo contrahimus.

146. *Ulpianus libro 66. ad Edictum.*

Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

147. *Paulus libro 62. ad Edictum.*

Quod quis dum servus est, egit, proficere libero facto non potest.

148. *Cajus libro 43. ad Edictum Provinciale.*

Semper specialia generalibus insunt.

149. *Paulus libro 56. brevius Edicti.*

Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent.

150. *Ulpianus libro 67. ad Edictum.*

Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.

151. *Idem libro 68. ad Edictum.*

Parem esse conditionem oportet ejus qui quid possideat, vel habeat, atque ejus cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.

152. *Paulus libro 64. ad Edictum.*

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

153. *Ulpianus libro 69. ad Edictum.*

Hoc jure utimur, ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut in vis privatæ crimen incidat. 1. Dejicit & qui mandat. 2. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. 3. In Contractibus, quibus doli præstatio, vel bona fides inest, hæres in solidum tenetur.

154. *Paulus libro 65. ad Edictum.*

Fere quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla possessio adquiri nisi animo, & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est.

155. *Ulpianus libro 70. ad Edictum.*

Cum par delictum est duorum; semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa: sicuti fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replica-

plicatio petitori (aut si rei quoque in ea re dolo actum sit.) 1. Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

156. *Paulus libro 65. ad Edictum.*

Pactum cuique suum, non adversario, nocere debet. 1. Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, & ordinaria actione experitur. 2. In pęnalibus causis benignius interpretandum est.

157. *Ulpianus libro 70. ad Edictum.*

Invitus nemo rem cogitur defendere. 1. Cui damus actiones, eidem & exceptiones competere multo magis quis dixerit. 2. Cum quis in alicujus locum successerit, non est æquum ei nocere hoc, quod adversus eum non nocuit, in cujus locum successit. 3. Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit actoris. 4. Quod cuique pro eo præstatur, invito non tribuitur.

158. *Idem libro 71. ad Edictum.*

Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, in his ignoscitur servis, si vel dominis, vel iis qui vice dominorum sunt, veluti tutoribus & curatoribus obtemperaverint. 1. Semper, qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet. 2. In contractibus successores ex dolo eorum quibus successerunt, non tantum in id quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur; hoc est unusquisque pro ea parte, qua hæres est.

159. *Cajus libro 26. ad Edictum Provinciale.*

Creditor qui permittit rem venire, pignus amittit.

160. *Paulus libro 70. ad Edictum.*

Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest; ita ex pluribus causis idem potest & nostrum esse.

161. *Ulpianus libro 76. ad Edictum.*

Aliud est vendere, aliud vendenti consentire. 1. Refertur ad Universos, quod publice fit per majorem partem. 2. Absurdum est, plus juris habere (eum) cui legatus sit fundus, quam hæredem, aut ipsum testatorem, si viveret.

162. *Idem libro 77. ad Edictum.*

In jure Civili receptum est, quoties per eum, cujus interest conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, & legata, & hæredum institutiones producitur. Quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret.

163. *Paulus libro 70. ad Edictum.*

Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

164. *Ulpianus libro 55. ad Edictum.*

Cui jus est donandi, eidem & vendendi, & conducendi jus est.

165. *Paulus libro 51. ad Edictum.*

Pænalia judicia semel accepta in hæredes transmitti possunt.

166. *Ulpianus libro 53. ad Edictum.*

Cum quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare nec conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserint, ratam ejus voluntatem habendam.

167. *Paulus libro 48. ad Edictum.*

Qui rem alienam defendit, numquam locuples habetur.

168. *Idem libro 49. ad Edictum.*

Non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt. Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet.

169. *Idem libro primo ad Plautium.*

Rapienda, seu capienda occasio est, quæ præbet benignum responsum. 1. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem.

170. *Idem libro secundo ad Plautium.*

Is damnum dat, qui jubet dare: ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit. 1. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

171. *Idem libro tertio ad Plautium.*

Factum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est.

172. *Idem libro quarto ad Plautium.*

Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio, quod præstiterit.

173. *Idem libro quinto ad Plautium.*

In contrahenda venditione, ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. 1. Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit.

174. *Idem libro sexto ad Plautium.*

In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur: non totum, quod habent, extorquendum est; sed & ipsarum ratio habenda est ne egeant. 1. Cum verbum (restituat) in lege venitur, & si non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. 2. Unicuique sua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi observatur. 3. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

175. *Idem libro octavo ad Plautium.*

Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. 1. Quod quis si velit habere, non potest, id repudiare non potest.

176. *Idem libro undecimo ad Plautium.*

In his omnibus officiis, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.

177. *Idem libro decimo-tertio ad Plautium.*

Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publi-

publice poſſit fieri; ne occaſioni ſit majoris tumultus faciendi. 1. infinita æſtimatio eſt libertatis, & neceſſitudinis.

178. *Idem libro decimo-quarto ad Plautium.*

Qui in jus dominiumve alterius ſuccedit, jure ejus uti debet. 1. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat cauſam, cur non debeat petere.

179. *Idem in libro decimo-quinto ad Plautium.*

Cum principalis cauſa non conſiſtit, plerumque ne ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.

180. *Idem libro decimo-ſexto ad Plautium.*

In obſcura voluntate manumittentis, favendum eſt libertati.

181. *Idem libro decimo-ſeptimo ad Plautium.*

Quod juſſu alterius ſolvitur, pro eo eſt quaſi ipſi ſolutum eſſet.

182. *Idem libro primo ad Vitellium.*

Si nemo ſubiit hæreditatem, omnis vis Teſtamenti ſolvitur.

183. *Idem libro tertio ad Vitellium.*

Quod nullius eſſe poteſt, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

184. *Marcellus libro tertio Digeſtorum.*

Etſi nihil facile mutandum eſt ex ſolemnibus, tamen ubi æquitas evidens poſcit, ſubveniendum eſt.

185. *Celſus libro ſeptimo Digeſtorum.*

Vani timoris juſta excuſatio non eſt.

186. *Idem libro octavo Digeſtorum.*

Impoſſibilium nulla obligatio eſt.

187. *Idem libro undecimo Digeſtorum.*

Nihil peti poteſt ante id tempus, quo per rerum naturam perſolvi poſſit: & cum ſolvendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito peti non poteſt.

188. *Idem libro decimo-ſexto Digeſtorum.*

Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis deceſſiſſe.

189. *Idem libro ſeptimo Digeſtorum.*

Ubi pugnantia inter ſe in Teſtamento juberentur, neutrum ratum eſt. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt.

190. *Idem libro decimo-tertio Digeſtorum.*

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, niſi appoſita tutioris auctoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas neceſſaria eſt.

191. *Idem libro 24. Digeſtorum.*

Quod evincitur, in bonis non eſt.

192. *Idem libro 33. Digeſtorum.*

Neratius conſultus, an quod Beneficium dare ſe quaſi viventi Cæſar reſcripſerat, jam defuncto dediſſe exiſtimaretur: reſpondit, non videri ſibi, principem (Beneficium) quod ei, quem vivere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe: quem tamen modum eſſe Beneficii ſui vellet ipſius æſtimationem eſſe.

193.

193. *Marcellus libro 29. Digestorum.*

Ea quæ in partes dividi non possunt, solida a singulis hæredibus debemus. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius.

194. *Celsus libro 38. Digestorum.*

Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis hæredes extitissent.

195. *Modestus libro sexto Differentiarum.*

Qui per successionem quamvis longissimam defuncto hæredes constiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quam qui principaliter hæredes existunt.

196. *Idem libro septimo Differentiarum.*

Expressa nocent, non expressa non nocent.

197. *Idem libro octavo Regularum.*

Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ. Et ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ vero personæ sunt, ad hæredem non transeunt.

198. *Idem libro singulari de Ritu nuptiarum.*

Semper in conjunctionibus, non solum quid liceat, considerandum est: sed & quid honestum sit.

199. *Javolenus libro decimotertio ex Cassio.*

Neque in interdicto, neque in cæteris causis, pupillo nocere oportet dolum tutoris, sive solvendo est, sive non est.

200. *Idem libro sexto Epistolarum.*

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.

201. *Idem libro septimo Epistolarum.*

Quoties nihil sine captione investigari potest: eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

202. *Idem libro decimo Epistolarum.*

Omnis definitio in jure Civili periculosa est; parum est enim, ut non subverti possit.

203. *Pomponius libro vigesimo-octavo ad Quintum Mucium.*

Minus est actionem habere, quam rem.

204. *Idem libro 39. ad Quintum Mucium.*

Plerumque fit, ut ea, quæ a nobis abire possunt, perinde in eo statu sint, atque non si essent ejus conditionis, ut abire possint. Et ideo quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem in prædio imponere possumus.

205. *Idem libro non ex variis Lectionibus.*

Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.

206. *Ulpianus libro primo ad Legem Juliam & Papiam.*

Res judicata pro veritate accipitur.

207. *Paulus libro 3. ad Legem Juliam, & Papiam.*

Non potest videri desiisse habere, qui numquam habuit.

208. *Ulpianus libro 4. ad Legem Juliam & Papiam.*
Servitutem mortalitati fere comparamus.

209. *Licinius Rufinus lib. 2. Regularum.*
Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.

210. *Paulus libro 59. ad Edictum.*
Servus reipublicæ causa abesse non potest.

Sequuntur præterea Tituli duo de Regulis Juris, ex corpore Juris Canonici sive Pontificii desumpti. Quorum prior est Titulus XLI. lib. V. Decretalium Gregorii noni summi Pontificis. Alter vero titulus est ultimus libri 6. earumdem Decretalium, seu Bonifacii octavi etiam summi Pontificis.

TITULUS XLI. LIBRI V.

Decretalium Gregorii noni summi Pontificis.

DE REGULIS JURIS

Canonici, Caput seu Regula 1.

OMnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

2. *Estote Misericordes &c.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est (apud Luc. c. 6.) *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri; ut stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia, de quibus nobis permittitur judicare.

3. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

4. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.

5. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

6. In ipso causæ initio non est a quæstionibus inchoandum.

7. Quidquid in sacris Deo rebus & Episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, & a quoquam violari non debent.

8. Qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debeat, facit; & ideo jam non facit.

9. Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.

10. Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit.

11. Indignum est, & a Romanæ Ecclesiæ alienum consuetudine, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

TITULUS ULTIMUS libri ſexti Decretalium Bonifacii octavi ſummi Pontificis.

DE REGULIS JURIS
Cap. ſeu Reg. 1.

BEneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri.

2. Poſſeſſor malæ fidei, ullo tempore non præſcribit.

3. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

4. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.

5. Peccati venia non datur, niſi correcto.

6. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

7. Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

8. Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.

9. Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

10. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.

11. Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori.

12. In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.

13. Ignorantia facti, non juris, excuſat.

14. Cum quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.

15. Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

16. Decet, conceſſum a principe beneficium eſſe manſurum.

17. Indultum a jure beneficium non eſt alicui auferendum.

18. Non firmatus tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.

19. Non eſt ſine cauſa, qui rei, quæ ad eum pertinet, ſe immiſcet.

20. Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.

21. Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

22. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

23. Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.

24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe.

25. Mora ſua cuilibet eſt nociva.

26. Ea quæ fiunt a judice, ſi ad ejus non ſpectent officium, viribus non ſubſiſtunt.

27. Scienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus.

28. Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

29. Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.

30. In obſcuris minimum eſt ſequendum.

31. Eum qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.

32. Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.

33. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

34. Generi per ſpeciem derogatur.

35. Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.

36. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.

37. Utile non debet per inutile vitiari.

38. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.

39. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.

40. Pluralis locutio, duorum numero eſt contenta.

41. Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

42. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

43. Qui tacet, conſentire videtur.

44. Is qui tacet, non fatetur: ſed nec utique negare videtur.

45. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.

46. Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

47. Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.

48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.

49. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

50. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

51. Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.

52. Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.

53. Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.

54. Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.

55. Qui ſentit onus, ſentire debet & commodum: & contra.

56. In re communi potior eſt conditio poſſidentis.

57. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda eſt interpretatio.

58. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.

59. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem.

60. Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium torquendum.

62. Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

63. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarii confiteri.

64. Quæ

64. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

65. In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.

66. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

67. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

68. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

69. In aliis promissis fidem non expedit observari.

70. In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

72. Qui facit per alium, proinde est, ac si faciat per se ipsum.

73. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.

76. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

80. In toto partem non est dubium contineri.

81. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

83. Bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur.

84. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

86. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare.

87. Infantibus portæ non pateant dignitatum.

88. Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Datum Romæ apud S. Petrum, Pontificatus nostri anno quarto.

CAMBIORUM

Illicitorum declaratio, & prohibitio.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN eam pro nostro pastorali officio curam diligenter incumbimus, ut Domini nostri ovibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minime differamus.

1. Cum itaque ad aures nostras pervenerit, legitimum cambiorum usum, quem necessitas, publicaque utilitas induxit, sæpe numero ob illiciti quæstus cupiditatem depravari, ut sub illius prætextu usuraria pravitas a nonnullis exerceatur; Nos petitionibus, quæ super his nobis nuper factæ sunt, hac perpetuo valitura decretali, respondendum esse duximus, ut neque dolosis sua fraus suffragetur, neque ignaros perdat inscitia: sic enim Pastoris officium exequimur, dum gregem nobis commissum ab æternæ damnationis periculo eripere modis omnibus studemus.

2. Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca, cambia celebrare simulent; ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerant, inanes referantur: aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes, & recipientes, usque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat; neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, hujusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ, sive depositi, sive alio nomine ficti cambii, traduntur, ut postea eodem loco, vel alibi cum lucro restituantur. Sed & in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos præfertur, campsores præstitutum solutionis terminum, lucro ex tacita, vel expressa conventione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos usuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus. Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat, sive a principio, sive alias, certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis, pacisci; neque realia cambia aliter, quam pro

primis nundinis, ubi illæ celebrantur; ubi vero non celebrantur, pro primis terminis, juxta receptum locorum usum exercere, abusu illo prorsus rejecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis, sive terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores præfiguntur, quam loca destinatæ solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio.

3. Quicumque contra hanc nostram constitutionem commiserit, pœnis a Sacris Canonibus contra usurarios inflictis, se noverit subjacere. Eos vero, qui conspirationes fecerint, vel congestam undique pecuniam ita ad se redegerint, ut quasi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis, quæ a jure contra exercentes monopolia constitutæ sunt, retineri sancimus.

4. Volumus autem, quod præsentes litteræ in Camera Apostolica, & ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ etiam Apostolicæ publicentur, & in ipsa Camera describantur.

5. Et quia difficile foret, eas ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus ejusdem Cameræ, vel alterius Notarii subscriptis, & sigillo dictæ Cameræ, vel Prælati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domini 1571. 5. Kal. Febr. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Anno a Nativitate Domini 1571. Indictione 14. die vero 7. mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pii Divina Providentia PP. V. Anno VI. retroscriptæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Cameræ Apostolicæ, Principis Apostolorum, Basilicæ de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, ut moris est, per nos Bartholomæum Sottocasa, & M. Antonium Brutum, præfati SS. D. N. PP. Curs.

Scipio de Octavianis Mag. Curs.

DAMNATIO

Contractuum Societatis, securitatem capitalis, aut certam responsionem, aut aliter usurariam pravitatem continentium.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEtestabilis avaritiæ ingluvies, & insatiabilis lucrandi cupiditas, malorum omnium radix, usque adeo excæcat mortalium mentes, ut multi avide lucro inhiantes, in laqueos, & insidias diaboli misere incidant: irrepit enim versute, & callide antiquus humani generis hostis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines, quæstus dulcedine captos, ac delinitos opprimit, atque eo perducit, ut se ipsos in usurarum voraginem, Deo, hominibusque odiosam, Sacris Canonibus damnatam, & Christianæ charitati contrariam fœde immergant; & dum vanas, & terrenas divitias quærunt, veras, ac cælestes amittant; sicuti nuper cum magno dolore audivimus, hoc malum in quasdam Provincias pervasisse. Nam multi speciosum, & honestum societatis nomen suis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quasi colore, & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis personis, super eorum mercibus, officinis, tabernis, pannariis, aliisque rebus, ac bonis, pecunias suas, aut alias res societatis nomine conferunt; vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis dant in societatem, sive ad soccitam, ut vocant, ea conditione, ut sors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pecuniarum, quam animalium & rerum, salvum semper, & integrum existat pro eo, qui non industriam, aut operas, sed pecunias, animalia, aut res hujusmodi in societatem confert, utque omne periculum, & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contra æquitatem, & societatis justitiam, diversimode paciscantur; eosdemque socios, cum quibus contrahunt, plerumque pauperes, & egenos, suosque labore, & industria victitantes, ad sortem, seu capitale restituendum, quicumque tandem casus, & rerum eventus consequatur, pacto, & obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem, & summam, veluti tot pro quolibet centenario, in singulos annos, aut menses per alterum socium, durante societate, solvendam præfiniunt, ac præscribunt; eamque summam, & quantitatem non subductis rationibus

bus accepti, & expensi, quod in codices, seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo, vel computo, pro ipsius lucri, vel damni modo variabilem, seu laborem, & curam computandi, & calculandi se invicem remittere, & renunciare asserentes, quovis tempore certam constituunt.

§. 1. Proinde nos, qui hoc potissimum munus, nostræque Pastoralis solicitudinis maxime proprium arbitramur, ut gregem Dominicum Fidei nostræ creditum, ab offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum, in viam salutis, cælesti gratia adjutrice, dirigere nitamur, hujusmodi morbi contagionem, tamquam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum Deo favente possumus, tollere cupientes, de attributæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durante societate, respondeatur. Statuimusque, hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones, usurarios, & illicitos posthac censeri debere; atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter se pacisci, & concordare; neque etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum, quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus, & prohibemus.

§. 2. Sed potius cuncti noverint, societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam confert, pure, sincere, & bona fide sicut decet, justis, & æquis conditionibus, & pactis, secundum juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione, ineundas, seu contrahendas esse: ita ut non ad certam summam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine persolvendam; neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socios accipiens teneatur. Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit. Ac præterea iidem

contrahentes, fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant.

§. 3. Decernentes, si qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra nostram hujusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex his, tamquam per hanc eamdem constitutionem nostram damnatis, & reprobatis, etiam si juramento, aut in forma Cameræ Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem, realem, aut personalem, aut judicis officium, neque aliud quodcumque jus cuiquam competere, neque quoad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses lucri socialis nomine promissas.

§. 4. Si qui vero in posterum sub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temere præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conventionum, & pactionum, societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem dictæ sortis, seu capitalis, sive illius pretii, & valoris, postquam illud in toto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ, vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi promissæ in futurum, procedere ausi fuerint, eos universos, & singulos, in pœnas contra manifestos usurarios, & fœneratores, a Sacris Canonibus, & Conciliis generalibus latas, & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, uti manifestos usurarios, & fœnatores, via juris, aliisque opportunis remediis, procedi posse, & debere.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, & ita quoad præmissa universa, & singula per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes; etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, si secus super his, per quoscumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Mandamus vero universis, & singulis locorum Ordinariis, per quascumque Provincias, & Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusvis nostris, & Sedis Apostolicæ, etiam de Latere Legatis, ac Vice-Legatis, cæterisque officialibus, præsertim Provinciarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici, ut in suis quisque Civitatibus, Diœcesibus, Provinciis, & locis præsentem nostram constitutionem publicari, & inviolate observari curent, & contra personas, quæ in futurum, præter & contra prohibitionem hanc nostram, pacisci, aut exigere ausæ fuerint, tamquam publicos usurarios, & fœneratores, per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur procedant,

cedant, reosque culpabiles repertos, condignis pœnis, ut supra dictum est, afficiant; invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 7. Non obstantibus quarumcumque Civitatum, Provinciarum, & locorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, quorumcumque tenorum existant, sive per modum constitutionis, & legis perpetuæ quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis: quæ omnia nolumus cuiquam de cætero suffragari.

§. 8. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus, ut illæ in valvis Basilicarum Principis Apostolorum de Urbe, & S. Joannis Lateranensis, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, per aliquem ex nostris Cursoribus de more publicentur, dimissis, & affixis earum exemplis in acie, & valvis prædictis.

§. 9. Earumque transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud, ubique gentium & locorum habeatur, quæ eisdem originalibus haberentur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo-sexto, 12. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, Indictione 14. die vero 25. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Sixti Divina Providentia Papæ V. anno ejus secundo, retroscriptæ litteræ Apostolicæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquid temporis spatium dimissæ in porticis, seu valvis Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, & sancti Petri Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ, per nos Claudium Mongeat, & Nicolaum Taglierrum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Alex. Parabiac. Mag. Cursor.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Conſtitutio moderatoria donationum & diſtributionis redituum Eccleſiaſticorum in conſanguineos, vel affines Romani Pontificis, ſeu eorum loco adlectos, ac præſcribens cautelas ſervandas circa ſignaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per conceſſum fieri dicuntur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem, tamquam fidelem ſervum, & prudentem quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, in Eccleſiæ Catholicæ conſpectu actum ſuum ita ordinare, ut ipſe quidem in diebus ſuis placeat Deo, & inveniatur juſtus, fiatque forma gregis ex animo, & bonus ſit Chriſti odor in omni loco; cæteri vero Antiſtites, & Eccleſiarum Prælati, in partem ſolitudinis, cujus ei commiſſa eſt plenitudo, vocati, aliique Chriſti fideles, quos curæ ſuæ divinitus creditos, in viſceribus paternæ gerit charitatis, ejus exemplo, atque præceptis, caduca mundi hujus deſpicere, carniſque & ſanguinis laqueos effugere, ac de bonis & rebus Eccleſiaſticis, juxta æquitatis & juſtitiæ leges diſponere, & ſpiritualium remigio alarum ad cæleſtia contendere atque evolare, auxiliante Domino condiſcant.

Hinc ad ea Sacrorum Canonum inſtituta, quæ Epiſcopis, ne bonis & reditibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos augere ſtudeant, interdicunt, conſiderationis noſtræ aciem convertentes, eam Nobis in ſuprema Beati Petri Apoſtolorum Principis, qui caro & ſanguis non revelavit, Sede conſtitutis, ab ipſo Pontificatus noſtri primordia ſervandam propoſuimus, & hactenus, Deo adjuvante, ſervare ſtuduimus diſciplinam, ut in bonorum & redituum ad hanc Sanctam Sedem & Cameram noſtram Apoſtolicam ſpectantium diſtributione, juſtitiæ atque prudentiæ leges & regulas accurate cuſtodientes, ſummam meritorum, nullam autem carnis & ſanguinis, aut cujuſcumque humani affectus rationem haberemus. Et licet in Dei miſericordia ſperemus, tales Nobis ſucceſſuros Romanos Pontifices, qui non minus hac in parte, quam in reliquis, munus ſuum impleant, & Eccleſiam univerſam ſpiritualium aromatum odore perfundant, nihilominus ea, quæ Nobis licere non patimur, aliis indicare, ſalubremque in Sancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum Matre & Magiſtra, circa præmiſſa normam & legem conſtituere, atque ſtabilire decrevimus.

Ha-

Habita igitur super his cum Venerabilibus Fratribus nostris, ejusdem S. R. E. Cardinalibus, deliberatione matura, ac de illorum consilio pariter & assensu: ad Omnipotentis Dei gloriam, Apostolicæ Sedis honorem, ac Antistitum, Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum ædificationem, & bonorum exemplum: hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus atque decernimus, salutarem hanc de cætero in dicta S. R. E. servari rationem, atque disciplinam, ut nec a Nobis, nec ab ullo Romanorum Pontificum Successorum nostrorum, ad favorem nostrorum, sive suorum respective Fratrum, Nepotum, aliorumque quorumcumque consanguineorum, seu affinium, sive illorum, quos in locum Nepotum, aliorumque consanguineorum, per cooperationem in familiam, aut aliter adlegi, seu adsciscì contigerit, de bonis, pecuniis, locis Montium vacabilium, & non vacabilium, officiis venalibus, illorumque pretio, creditis, reditibus, rebus, & juribus quibuscumque ad Sedem & Cameram præfatas quovis modo spectantibus, vel quandocumque spectaturis, etiam ex emolumentis Datariæ, Cancellariæ Apostolicæ, Secretariæ Brevium, Spoliorum Ecclesiasticorum, & quarumcumque Palatii Apostolici portionum, seu distributionum provenientibus liberalitatis & donationis, aliove quovis gratuito, seu lucrativo titulo, directe, vel indirecte, etiam servitiorum & meritorum, quæ tamen talia non sint, ut ex lege justitiæ eam exigant remunerationem, aliove quolibet colore, seu prætextu, sive etiam supra veram ipsorum servitiorum rationem, ullo modo in posterum disponatur.

Quod si Fratres, Nepotes, consanguinei, vel affines, seu illorum loco adlecti, sive adsciti præfati, inopia laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore existens, pro timorata sua conscientia, illorum paupertatem eodem omnino modo sublevare, quo pauperum extraneorum inopiæ subvenire fas est.

Ne autem quod directe prohibetur, indirecte permittatur, magnorum stipendiorum, seu honorariorum, nonnullis Sedis prædictæ officiis, seu muneribus, quæ consanguineis, vel affinibus, seu adlectis, vel adscitis præfatis, concedi ut plurimum consueverunt, assignatorum ratione stipendia, provisiones, sive salaria & honoraria, & alias quomodolibet nuncupari solita emolumenta quæcumque, quæ antehac per Cameram prædictam in civitate Avenionensi & Comitatu Venaisino, Nostris in spiritualibus & temporalibus Vicario, generali, ac in illis, & vicinis quinque Provinciis ejusdem Sedis de latere legato præstari & solvi plerumque solita & consueta fuerunt; Superintendentis vero generalis negotiorum Sedis Apostolicæ, necnon totius militiæ tam equestris quam pedestris status nostri Ecclesiastici Gubernatoris, & Capitanei generalis, itidemque Classis & Triremium Pontificiarum Præfecti, illiusque & illarum Commissarii, &

Locum tenentis generalis, arciumque & turrium ad littora Maris tam Adriatici quam Tyrrheni existentium Superintendentis generalis; Præfecti quoque generalis utriusque custodiæ Corporis Romani Pontificis, ejusque Locumtenentis generalis; item Castellani Arcis Sancti Angeli in Urbe; Gubernatoris, ut alias deputabatur, Civitatis Beneventanæ; cujus tamen gubernium, ad instar aliorum prædicti nostri Status, prout in præsentiarum servatur, remaneat: & Arcis Beneventanæ Præfecti: item Gubernatoris Oppidi nostri Civitatis Vetulæ, ac demum Perusinæ, Anconitanæ, & novæ Tusculanæ respective Arcium Præfecti seu Castellani, officia & munera ipsa, cum omnibus & singulis illorum, & cujuslibet illorum juribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscumque, perpetuo supprimimus & abolemus, illaque deinceps quomodocumque & quandocumque renovari prohibemus, nec cuiquam de cætero assignari & præstari, seu concedi & conferri respective volumus, atque decernimus. Quod si pro rerum qualitate, temporumque contingentia, manifesta urgensque necessitas munera seu officia militaria hujusmodi, vel aliquam ex eis de novo institui exegerit: viros ad illa assumi volumus & mandamus strenuos & fideles, eximia virtute præstantes, reique militaris apprime peritos, & in illa diuturno ac probato usu exercitatos, quibus Romanus Pontifex pro tempore existens, secundum datam sibi a Domino sapientiam, pro ratione laboris, industriæ, atque periculi, competentia & congruentia stipendia assignabit.

Porro si Nostri, Successorumque nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium Fratres, Nepotes, & alii quicumque consanguinei, seu affines, sive veri, sive, ut præfertur, adlecti, & adsciti, vitam Ecclesiasticam elegerint, ac Ecclesiarum & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum, ac annuarum pensionum super eorum fructibus consecutionis capaces fuerint: eam in redituum & proventuum Ecclesiasticorum distributione eis facienda servari volumus moderationem, ut nonnisi juxta eorum merita, & non ultra, congruam, pro gradus vel dignitatis, quem vel quam in Ecclesia obtinuerint, nullo ad consanguinitatem, affinitatem, seu adlectionem erga Romanum Pontificem habito respectu, sustentationem, ejusmodi reditus & proventus Ecclesiastici eis distribuantur; quo custodita in omnibus Ecclesiasticæ disciplinæ atque justitiæ distributivæ regula, nemini relinquatur conquerendi vel obloquendi occasio: sed Ecclesiastica stipendia ministrantibus in Ecclesia Dei æqua lance pro uniuscujusque merito assignentur.

Quoad illos autem ex Fratribus, Nepotibus, aliisque consanguineis, seu affinibus Romanorum Pontificum pro tempore existentium præfatorum, sive veris, sive ut præfertur, adlectis & adscitis, quos eximiis eorum ita exigentibus meritis, ad sublimem Cardinalatus di-

gnitatem assumi contigerit, eam quoque de cætero servari volumus moderationem, ut Ecclesiæ, Monasteria, Commendæ, aliave cujusvis generis beneficia & officia Ecclesiastica, ac pensiones annuæ super illorum fructibus, unicuique eorumdem respective conferenda, commendanda, & concedenda, ac reservandæ & assignandæ, verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetæ Romanæ, computatis insimul beneficiorum, & officiorum quibuscumque fructibus, & pensionum quantitatibus, in totum non excedant. In ea tamen taxatione non comprehendantur emolumenta Officiorum ejusdem Sedis Apostolicæ & Romanæ Curiæ, S. R. E. Cardinalibus demandari seu concedi solitorum, aliorumque numerum, quæ ipsis non ad vitam, vel in perpetuum, sed ad tempus, seu beneplacitum Romani Pontificis pro tempore existentis demandata, seu concessa fuerint. Declarantes, quod deinceps præfati, qui vitam Ecclesiasticam elegerint, seu ad sublimem Cardinalatus dignitatem fuerint assumpti, quoscumque titulos fructuum reservationibus gravatos, sive præventivas vel eventitias pensiones, ultra moderationem ut supra respective præscriptam, nullatenus assequi valeant.

Quod si forsan, quod absit, modus circa præmissa sic congruenter salubriterque præscriptus, in posterum excedatur, curæ erit Romanis Pontificibus successoribus, donationes gratuitas, seu lucrativas dispositiones, excessivas subventiones, munerum & officiorum, seu illorum stipendiorum & emolumentorum concessiones, ac redituum & proventuum Ecclesiasticorum distributiones, necnon collationes, Commendas, concessiones, reservationes, & assignationes, aliaque præmissa contra, vel ultra modum, ut præfertur, præscriptum factas, seu facta rescindere, revocare, & in nihilum redigere; ac, ut præfertur, donata, elargita, concessa, collata, commendata, reservata, & assignata a consanguineis & affinibus, sive veris, sive adlectis & adscitis præfatis, eorumque hæredibus & successoribus respective, etiam manu regia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine vindicare & auferre, ac Cameræ Apostolicæ applicare & incorporare, aliisque respective conferre, commendare, concedere, & assignare, ac alias desuper opportune providere, seu disponere.

Quia vero ægrotante Romano Pontifice nonnumquam contigit, ut signaturæ gratiarum, quæ per concessum fieri dicuntur, modum illum excederent, quem ipse Romanus Pontifex, dum bene valebat, servare consueverat: statuimus, atque decernimus, ut ii, quibus ejusmodi Signaturas per concessum a Romano Pontifice ægrotante, etiam per Chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel alias quomodocumque committi contigerit, cujuscumque status, gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, nullas hujusmodi gratias signare vel expedire

pedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo ejusdem S. R. E. Cardinales, qui una cum Signatore præfato, coram ipsomet Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante, earumdem gratiarum supplicationibus, sive minutis, aut chirographis, aliisque concessionum scripturis subscribant, alioquin quidquid secus actum, signatum, gestumve fuerit, nullum, irritum, & invalidum, nulliusque sit roboris, vel momenti: & qui huic saluberrimæ sanctioni contravenerit, ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel ejus Successoribus, condignis pœnis puniantur.

Ut autem præmissa omnia & singula perpetuo & inviolabiliter observentur, volumus, & Apostolica authoritate decernimus, ut sicut ejusdem S. R. E. Cardinales in Romana Curia præsentes hanc Constitutionem quantum in eis erit observare, illique non contravenire, nec ullis contrafacientibus, etiam Romanis Pontificibus, consentire, nec absolutionem a juramento præstito petere, nec oblatam aut concessam acceptare promiserunt & jurarunt, idem quoque per absentes ab eadem Curia dicti S. R. E. Cardinales, quandocumque ad eam advenerint, ac per futuros Cardinales in assumptione pilei promitti & jurari debeat: promissioque & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adjungatur & adscribatur.

Occurrente autem quandocumque ejusdem Apostolicæ Sedis vacatione iidem Cardinales in Conclavi, quando de observandis fel. rec. Prædecessorum nostrorum Julii Papæ secundi, super electione Romani Pontificis, Pii Papæ V. ne Civitates & loca S. R. E. infeudentur, & Sixti Papæ V. de pecuniis in Arce Sancti Angeli positis inde non amovendis, aliisque nonnullis Constitutionibus Apostolicis, juramentum præstare solent, etiam de præsenti Constitutione, per quamlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, inviolabiliter observanda, & postmodum ipse ad supremi Apostolatus Officium assumptus, post assumptionem hujusmodi, hoc ipsum promittere & jurare debeat: servatis etiam aliis omnibus & singulis illis, quæ circa juramentum hujusmodi in præfata Sixti Prædecessoris nostri Constitutione, anno Incarnationis Dominicæ 1586 undecimo Kalendas Maji, Pontificatus sui anno primo edita, præscribuntur.

Has quoque nostras litteras in libellum redigi, & post prædictas Julii, Pii, & Sixti, quæ in Conclavi legi solent, aliorumque Prædecessorum nostrorum Constitutiones adjungi, & in quinterno Cancellariæ nostræ Apostolicæ, una cum aliis Constitutionibus Apostolicis, adscribi, & ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, dictæque Cancellariæ, & in acie campi Floræ de Urbe publicari, ipsarumque præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesia-

clesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud, ubique haberi volumus, quæ iisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrarum Constitutionis, suppressionis, abolitionis, taxationis, statutorum, decretorum, voluntatum, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo Kal. Julii, Pontificatus Nostri anno primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, promitto, voveo, & juro.

Domine tu scis, quia amo te.

Ego Alderanus Episcopus Ostiensis, Cardinalis Cibo, promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus, Episcopus Tusculanus, Cardinalis Fransonius, promitto, voveo, & juro.

Ego P. Episcopus Prænestinus, Cardinalis de Alteriis, S. R. E. Camerarius, promitto, voveo & juro.

Ego F. Tit. S. Praxedis, Presbyter Cardinalis Maidalchinus, promitto, voveo, & juro.

Ego Carolus, Tit. S. Laurentii in Lucina, Presb. Card. Barberinus, promitto, voveo, & juro.

Ego Nicolaus, Tit. S. Calixti, Presb. Car. Acciajolus, promitto, voveo, & juro.

Ego Gaspar, Tit. S. Mariæ Transtiberim Presb. Car. Carpineus, promitto, voveo, & juro.

Ego Cæsar, Tit. S. Trinitatis in monte Pincio, Presb. Card. d'Estrex, promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus, Tit. S. Matthæi in Merulana, Presb. Card. Nerlius, promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus, Tit. S. Silvestri in capite, Presb. Card. Casanata, promitto, voveo, & juro.

Ego Galeatius, Tit. SS. Quirici, & Julittæ, Presb Card. Marescottus, promitto, voveo, & juro.

Ego Fabritius, Tit. S. Chrysogoni, Presb. Card. Spada, promitto, voveo, & juro.

Ego P. Thomas Hovardus, Tit. S. Mariæ super Minervam, Pr. Card. de Norfolcia, promitto, voveo, & juro.

Ego Joan. Bapt. Tit. S. Cæciliæ, Presb. Card. Spinula, promitto, voveo, & juro.

Ego F. Laurentius, Basilicæ SS. XII. Apost. Presb. Card. de Laurea, promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus, Tit. S. Mariæ de Ara Cæli, Presb. Card. de Angelis, promitto, voveo, & juro.

Ego M. Antonius Barbadicus, Tit. S. Susannæ, Presb. Card. promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes, Tit. S. Petri in Monte auro, Presb.

Cardinalis de Goessen, promitto, voveo, & juro.

Ego P. M. Tit. S. Marcelli, Presb. Card. Petruccius, promitto, voveo, & juro.

Ego Joseph Saens, Tit. S. Balbinæ, Presb. Card. de Aguirre, promitto, voveo, & juro.

Ego Leander, Tit. SS. Nerei & Achillei, Presb. Card Colloredus, Major Pœnitentiarius, promitto, voveo, & juro.

Ego Fortunatus, Tit. SS. Joannis & Pauli, Presb. Card. Carraffa, promitto, voveo, & juro.

Ego Bandinus, Tit. S. Pancratii, Presb. Card. Panciaticus, promitto, voveo, & juro.

Ego Ferdinandus, Tit. S. Clementis, Presb. Card. de Abdua, promitto, voveo, & juro.

Ego Tussanus, Tit. S. Agnetis extra mœnia, Presb. Card. de Janson Forbin, promitto, voveo, & juro.

Ego Jo. Bapt. Tit. S. Laurentii in pane, & perna, Presb. Card. Rubinus, promitto, voveo, & juro.

Ego Jo. Bapt. Tit. S. Anastasiæ, Presb. Card. Costagutus, promitto, voveo, & juro.

Ego Urbanus, S. Mariæ in via lata, Diac. Card. Sacchettus, promitto, voveo, & juro.

Ego Fulvius, SS. Cosmæ, & Damiani, Diac. Card. Astallius, promitto, voveo, & juro.

Ego Petrus, S. Laurentii in Damaso, Diac. Card. Otthobonus, S. R. E. V. Cancell. promitto, voveo, & juro.

Ego C. S. Mariæ in Cosmedin, Diac. Card. Bichius, promitto, voveo, & juro.

Ego Aloysius, S. Mariæ in Porticu, Diac. Card. Homodeus, promitto, voveo, & juro.

Ego Jo. Franciscus, S. Adriani, Diac. Card. Albanus, promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus, S. Angeli in foro piscium, Diac. Card. Barberinus, promitto, voveo, & juro.

Ego Laurentius, S. Mariæ in Aquiro, Diac. Card. de Alteriis, promitto, voveo, & juro.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia. I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1692. *Indictione* 15. *die vero* 28. *Junii*, *Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri*, *D. Innocentii*, *Divina Providentia Papæ XII. anno primo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Andream Dominicum Simoncellum, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem*.

Agapitus de Magistris, Curs. Mag.

EDIT-

E D I T T O.

Marc' Antonio Barbarigo del Titolo di S. Marco della S. R. C. Prete Cardinale, Vescovo di Montefiascone, e Corneto.

IN ubbidienza a supremi Comandamenti della Santità di Nostro Signore, che con paterno zelo riflettendo all'accerto del vivere ben regolato degli Ecclesiastici, onde procedano nelle loro azioni con esemplarità di vita, e nelle opere confermino quello, che con parole son tenuti ad altri d'insegnare, e nella celebrazione della Santa Messa, Divini Uffizj, Orazioni, ed altre opere di Pietà, si contengano con divozione, decoro, e Maestà, che le Sacre Fonzioni richiedono: si è degnata la Santità Sua, per quanto appartiene alla nostra Giurisdizione Vescovale, di raccomandare a Noi la piena, e pontuale osservanza delle cose suddette, al cui adempimento più sempre eccitandosi il Nostro animo, non meno al senso piissimo del Sommo Pontefice, che ad impulso distinto della Nostra Pastoral sollecitudine;

In vigore del presente nostro Editto ordiniamo, e comandiamo, che gli Ecclesiastici di qualunque grado delle Città, e nostre Diocesi di Montefiascone, e Corneto, osservino da oggi avanti quel tanto appunto, che in altri nostri Editti, e Decreti Sinodali, in ordine alla vita, ed onestà de' medesimi, vien prescritto, affinchè tanto nella decenza dell'abito Talare, e portamento esteriore, nel che da molti si manca notabilmente, quanto nella soavità de' costumi, spirito Ecclesiastico, e buon' odore di esemplarità, possano rendere stimolo, ed efficacemente tirare i Secolari all' amore della Virtù, siccome la professione, e lor obligo strettamente richiedono, perchè, come parla il Sacro Concilio di Trento, sono essi nella Chiesa di Dio posti in sublimità di grado, e di luogo, per esser da tutti considerati, come regola del ben vivere, mentre tutti fissano in esso loro gli occhi, come in uno specchio, per prenderne esempio d' imitazione; e però è necessario, che in tutte le cose dimostrino azioni, e parole tali, che abbino del grave, moderato, e pieno di Religione; al cui effetto, e per non irritare maggiormente il giusto sdegno del Signor Iddio, che col flagello alla mano minaccia la Cristianità: ma per render ciascheduno degno delle Divine Misericordie, con togliersi da tutti ogn'altra cagione de' già provati castighi sopra tutti gli afflitti Popoli, e risplenda nelle Chiese maggiormente il Culto Divino.

Ordiniamo, ed inculchiamo a tutti i Canonici, Beneficiati, Cappellani, Chierici, ed altri additti al servi-

zio così delle nostre Cattedrali di Montefiascone, e Corneto, come delle Chiese Collegiate, e Parrocchiali della nostra Diocese, che negli Uffizj Divini, Messe, Orazioni, ciò facciano con la dovuta Religiosità, ed esattezza, senza veruna trascuraggine, o irriverenza, perchè tali abusi chiamano sopra di noi, e de' Popoli le maledizioni Divine, secondo quello, che è scritto, *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*. E vogliamo ancora, che nell'andare, ed assistere in Coro, si faccia con ogni riverenza, silenzio, e modestia; e ricordandoci tutti di essere nella Casa di Dio alla presenza della tremenda Maestà dell'Altissimo, abbiano a salmeggiarvi con divozione di cuore, distinzioni di voci, e pausa dovuta nell'Asterisco, in modo che una parte del Coro non principj un Versetto prima, che dall'altra parte non sia terminato l'altro, affinchè il Popolo possa distinguere, ed intendere quello, che si canta, per eccitarsi a Divozione, e Compunzione in udire le Divine Lodi; intorno a che vogliamo, che se alcuno in ciò notabilmente manchi, oltre all'essere puntato, irremissibilmente incaricandone noi la Coscienza del Puntatore, abbia ancora a perdere quella parte di stipendio corrispondente al mancamento, acciò sappia, che non adempiendo al debito del Ministero, ingiustamente partecipa de' frutti della Prebenda, ed in conseguenza è tenuto alla restituzione, avanti che il Giudice lo condanni.

E perchè la Santità di Nostro Signore ha voluto gravemente incaricare la nostra Coscienza, e quella de' Presidenti al Coro, per la buona osservanza delle cose suddette, e di ciò, che in tal materia in altri nostri Editti, e Decreti Sinodali, come anche de' nostri Predecessori, si è ordinato, vogliamo, che qualunque ardisca di trasgredire, oltre alle pene in detti Editti, e Decreti Sinodali comminate, ed altre come sopra, soggiaccia ancora severamente al castigo a Nostro arbitrio, secondo i Sacri Canoni dispongono, con la remozione ancora de' Ministri, e serventi amovibili.

Ed esortiamo finalmente tutti i Sacerdoti a non accostarsi temerariamente a' Divini Misterj, e spezialmente al tremendo Sacrifizio dell'Altare, di cui non vi è nel Mondo azione più Santa, nè più Divina; ma a disporsi non solo con quella interna purità, che conviene a chi quotidianamente porge all'Eterno Padre il suo umanato Figliuolo, ma anche con quella esterna divozione nell'esatta osservanza delle Sacre Cerimonie prescritte dalle Rubriche, la quale si richiede, acciò chi è posto tra Dio, e gli uomini, per placar l'Ira sua Divina, non abbia con le proprie trascuratezze, precipitazioni, e negligenze, maggiormente ad irritarla.

Ma vogliamo confidare, che tutti, e ciascheduno in particolare de' nostri Ecclesiastici vorranno conformarsi al Paterno Cuore della Santità Sua, ed a' nostri avvertimenti,

ti, per dare a Noi la consolazione di vedere in essi, e nelle Chiese estirpati gli abusi, e stabilita la vera Pietà, e con ciò anche liberate le Città, e nostre Diocesi da maggiori calamità, godere in avvenire nel temporale, e spirituale abbondanti le Celesti Benedizioni, che a tutti dalla mano liberalissima del Signor Iddio preghiamo; Volendo, che il presente nostro Editto, pubblicato *inter Missarum Solemnia*, nelle nostre Cattedrali, Collegiate, e Parrocchiali della Diocesi, ove poi si affigga alle porte delle Sacristie, leghi tutti, come se ad ognuno fosse stato personalmente intimato.

Dato in Monte fiascone dal nostro Palazzo Vescovale questo dì 25. Aprile 1703.

M. A. Card. Barbarigo.

TASSA INNOCENZIANA

Del Foro Ecclesiastico, nelle materie spirituali,

OVVERO

Dichiarazione sopra quelle cause, e materie Ecclesiastiche, e Spirituali, nelle quali nel foro Ecclesiastico, ed Episcopale non si può, nè si deve esigere emolumento alcuno, eccetto quello, che si dichiara per il solo Cancelliero, con la riforma degli abusi contrarj.

ESsendosi avuto ricorso alla Santità di Nostro Signore Innocenzo XI. per molti Vescovi, Arcivescovi, ed altri Prelati zelanti, acciò per sicurezza della loro coscienza, e per togliere ogni occasione di dubbio, che potesse nascere dalle diverse consuetudini delle Diocesi, ed anche acciò non siano ingannati da' loro Vicarj, Cancellieri, ed altri Ministri, e famigliari, si stabilisca una Tassa generale, ed uniforme per il loro Foro Episcopale, ovvero Ecclesiastico: nè mancando i ricorsi de' Cleri, e de' Popoli, ha perciò la Santità Sua deputato una Congregazione particolare di due Signori Cardinali Prefetti delle Congregazioni del Concilio, e de' Vescovi, e di quattro altri Signori Cardinali delle medesime Congregazioni, e di due Monsignori loro segretarj, e delli Monsignori Datario, ed Auditore della Santità Sua, e da questo si è risoluto potersi nelle cause contenziose civili, e criminali, e miste venire alla suddetta Tassa generale; senza la precedente notizia delle Tasse particolari di ciascheduna Diocesi, o Provincia potendo giuridicamen-

camente quella eſſer varia ſecondo la diverſa conſuetudine regolata dalla diverſità de' Paeſi, e de' luoghi. Bensì doverſi con qualche maggior chiarezza per toglier tutti i dubbj, e gli equivoci, dar fuori le dichiarazioni, che in più tempi, e diverſe occaſioni ſi ſon fatte dalle ſacre Congregazioni del Concilio, e de' Veſcovi nelle materie Eccleſiaſtiche, ovvero meramente ſpirituali, acciò in tal modo ſappia ciaſcuno quel che ſia illecito, e ſi tolga ogni ſcuſa, o preteſto d' ignoranza, o di conſuetudine, dovendo in sì fatte materie l' oſſervanza eſſer dappertutto uniforme, per la generalità de' Canoni, e Concilj, e particolarmente del Tridentino; in modo, che deve dirſi reproba, ed illecita ogni contraria conſuetudine, o Taſſa diverſa in qualunque modo per l' addietro fatta, conforme dalla medeſima Congregazione ſi è ſtabilito, in modo che le ſeguenti dichiarazioni debbano oſſervarſi dappertutto ſenza eccettuazione alcuna, ſotto le pene contenute ne' ſacri Canoni, e Concilj, e d' altre ad arbitrio del Sommo Pontefice, che ſarà pro tempore; e naſcendo qualche dubbio in contrario, ſe ne debba conſultare la ſuddetta ſacra Congregazione del Concilio, e non altrimente.

Nella materia degli Ordini ſacri, e minori, e prima Tonſura, così per la collazione, come per la facoltà, che ad altro ſi dia di conferirli, ed anche per il loro eſercizio, e per la facoltà di eſercitarli in qualunque luogo, e qualunque tempo, ſi ſtabiliſce la Regola generale da non ricevere altra eccettuazione, che quella ſi dirà di ſotto, e che nè il Veſcovo, o altro Prelato, nè il ſuo Vicario generale, o foraneo, Cancelliero, ed altro Uffiziale qualſivoglia, nè parenti, e famigliari, o ſervitori poſſano eſigere, e ricevere emolumento, e coſa alcuna ſotto qualſivoglia colore o preteſto di atti per la giuſtificazione de' requiſiti, ovvero di tovaglia, forbici, pettine, ed altro, nè ſotto titolo di regalo, o di mancia, anche ſe ſpontaneamente ſi offeriſſe, e deſſe, eccetto che l' ordinante poſſa ricevere l' oblazione della candela, ſecondo diſpone il Pontificale, a libero arbitrio dell' ordinato circa la qualità, e peſo. E il Cancelliero ſecondo la diſpoſizione del Sacro Concilio di Trento, per le lettere teſtimoniali della collazione dell' Ordine già dato, ovvero per le lettere dimiſſoriali, per la collazione da farſi per un altro Veſcovo, poſſa ricevere ſolamente la decima parte d' un ſcudo di moneta Romana, cioè un giulio, ovvero l' equivalente nella moneta del paeſe, e non più, da perſone, le quali abbiano l' uſo del denaro, non già da quei Religioſi, i quali non ne hanno l' uſo, come ſono i Cappuccini, ed i Minori Oſſervanti: eccetto che nella collazione del Suddiaconato per gli atti, che ſi devono fare per la giuſtificazione della verità, e ſufficienza del patrimonio, ovvero del Beneſizio, a titolo del quale ſi deve promovere, poſſa eſigere quell' emolumento, che ſia proporzionato alla mera fatica perſonale per la ſcrittura, e carta, ſenza

za che il Veſcovo, o Vicario, o altro Uffiziale, nè direttamente, nè indirettamente ne poſſa partecipare in modo alcuno, purchè detto emolumento non poſſa nè debba eccedere uno ſcudo d'oro: ma ſe la fatica richiede minor mercede, ſi debba eſigere ſolamente quel meno. Ma riſpetto agli altri Ordini, ed alla prima Tonſura, non poſſa eſigere coſa alcuna, ſotto preteſto di regiſtratura di Brevi, e diſpenſe, e di altre ſcritture, o di preſentata, o di qualunque altra giuſtificazione, e ſolennità, o remozione d'impedimento.

Con dichiarazione, che ſe le ſuddette lettere teſtimoniali, ovvero dimiſſoriali contengono più Ordini, tuttavia non ſi poſſa eſigere altra mercede, che la ſuddetta di un giulio, ſicchè non ſi poſſa moltiplicare a ragione di ciaſcun' ordine. Non ſia però tenuto il Cancelliero a fare una ſola ſcrittura per più Ordini, quando queſti ſiano ſtati conferiti in diverſi tempi, e diverſe ordinazioni, ma volendo, poſſa farle ſeparate, non già riſpetto a quegli Ordini, che ſi conferiſcono in un iſteſſo giorno, come ſegue ne' minori, ne' quali dovrà farſi una ſola ſcrittura; e nelle lettere dimiſſoriali, che ſi diano per l'ordinazione da farſi per un altro Veſcovo a più Ordini, parimente non ſi poſſa moltiplicare ſcritture, nè poſſa eſigere coſa alcuna per il rogito della collazione degli Ordini, ovvero per l'acceſſo al luogo dell'ordinazione, con altro preteſto anche di mancia, o regalo.

Nella materia de' Benefizj Eccleſiaſtici, quando ſi tratta di quelli, che come di libera collazione, ovvero come devoluti ſi conferiſcono dal Veſcovo, o altro ordinario collatore, parimente ſi ſtabiliſce la regola generale, che nè il Veſcovo, o altro collatore, nè il ſuo Vicario, o altro qualſivoglia Uffiziale, nè il Cancelliero, o parenti, famigliari, ſervitori poſſano eſigere e ricevere emolumento alcuno, ed altra coſa ſotto qualſivoglia colore, e preteſto anche di mancia, o regalo, o volontario donativo, così ſe ſiano Curati, o reſidenziali, come ſe ſemplici, o non reſidenziali, ed anche ſe ſiano Cappellanie manuali; ma ſolamente il Cancelliero per le lettere della collazione, compreſa carta, ſigillo, corde, ed ogni altra coſa, poſſa eſigere la mercede proporzionata alla ſcrittura, e materia, purchè non ecceda la ſomma di giulj dieci di moneta Romana, ovvero l'equivalente nella moneta del Paeſe, ſenza che ſi poſſa pretendere altra mercede ſotto qualſivoglia preteſto, e particolarmente per l'approvazione, e preelezione nel concorſo alle Chieſe Parrocchiali. E per il poſſeſſo, il Veſcovo, o Vicario, o altro Uffiziale non poſſa eſigere coſa alcuna, ed il Cancelliero, ſe ſarà dentro la Città, poſſa per il rogito, ed ogni altro atto eſigere giulj tre, ſe ne' Borghi, ovvero ſuburbii, giulj quattro, e ſe in altro luogo, i medeſimi giulj quattro il giorno, e le ſpeſe del vitto, e viatico. Benſì che ſe nel luogo del Benefizio vi ſarà il Cancelliero del Vicario foraneo,

neo, o altro Notaro, si dovrà il possesso commettere al Vicario foraneo, e suo Cancelliero, senza la necessità del viaggio del Cancelliero Episcopale.

Quanto a' Benefizj di collazione Appostolica, perchè siano riservati, ovvero affetti avanti la loro provvisione, così ne' Benefizj Curati, ne' quali per l'ordinario si danno le lettere testimoniali alla Dataria, dell'approvazione, e della preelezione nel concorso, secondo la forma del Concilio di Trento, come anche negli altri Benefizj non Curati, e particolarmente ne' residenziali, per i quali si sogliono dare le attestazioni alla Dataria sopra la vita, costumi, ed idoneità de' concorrenti: per le dette lettere, non si possa esigere, o ricevere mercede, o emolumento alcuno in denaro, o in altre cose, sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di volontario donativo, ma si debbano dare affatto gratis.

E dopo la provvisione per l'esecuzione delle lettere Apostoliche, quando siano nella forma *gratiosa*, non possano il Vescovo, o altro Prelato ordinario del luogo, o suo Vicario, e Cancelliere, ed altro Uffiziale, pretendere, di doverne essere per necessità esecutori, ma sia in arbitrio de' Provvisti, d'eleggersi l'esecutore, ed il Notaro per il possesso; ma se il Provisto eleggesse l'ordinario Uffiziale, ed il suo Cancelliero, o veramente se le lettere fossero nella forma, che si dice *dignum*, indrizzate all'Ordinario, ovvero al suo Vicario, il quale perciò ne fosse necessariamente l'esecutore; così nell'uno, come nell' altro caso, non essendovi legittimo contraddittore, in modo, che l'esecutore sia mero, parimente il Vescovo, o altro Prelato, ed il suo Vicario, o altro Uffiziale, e suoi famigliari, servitori, ed attinenti non possino, nè debbano esigere, e ricevere emolumento alcuno in quello stesso modo, che di sopra si è detto de' Benefizj di ordinaria collazione; ma il Cancelliero possa per la copia, o registro delle lettere Apostoliche, ed altri atti, ricevere la mercede proporzionata alla fatica per la scrittura, purchè non ecceda in tutto uno scudo d'oro: ed essendovi contraddittore, sicchè convenga di far processo giudiziale, la mercede del Cancelliero per la sua fatica si possa estendere a due scudi d'oro, e non più, senza che il Vescovo, e Vicario, o altro Uffiziale possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, mentre nelle cause Ecclesiastiche, e spirituali, ordinano i sacri Canoni, che non ostante qualsivoglia consuetudine, il giudizio si debba interporre gratis. E per il possesso si osservi quello stesso, che si è detto di sopra ne' Benefizj conferiti dall' Ordinario Collatore.

Nelli Benefizj di Padronato, nascendo dubbio sopra l' esistenza del Padronato con il Procurator Fiscale, ovvero col Provisto, che ne pretenda la libertà, si debba in tutto, e per tutto osservare quell'istesso, che di sopra si è detto ne' Benefizj di libera collazione col contraddittore. Ma se, non controvertendosi l'esistenza, sia controversia

verſia tra compatroni, ovvero preſentati da eſſi, ſopra la pertinenza, in tal caſo ſi reputi come cauſa civile profana, e per conſeguenza ſi oſſervi la ſolita taſſa di ciaſcuna Curia, fino a tanto che ſi faccia l'altra taſſa delle cauſe profane civili, criminali, e miſte.

Generalmente così nelle cappellanie manuali, come nelle nove fondazioni, ed erezioni de' Benefizj, Cappellanie, Confraternità, Congregazioni, ovvero fondazioni, benedizioni, e conſecrazioni, e reſpettivamente viſite, ed approvazioni di Chieſe, e di Oratorj, così coll' autorità Apoſtolica, come con l'ordinaria, il Veſcovo, o altro Prelato, eſſo Vicario, e qualunque Uffiziale, non poſſa eſigere e ricevere emolumento alcuno; ma ſolamente il Cancelliero poſſa eſigere quella mercede, che ſia proporzionata alla ſua fatica per la ſcrittura, purchè non poſſa eccedere in tutto uno ſcudo d'oro; ma ſia meno, ſe minore ſarà la fatica.

Nelle cauſe, e materie, che riguardano il matrimonio, ed i ſponſali, così per l'eſecuzioni delle Diſpenſe Appoſtoliche matrimoniali, come per la giuſtificazione dello ſtato libero, o che non vi ſia canonico impedimento, ed anche per la diſpenſa delle pubblicazioni, o per la licenza di poterſi contrarre in caſa, o in altro luogo, o tempo inſolito, e proibito, o che ſi poſſa contrarre in preſenza d'altri, che del Parroco, ed ogni altro atto che occorreſſe fare; il Veſcovo, e il ſuo Vicario, ed ogni altro Uffiziale, o miniſtro, o famigliare, non poſſa ſotto qualſivoglia preteſto, o colore, anche di mancia, e di volontario donativo eſigere, e ricevere emolumento alcuno, nè in denaro, nè in altre coſe; ma ſolamente il Cancelliero poſſa eſigere la mercede proporzionata alla fatica della ſcrittura, cioè nell' eſecuzione delle diſpenſe giulj tre; e per i teſtimonj ſopra lo ſtato libero o che non vi ſia impedimento, un giulio per teſtimonio; purchè in tutto non ſi ecceda uno ſcudo di moneta Romana, cioè dieci giulj, ovvero il loro equivalente nella moneta del Paeſe; non comprendendoſi le cauſe contenzioſe tra i conjugi ſopra la validità del matrimonio, ovvero ſopra la ſeparazione del toro, ſtimandoſi queſta cauſa giudiziale profana, nella quale ſi oſſerverà la taſſa di ciaſcun tribunale, fin che ſi proveda.

Generalmente in tutto quello che riguarda i Monaſterj delle monache, ed i conſervatorj di quelle Donne, le quali a guiſa de' monaſterj, e monache, riſpettivamente vivono ritirate, il Veſcovo, o altro Prelato, il Vicario così generale, come particolare, e qualunque altro Uffiziale, o Deputato, ed il Cancelliero, ed anche i Parenti, e i famigliari del Veſcovo, o Prelato, e de' ſuoi Uffiziali, non poſſano eſigere, e ricevere emolumento alcuno in denaro, ed in altre coſe, eccetto che quelle comeſtibili, che ſiano proporzionate all' uſo,

uso, e consumo proprio dentro tre giorni anche con titolo di donativo, per l'ammissione all'abito monastico, per l'apparazione del Deposito della dote, per la professione, per l'ammissione dell' educande, ed altre Donne secolari, per le rinonzie che si fanno dalle novizie, per l'elezione dell'Abbadessa, o altra superiora, per le licenze de' Medici, Chirurgi, ed operarj, per le licenze di parlare alle monache, ed altre che sono nel monastero, per la deputazione de' Confessori, Cappellani, Procuratori, esattori, ed altri ministri, e generalmente per ogni altro atto, che riguarda al governo: ma solamente il Cancelliero per il rogito delle rinunzie, e per gli atti, che convenga fare sopra la giustificazione del deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, pur che non ecceda in tutto giulj cinque moneta Romana, ovvero l' equivalente nella moneta del Paese.

Parimente per una regola generale da non soggiacere a limitazione alcuna, il Vescovo, o altro Prelato, suo Vicario generale, o particolare, Cancelliero, e qualunque altro Uffiziale, Ministro e famigliare anche sotto nome di mancia, o volontario donativo, non potrà esigere, e ricevere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra cosa, in tutto quello, che riguarda l'amministrazione de' sacramenti del Battesimo, della Cresima, della Penitenza, dell' Eucaristia, e dell' Estrema unzione, anche per l'esame ed approvazione, o licenza di amministrarli, anzi s' incarica a' Vescovi, e Prelati, e loro Vicarj, ed Uffiziali, che non lo permettano a Curati, ed a Confessori, ed altri Ministri; e particolarmente nel prendere il Piatto, o altro vaso, nel quale sia riposto il vase dell'oglio santo per l'Estrema Unzione, o del Crisma nel Battesimo; ovvero tovaglie, faccioletti, ed altre cose, dichiarandosi tutto ciò illecito. Come anche a non chiedere, nè esigere cosa alcuna per la benedizione delle donne infantate, quando dopo il parto, secondo il rito Ecclesiastico, per la prima volta entrano in Chiesa.

In quelle Diocesi, nelle quali regna l'antica consuetudine, che il Vescovo, o altro Prelato, ed Uffiziale faccia il testamento per l'anima di quelli, i quali muojono ab intestato, di quella somma moderata, nella quale secondo i decreti della sacra Congregazione può esercitare tal facoltà, non possano esso, e suoi Uffiziali Ministri, parenti, e famigliari, partecipare in modo alcuno, sotto qualsivoglia colore, o pretesto, anche di povertà; ma il tutto si debba effettivamente applicare ad usi ed opere pie, nè per l' adempimento di tal disposizione si possano in modo alcuno impedire, e ritardare la sepoltura, e l'esequie, o funerali al defonto, dovendosi esercitare giuridicamente le azioni sopra i beni ereditarj, e si debba osservare la lettera circolare della sacra Congregazione de' Vescovi sotto li 19. Agosto 1678.

Come

Come anche in modo alcuno non si possano impedire, o ritardare la sepoltura, e l'esequie, o funerali a' defonti, così cittadini, come forestieri, per il pagamento di quegli emolumenti, che dal Vescovo, o dal Capitolo, o dal Curato, e qualunque altro per la consuetudine del Paese si pretendano; ma parimente rimangano illese le azioni giuridiche de' beni, sopra i quali si dovranno esercitare, senza che in modo alcuno si faccia represaglia al cadavere, ovvero che si diano molestie personali a' figli, e moglie, e parenti. Ed ancora non si possa esigere cosa alcuna per la licenza di trasportare i cadaveri, ovvero di seppellirli più in un luogo, che nell' altro.

Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, ed indiretto, ed in conseguenza se ne proibisce al Vescovo, o Prelato, suo Vicario, e Cancelliero, e ad ogni altro ministro, e famigliari, ogni esazione sotto qualsivoglia pretesto, anche di mancia, o donativo, nelle infrascritte cose, cioè:

Per la licenza, o Patente di predicare così nella Quadragesima, nell' Avvento, come in tutti gli altri tempi, ed in qualsivoglia luogo.

Per la licenza di lavorare nelle feste, anche per applicarsi ad usi pii, al che si dia onninamente gratis; e quanto alle contravvenzioni d'aver lavorato, le pene tutte si applichino effettivamente ad opere, o luoghi pii, senza partecipazione alcuna, benchè minima, eccetto che agli esecutori, e Ministri inferiori, volgarmente sbirri, per la cattura si dia la mercede proporzionata alla diligenza, e fatica, pur che non ecceda tre giulj in tutto.

Per la revisione de' conti de' luoghi pii.

Per la ricognizione, ed approvazione, e pubblicazione delle Reliquie, delle Indulgenze, ed Altari privilegiati.

Per le licenze di questuare.

Per l'attestazione della Povertà, o altro Requisito, eccetto che il Cancelliere possa esigere in tutto un giulio di moneta Romana, o l' equivalente.

Per la licenza d' essere assente dalla residenza, e generalmente per le dimissorie, che si sogliono concedere a quelli, li quali partono di casa per andare in altro Paese.

Per le monitoriali, per le rivelazioni di scomuniche, così quando si diano da essa Curia, ed Ordinario, come quando si pubblicano le lettere Apostoliche: eccetto che il Cancelliero possa per la mercede della scrittura esigere un giulio solamente.

Per la dichiarazione dell' incorso nelle censure, per la percussione de' Chierici, ed altre somiglianti cause, e per la loro assoluzione, eccetto che il Cancelliero per la fatica della scrittura possa esigere giulj due; eccetto che nell' esecuzione de' Brevi della Penitenziaria, nel qual caso, per quel che appartiene all' assoluzione, nè anche il Cancelliero possa esigere cosa alcuna.

Per la facoltà di esercitare i Pontificali.

Per l'esecuzione de' Brevi Appostolici, ovvero licenza della sacra Congregazione nell'alienazione de' Beni di Chiese e luoghi pii, ovvero imposizione de' censi, solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, pur che non ecceda in tutto giulj dieci di moneta Romana, o suo equivalente: come anche per tutto quello, che appartiene alla difesa dell'immunità ecclesiastica, così personale, come reale, e locale, e particolarmente di quest'ultima, non si possa in modo alcuno sotto qualsivoglia pretesto ricevere, ed esigere mercede, ovvero emolumento, ma il tutto si debba fare gratis.

Le pene, le multe, e le composizioni si applichino per intiero ad uso de' luoghi pii, senza che il Vescovo, o Vicario, e suoi Uffiziali, direttamente, nè indirettamente ne abbiano participazione alcuna.

Il sussidio caritativo in quelle diocesi, nelle quali sia solito esigersi, e non altrimente, si esiga solamente per una volta nel primo ingresso del Vescovo, secondo la tassa solita antica d'anni 40. in dietro, sì che non s'attenda il solito più moderno da detto tempo in più, nè si possa più esigere sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo.

Quanto alla Visita, si osservino inviolabilmente il decreto del Sacro Concilio di Trento, e le dichiarazioni della S. Congregazione; e particolarmente da quelli, i quali concorrono alle spese de' cibarj, nè mediatamente, nè immediatamente si possano ricevere regali, e donativi, anche di cose commestibili. Ed ancora non si possa esigere emolumento alcuno per gli atti della Visita, decreti, e presentare di scritture, ovvero per la revisione de' decreti delle Visite antecedenti, e della loro osservanza, mentre da quelli, i quali sono visitati, si ricevono le spese del vitto.

Die prima Octobris 1678. facta per me infrascriptum istarum Resolutionum seu Declarationum relatione S. D. N. Innocentio XI. mediante illarum lectura de verbo ad verbum, Sanctitas sua laudavit, approbavit, ac servari mandavit; & earum observantiam, & publicationem injunxit Sacræ Congregationi Concilii.

Joannes Baptista de Luca Præfati SS.
D. N. Innocentii Papæ XI. Auditor
& Secretarius memorialium.

Die 8. Octobris 1678. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo mandatis Sanctitatis suæ, censuit præ-

præmissam taxam, seu declarationes typis dandas esse, & per litteras circulares ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas, ut eas in Cancellaria in loco omnibus patenti retinere faciant, easdemque adamussim observent, ac faciant observari.

F. Cardin. Columna Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiepiscopus Brancatius Episcopus Viterbiensis Secret.

Die, mense, & anno, quibus supra, supradicta taxa affixa, & publicata fuit ad Valvas curiæ, & Aciei campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Gregorium Staggium Apostolicum Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus Sanctiss. D. N. Papæ Cursor.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

CIRCA RESIDENTIAM EPISCOPORUM,

Ad Tract. I. Cap. VII. Pag. (74.)

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Universae Christianae Reipublicae statum, Ecclesiasticarum Legum custodiam, & Fidelium Populorum salutem, tam magni refert singulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis praepositos, in ipsis Ecclesiis, vel Dioecesibus sibi creditis assidue residere; ut difficile sit aliud ullum reperire Ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut Conciliaribus Canonibus atque Decretis, aut Apostolicae Sedis Constitutionibus & Sanctionibus, tam saepe tamque impense inculcatum fuerit & commendatum. Ut autem antiquiora Canonica statuta praeteremus, Nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 6. cap.* I. & *sess.* 23. *cap.* I. *de Reform.*; tum ea quae recol. mem. praedecessor Noster Urbanus Papa VIII. praescripsit in sua Constitutione data apud S. Petrum die XII. Decembris Anni MDCXXXIV., quae incipit *Sancta Synodus*, & in qua praecedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. Leges & Constitutiones retulit, confirmavit, & ampliavit. Neque opus est recensere omnes Encyclicas Litteras, quae, ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos de implendo hujusmodi Residentiae onere identidem admonendos, ab hac Apostolica Sede mitti consueverunt; ut patet ex Epistola jussu Ven. Servi Dei Innocentii Papae XI. Praedecessoris quoque Nostri scripta die v. Febr. Anni MDCLXXVIII., item ex alia die XXIV. Decembris Anni MDCCVII. a fel. rec. Clemente Papa XI. ad suum & Apostolicae Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius Regni Praesules ad residendum in propriis Ecclesiis, & Dioecesibus adigerentur; necnon ex ejusdem Clementis Litteris in forma Brevis datis die XX. Maji Anni MDCCIX. ad Archiepiscopos & Episcopos Poloniae, qui obtentu turbarum & dissensionum, quae

tunc in eo Regno versabantur, suas reliquerant Ecclesias atque Dioeceses.

* Neque porro Nos hac in re Apostolici Officii partes desiderari permisimus. Vix enim inscrutabili Divinæ Providentiæ consilio in hac suprema Ecclesiæ universalis specula collocati fuimus, quam veterem Prædecessorum Nostrorum morem in usum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per Orbem Ecclesiarum Antistites Apostolica scripta direximus, quibus inter cætera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis Ecclesiis peculiari studio iis inculcare, & tam gravissima damna, quæ ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum præsentia concreditis ipsi Dioecesibus affert, ante oculos proponere non prætermisimus, ut videre est *in* §. 4. Epistolæ Encyclicæ die III. Decembris Anni MDCCXL. a Nobis conscriptæ, quæ in *Tomo I.* Bullarii Nostri nuper vulgati *num. II.* impressa est. Qui autem hominum corda scrutator Deus, is sane novit, quanto & quam acerbo animi Nostri dolore nonnumquam acceperimus, Ecclesiasticas Regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, & quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc increpando, absentes quidem per Litteras, præsentes vero ipsa voce ad debitum Residentiæ Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, in Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula, qua Beneficia Ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura Nostræ dispositioni & collationi reservavimus, simul etiam eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis residentibus gratiam alternativæ mensium, certis modo & forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quamdiu ipsi apud Ecclesias aut Dioeceses suas vere & personaliter residerent, de Beneficiis hujusmodi Ecclesiasticis, quæ extra Romanam Curiam in Februarii, aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Nostri duraturam concessimus: quo scilicet iidem Episcopi, & majorum Ecclesiarum Præsules, ampliorem potestatem in Beneficiis prædictis conferendis sic obtinentes, hac etiam Apostolicæ Nostræ liberalitatis gratificatione illecti, ad personalem Residentiam prædictam libentius obeundam adducerentur.

* Quoniam vero & certæ quædam causæ adesse possunt, & hujusmodi occasiones incidere, propter quas, prævio Romani Pontificis assensu, & approbatione, liceat Episcopo a propria Ecclesia, & Dioecesi per aliquod definitum tempus abesse, ea vero absentia, quæ ad modicum tempus protrahitur, neminem desertæ

* Residentiæ reum constituit; ideò & in Conciliis, & in
* Apostolicis Constitutionibus ad præcavendos abusus tam
* circa hujusmodi causarum & occasionum relevantiam,
* quam circa tolerabilia temporum spatia, providæ sta-
* tutæ Leges & Regulæ reperiuntur. Et quidem justæ
* ac legitimæ absentiæ Causæ a præfata Tridentina Sy-
* nodo *cit. cap.* 1. *sess.* 23. non aliæ agnitæ fuerunt,
* quam Christiana caritas, urgens necessitas, debita obe-
* dientia, & evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas.
* Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem Sa-
* crosancta Synodus perpendisset, ex veterum Canonum
* sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper
* absunt, & statim sunt reversuri; omnibus Ecclesiarum
* Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent singu-
* lis annis, ultra duos aut tres ad summum menses, si-
* ve continuos, sive interruptos, extra proprias Dioece-
* ses commorari: eosque simul admonuit, ne per illius
* temporis spatium, Dominicis Adventus, Quadragesi-
* mæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes
* item, & Corporis Christi diebus, ab Ecclesiis suis Ca-
* thedralibus abessent, nisi forte Episcopalia munia in
* aliis Dioecesum suarum locis eos detinerent; eamque
* præterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo
* Gregis detrimento uterentur libertate, & ut id *æqua*
* *ex causa fiat*; quibus verbis animi levitas, oblecta-
* tionum cupiditas, aliæque futiles causæ penitus exclu-
* duntur.

* Præfatus autem Prædecessor ad peculiares occurrentes
* casus descendens, Episcopis in Curia promotis unum
* concessit mensem (quem postea declaratum fuit, a die
* ipsorum propositionis in Consistorio computandum es-
* se), quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias
* se conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano,
* habito a fel. record. Benedicto Papa XIII. Prædecesso-
* re pariter Nostro, Episcopo exposuissent, tam exiguo
* temporis spatio non posse a recens promotis sua in Ur-
* be negotia expediri, idem Benedictus facultatem con-
* cessit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali suo, & Ro-
* mani Pontificis pro tempore in Urbe, ejusque Districtu
* Vicario, ut præfatum unius mensis terminum, juxta
* casuum contingentiam, & causa cognita, ad alios qua-
* draginta dies, & non ultra, prorogare posset.

* Præterea Episcopis ad Sacra Apostolorum Limina sta-
* tutis temporibus visitanda personaliter accendentibus,
* supradictus Urbanus Prædecessor indulsit, ut, Ecclesiis
* citra Montes, & citra Mare positis præsiderent, per
* quatuor; qui vero Ultramarinis, & Ultramontanis
* Ecclesiis præessent, per septem menses continuos a
* Residentia in suis respective Sedibus facienda, hujus-
* modi Visitationis gratia, excusarentur.

* Cum vero idem Urbanus declarasset, se, per ea,

* quæ in suis præfatis Literis constituerat, minime sub-
* latam voluisse dictam trium mensium licentiam a Con-
* cilio indultam; hinc plures ortæ quæstiones, & varia
* condita sunt Decreta, ab eodem Urbano ejusque Suc-
* cessoribus approbata, cujusmodi sunt, non licere tri-
* mestrem absentiam prædictam conjungere, sive cum eo
* tempore, quo permittitur Episcopis post suam promo-
* tionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad
* peragendam Sacrorum Liminum Visitationem eisdem
* concessum fuit: neque fas esse absentiæ tempora ita di-
* sponere, ut tres postremi menses unius anni continean-
* tur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis.
* Sicut etiam vetitum est prædictos menses conjungere
* cum eo anni tempore, quo, propter aeris insalubrita-
* tem, alicui Episcopo permittitur extra Diœcesim dege-
* re, ne scilicet continuatis absentiæ temporibus, ver-
* nos simul, & æstivos menses, sive æstivos una cum
* autumnalibus, extra Diœcesim duci contingat. Deni-
* que, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem
* abuti posset, declaratum fuit, prædictam trium men-
* sium vacationem intra cujusque anni limites coerceri,
* ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti
* anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat.

* Et quoniam Tridentina Synodus sub Legibus, de
* Residentia hujusmodi ipsos etiam Sanctæ Romanæ Ec-
* clesiæ Cardinales nominatim comprehendit; præfatus
* Urbanus Prædecessor, advertens nonnunquam evenire,
* quod aliquis ex Cardinalibus alicui Patriarchali, seu
* Metropolitanæ, aut Episcopali Ecclesiæ præpositus,
* unum simul ex Episcopatibus Suburbicariis obtineret,
* constituit, ut hujusmodi Cardinales in primodictis Ec-
* clesiis, non autem apud Episcopatus Suburbicarios,
* residere tenerentur.

* Denique tam in prædicto Concilio, quam in citata
* Urbani Constitutione, contra Transgressores hujusmodi
* Legum, quæ ad Residentiam pertinent, gravissimæ
* pœnæ statutæ fuerunt; quarum executionem idem Ur-
* banus primo quidem demandavit Auditori Causarum
* Curiæ Cameræ Apostolicæ: Verum biennio post to-
* tam hujus materiæ cognitionem delegavit Congrega-
* tioni particulari a se deputatæ, quam compositam es-
* se voluit ex tunc, & pro tempore existentibus Cardi-
* nali Romani Pontificis in Urbe Vicario, nec non e-
* jusdem Pontificis Datario, & Secretario Status, ac
* Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congre-
* gationum negotiis & consultationibus Episcoporum, &
* Regularium, ac interpretationi, & executioni Decre-
* torum prædicti Concilii Tridentini respective præposi-
* tarum. Et quidem prædicto Cardinali Vicario facultа-
* tem tribuit, ut, justis ex causis, & cum consilio præ-
* dictorum Prælatorum, concedere posset Episcopis licen-

tiam abessendi a propriis Ecclesiis, & Dioecesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani Literis datis die prima Januarii Anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti distinctius praescribitur.

Hujus Congregationis Caput, seu Praefectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit praefatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens; quemadmodum ejusdem Secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis; unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti Officio Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis super Residentia Episcoporum simul sustinuimus. Quae sane Congregatio, ut ex illius Secretariae Regestis apparet, tam ipsius Urbani Praedecessoris temporibus, quam aliis subsequentibus, non semel singulis annis adunari consuevit; id quod a san. mem. Praedecessore pariter Nostro Clemente Papa XI. in usum revocatum fuit, & identidem peractum, Nobismetipsis praefatum Secretarii munus obeuntibus, confectisque a Nobis, & impressis foliis, ea prorsus methodo, quae pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis, vel Dioecesibus licite abesse possint, quum praeter causam Canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria; excepto casu praedictae trimestris absentiae a Concilio permissae, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquat, de aequitate causae judicium facere; hinc est, quod quaecumque hujus generis licentia olim indulgeretur, per speciale Chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes hujusmodi licentias in unico Folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur: quem sane morem a Praedecessoribus Secretariis invectum, Nos quoque servavimus.

Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, & decem apud Bononiensem Ecclesias regimini Nostro successive commissas, assidue residendo transegimus, in Urbem reversi, & ad Apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis praefatae sessiones, materia forsan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro Chirographa, aut Folia signanda Nobis oblata fuerunt; sed facta Nobis oretenus a Praelato dictarum Congregationum super executione, & interpretatione Concilii, & super Residentia Episcoporum Secretario, tam petitionum Episcoporum, qui vacationem a Residentia postulabant, quam Causarum,

qui-

* quibus hujuſmodi petitiones innitebantur, relatione;
* noſtroque deſuper accepto reſponſo; opportuna ſingulis
* Decreta perſcribi, eaque a Cardinali Vicario Noſtro,
* tamquam ſæpedictæ Congregationis ſuper Reſidentia
* Epiſcoporum Præfecto, ſignari conſueverunt. Verum
* quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate ni-
* mis compendiariam judicaverimus; viſum eſt Nobis
* Motu proprio, & ex certa ſcientia, non ſolum pro de-
* bita, ut ajunt, actus ſolemnitate, ſed etiam pro i-
* pſius rei ſubſiſtentia, & pro maturiori examine cauſa-
* rum, quæ ad hujuſmodi licentias obtinendas afferun-
* tur, infraſcriptas leges, & ordinationes inviolabiliter
* in poſterum obſervandas, Apoſtolica auctoritate, teno-
* re præſentium, edicere & conſtituere.

* Primum itaque relata ſuperius Sacroſanctæ Tridenti-
* næ Synodi Decreta *ſeſſ. 6. c. 1. & ſeſſ. 23. c. 1. de Re-*
* *form.* laudataſque Romanorum Pontificum Prædeceſſo-
* rum Noſtrorum Pii IV. Gregorii XIII. Clementis VIII.
* & Urbani pariter VIII. Conſtitutiones, & Ordinatio-
* nes, nec non omnes & ſingulas, quas ſupra innuimus,
* Reſolutiones Apoſtolicæ Sedis auctoritate editas, inno-
* vantes, & tam Decretorum, quam Conſtitutionum,
* Ordinationum, & Reſolutionum hujuſmodi tenores et-
* iam veriores pro ſatis hic expreſſis, ac etiam de verbo
* ad verbum inſertis habentes, & haberi volentes; illa-
* que & illas, quatenus opus ſit, iterum pleniſſime ap-
* probantes, & confirmantes; omnia & ſingula in ipſis
* contenta, ab iis, ad quos ſpectat, & pro tempore in
* poſterum ſpectabit, attendi, & in his omnibus, quæ
* Noſtris hiſce Literis non adverſentur, exactiſſime im-
* pleri & obſervari volumus, ſtatuimus, & in virtute ſan-
* ctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus; non ob-
* ſtantibus quibuſcumque privilegiis, aut contrariis, et-
* iam quantumvis inveteratis, uſibus & conſuetudinibus,
* quæ potius abuſus & corruptelæ dici debent; quibus, ſi
* forte adeſſe, aut allegari contingat, motu ac ſcientia
* ſimili, ac de prædictæ Apoſtolicæ auctoritatis Noſtræ
* plenitudine, derogamus, ac derogatum eſſe volumus &
* decernimus.

* Secundo loco, & conſequenter ad præmiſſa, adverſus
* prædictarum Legum, & Conſtitutionum Tranſgreſſores,
* omnes & ſingulas pœnas in eiſdem Decretis, & Conſti-
* tutionibus latas & comminatas, auctoritate quoque no-
* ſtra confirmamus & innovamus: amiſſionis ſcilicet quar-
* tæ partis fructuum unius anni, ipſo facto ab iis incur-
* rendæ, qui legitimo impedimento, ſeu juſtis & ratio-
* nabilibus cauſis ceſſantibus, & abſque expreſſa, ut præ-
* fertur, Apoſtolicæ Sedis licentia, ſex menſibus conti-
* nuis extra ſuam Diœceſim morando abſuerint; & amiſ-
* ſionis alterius quartæ partis fructuum, eodem modo in-
* currendæ, ubi hujuſmodi abſentia ad alios ſex menſes
* protrahatur; ut in prædicto Concilio Tridentino *ſeſſ. 6.*

* *c.* 1. *de Reform.* statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eosque erogandi in Ecclesiarum fabricas, seu in subventionem pauperum ipsius loci, quacumque conventione, seu compositione pro hujusmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio *sess.* 23. *cap.* 1. præscribitur. Similiter impositam a prædicto Pio IV. Prædecessore pœnam amissionis facultatum testandi & disponendi, si quæ transgressoribus hujusmodi competere dignoscantur; nec non inhabilitatis ad majores Dignitates, & Ecclesias obtinendas, quam præfatus quoque Prædecessor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus, & innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus & singulis Indultis, & Privilegiis, quæ forsan ipsis, tamquam Pontificio Solio Assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur: Decernentes, sub Transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui præter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima causa, & expressa Romani Pontificis licentia, extra proprias Diœceses commorantur; sed eos etiam, qui hujusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint; vel ea semel rite recteque obtenta, præscriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergressi fuerint. Quod si nihilominus aliqui, non minus Canonica statuta, quam propositas hujusmodi pœnas contemnentes, in sua contumacia obfirmati perseverare præsumpserint; volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta mentem ejusdem Concilii Tridentini, quod in *citato c.* 1. *sess.* 6. Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suæ supremæ Sedis auctoritate in hujusmodi Transgressores ad severiorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Ecclesiis ipsis de utilioribus Pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

* Tertio loco volumus & mandamus, ut prædictæ Congregationis super Residentia Episcoporum ab Urbano Papa VIII. institutæ exercitium, atque sessiones resumantur; confirmantes ipsius Præfecturæ munus dilecto Filio Nostro Joanni Antonio Tituli S. Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Nostro in Urbe ejusque Districtu in spiritualibus Vicario, ejusque in Officio Vicariatus hujusmodi Successoribus; sicut etiam Officium Secretarii ejusdem Congregationis dilecto Filio Magistro Joseph Alexandro Furietto, ejusque Successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretariis: eosdemque statuentes in hujusmodi Congregatione nunc & deinceps pro tempore locum habere, & suffragium ferre, quicumque ea officia, & munera

* obtinent sive obtinebunt in posterum, quæ in præcita-
* tis Urbani Prædecessoris Literis designantur. Præterea
* quum minime expediat hujusmodi Congregationem Pro-
* motore Fiscali carere, Nos eum, qui in Tribunali præ-
* dicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promoto-
* ris Fiscalis, ejusque in Officio Successores pro tempo-
* re, ad idem munus obeundum deputamus in præfata
* Congregatione, cui ipsum, seu ipsos cum consultivo
* suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod
* si Congregatio isthæc toties habenda foret, quoties ab
* aliquo Episcopo licentiam abscedendi a Diœcesi peti
* contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis one-
* rosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu
* temporis negligi, & pendi posset; volumus, atque sta-
* tuimus, eandem tunc tantum cogendam, habendamque
* esse, quum aut a Nobis, sive a Successoribus Nostris
* Romanis Pontificibus, alicujus negotii cognitio ipsi re-
* missa, & delegata fuerit: Aut, hujusmodi etiam re-
* missione cessante, quoties de pœnis superius constitu-
* tis, adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis
* infligendisque deliberandum fuerit; siquidem hujusmo-
* di pœnarum modus, prout cujusque major, aut minor
* contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuen-
* dus erit, ut facta per ipsius Secretarium Nobis, seu
* Successoribus Nostris relatione, approbataque Congre-
* gationis resolutione, ad hujusmodi pœnarum executio-
* nem cum effectu procedatur; aut denique quum ali-
* quis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria
* Diœcesi ratione alicujus muneris, sive officii, cujus ea
* dicatur natura esse, ut Apostolicum Indultum de non
* residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum;
* Nos etenim hujusmodi Indulta nemini unquam conce-
* di debere decernimus, nisi prævio causarum examine
* in eadem Congregatione peragendo, Nostraque & Suc-
* cessorum Nostrorum scientia, & approbatione, & me-
* diante expeditione Literarum Apostolicarum in forma
* Brevis; ideoque mandamus Nostro & Romani Ponti-
* ficis pro tempore existentis Supplicum Libellorum Se-
* cretario, aliisque Secretariis quarumvis Congregatio-
* num, quibus ea de re preces oblatæ fuerint, ut illas
* in prædictam Congregationem super Residentia Epi-
* scoporum omnino remittant; simulque prohibemus
* Nostro, & Successorum Nostrorum pro tempore Se-
* cretario Brevium, ne Literarum Apostolicarum super
* Indultis hujusmodi exempla Nobis, aut Successoribus
* Nostris signanda, ullatenus afferat, nisi authentica
* documenta, tam de causarum examine in dicta Con-
* gregatione peracto, quam de Apostolica approbatio-
* ne, & assensu consequenter emanatis, eidem fuerint
exhibita.

* Quarto loco statuimus, ut Folia superius enunciata

* in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum
* describantur nomina Episcoporum, quibus dantur In-
* dulta commorandi extra Diœcesim, una cum causis ab
* ipsis adductis atque probatis, & spatio temporis ad
* quod hujusmodi Indulta conceduntur: quæ quidem Fo-
* lia a Romano Pontifice subscripta, in Tabulario præ-
* dictæ Congregationis, ut alias, asservari præcipimus:
* Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quæ
* per Apostolicas Literas in forma Brevis expedienda es-
* se in paragrapho superiore descripsimus: sed de alterius
* generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quæ-
* que, post Pontificium assensum a Secretario requisitum
* & obtentum, expediri debebunt per Decreta a prædi-
* cto Cardinali Vicario Urbis, tamquam præfatæ Con-
* gregationis Præfecto, subscripta. Decet enim has quo-
* que licentias non sine Pontificia subscriptione prodire;
* idque obtinebitur accedente Signatura Pontificis super
* prædictis Foliis, in quibus singulorum Indultorum te-
* nores, & causæ a Secretario descriptæ erunt; quemad-
* modum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis,
* dum hujusmodi Secretarii munere fungeremur, serva-
* tum fuisse narravimus.

* Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod
* ad obtinenda Indulta commorandi extra Diœcesim,
* infrascriptæ plerumque causæ ab Episcopis afferri so-
* lent; nimirum aut necessitas assistendi personaliter ali-
* cui liti, seu controversiæ, in qua Ecclesiæ, aut Cleri
* sui, vel etiam propriæ Familiæ res agatur, quæque in
* Romana Curia introducta sit, vel alia in Urbe, in qua
* resideant majora Tribunalia, quorum ea de re judici-
* um esse debeat; aut corporalis ægritudo, qua correptus
* fuerit Episcopus, dum extra Diœcesim, Conciliaribus
* mensibus utens, morabatur, itaut ad eandem Diœce-
* sim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa Diœ-
* cesi contracta, ad quam depellendam Medici putent
* necessarium fore, Episcopum aerem, & solum aliquan-
* tisper mutare: aut denique malignitas aeris in Diœcesi
* vigens, quam aliquibus anni mensibus devitari opor-
* tet: Et quoniam nec ulla ex præmissis causis, absque
* expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab
* onere residendi eximere potest; & nisi certis expressis
* circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad hujus-
* modi approbationem rite recteque procedere; necessa-
* rium Nobis visum est infrascriptas Regulas statuere,
* quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spe-
* ctat, & pro tempore spectabit, observari mandamus,
* atque præcipimus.

* Si quis igitur in posterum licentiam petierit absce-
* dendi a Diœcesi sibi concredita, ut judiciali contro-
* versiæ, quæ alibi vertitur, per se ipsum intersit, ex-
* primere debebit in precibus tum Locum, sive Urbem,

* in qua hujusmodi lis agitatur, tum etiam an ea per-
* tineat ad ipsam Oratoris Ecclesiam, seu Clerum, vel
* potius ad ipsius Familiam. Et quidem si ad Familiam
* pertineat, absque eo quod Secretarius Congregationis
* Pontificem, aut Cardinalem Præfectum adeat, rescriben-
* dum ab ipso erit, ut Orator ad effectum, de quo in pre-
* cibus, utatur mensibus a Conciliis indultis. Quod si eis
* jam usus fuerit, ulterior ipsis licentia non concedetur.
* Si vero de ejus Ecclesiæ, vel Cleri rebus agatur, ex-
* poni debebunt, tum status litis, ejusdemque gravitas,
* tum causæ, propter quas necessaria creditur in loco
* judicii Oratoris præsentia: tum etiam declarandum,
* an mensibus Conciliaribus usus fuerit. Et quidem si
* nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in hu-
* jusmodi causam impendat. Si vero id amplius Episco-
* po integrum non sit, (qua in re nec dolus, nec fraus
* intercesserit), & alioquin ipsius instantia justa videa-
* tur, tantum illi temporis, & non amplius, ad com-
* morandum extra Diœcesim tribuatur, quantum judica-
* tum fuerit necessarium esse, ad Causæ Defensores, Ad-
* vocatos, & Judices de omnibus, quæ ad rem pertinent,
* sufficienter instruendos. Si enim licentia abessendi a
* Diœcesi usque ad finalem exitum causæ extendi debe-
* ret, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret
* in hisce casibus Episcoporum absentia, & quam facile
* evenire posset, ut pleræque Diœceses complurium an-
* norum spatio suorum Pastorum præsentia carerent.

* Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infir-
* mitatis extra Diœcesim contractæ, dum vacatione a
* Concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa re-
* gressum ad propriam Diœcesim sibi prohiberi; exponere
* debebunt contractæ infirmitatis qualitatem, & super ea
* testimonium Medici juramento firmatum exhibere. At-
* que ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad
* certum, ac definitum tempus concedi debebit, adjecta
* quoque clausula *si tamdiu infirmitas duraverit*.

* Ab iis autem, qui hujusmodi licentiam postulaverint,
* eo quod aeris mutatione opus sibi esse dicant ad conva-
* lescendum ex morbis, quos in suis Ecclesiis residendo
* contraxerunt, exprimendum erit in precibus quo morbi
* genere, & quam graviter laborent, ac proferendum te-
* stimonium Medici, qui jurejurando testetur, utile ac
* necessarium Oratori esse, ut in aliam Regionem, atque
* aerem per aliquod tempus se transferat. Nec illud si-
* lentio prætereundum, an scilicet Orator, antequam
* morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio per-
* missa usus fuerit: Si enim id nondum fecerit, &
* tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non repute-
* tur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in
* quibus tamen Conciliares Menses comprehendantur, a
* Residentia absens permaneat: At si prædictos Concilia-
* res Menses, remoto omni dolo & fraude, jam extra

* Diœcesim transegerit; tantum temporis ipsi indulgea-
* tur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem ve-
* re necessarium esse prudenter judicabitur.
* Qui tandem licentiam commorandi extra Diœcesim
* postulabit propter malignitatem aeris, quem in sua
* Diœcesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet;
* is videat etiam, atque etiam quid agat; Et quidem
* pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus
* sit Regionis aer; Item an eadem Cœli temperies totam
* comprehendat Diœcesim, itaut nullus intra ejus tractum
* locus existat, in quo suspectum illud tempus absque
* salutis detrimento transigere valeat; postremo an Conci-
* liaribus Mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos
* sibi sumpserit, non ægre obtinebit Indultum abessendi
* per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tam-
* diu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a
* Concilio permissi numerandi erunt: Si autem hujusmo-
* di Concilii indulgentia jam usus fuerit, frustra novum
* Indultum prædicta de causa ab Apostolica Sede postu-
* labit; sibique imputare debebit, quod quum sciret cer-
* to anni tempore in sua Diœcesi aerem insalubrem fo-
* re, concessos vacationis Menses in tempus illud non
* reservaverit. In omnibus autem absentiæ Indultis, quæ
* ratione aeris insalubris in posterum concedentur, hanc
* clausulam adjici volumus: *Dummodo intra Diœcesim*
* *aliquis locus non adsit, in quo aer salubris sit, & in*
* *quo Episcopus commorari possit.*
* Sane prædictus Urbanus Prædecessor non prætermisit
* eorum Antistitum causam considerare, qui Provincia-
* libus Conciliis, vel Congregationibus, seu Assembleis
* generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent,
* personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut
* Reipublicæ officiis, quæ ipsorum Episcopatibus, Ec-
* clesiisque adjuncta sunt, ad certum tempus extra Diœ-
* cesim occupari solent, ac debent, his quidem in præ-
* citata Constitutione licentiam abessendi concessit pro eo
* definito tempore, quo ejusmodi Concilia, Congrega-
* tiones, & Assembleæ peragentur, exercitiumque mu-
* neris, seu officii publici eorum Ecclesiis adjuncti, actu
* duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad Ec-
* clesias sibi commissas sese conferrent; cujus concessio-
* nis æquitatem Nos quoque agnoscentes, eandem ap-
* probamus, & confirmamus. Sed quum idem Urbanus
* nihil statuerit de Episcopis qui a Residentiæ suæ loco
* discedunt pro Processuum in causis Beatificationum,
* aut Canonizationum compilatione, Apostolica aucto-
* ritate ipsis delegata; necesse est aliquid a Nobis pro
* his etiam casibus opportune constitui.
* Expediuntur a Congregatione Sacrorum Rituum Li-
* teræ, quas vocant Remissoriales, & Compulsoriales,
* quibus committitur, ut supradicti Processus auctorita-
* te Apostolica conficiantur; eæque diriguntur tribus
* Episco-

* Episcopis, aut Superioribus Prælatis, cum clausula,
* ut *duo ad minus procedant*. Cumque in hujusmodi
* Episcoporum numero semper includatur Ordinarius
* loci, in quo Processus construitur; fere contingit, e
* tribus, ad quos Literæ sunt directæ, unum dumtaxat
* a Residentia avocari. Ubi itaque aliquis Episcopus
* Titularis Ecclesiæ in partibus Infidelium constitutæ
* haberi possit, volumus eum in præfatis Literis pro
* uno ex tribus Episcopis comprehendi. Quod si tres
* omnino Antistites in propriis Ecclesiis residentes ad
* hujusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque
* præcipimus, ut Literæ a prædicta Congregatione diri-
* gantur Episcopis, qui viciniores sunt Diœcesi, in qua
* Apostolicus Processus conficiendus erit. Quoniam ve-
* ro non de re agitur, quæ duabus tribusve hebdomadi-
* bus perfici queat; sed quæ plurium sæpe mensium,
* aut etiam annorum operam requirit; volumus, ut E-
* piscopi, qui ejusmodi delegationem acceptaverint, ne-
* cessariam licentiam abscedendi a Diœcesi, causam ab-
* sentiæ exprimendo, petere & impetrare non omit-
* tant, sub pœnis adversus eos constitutis, qui absque
* causa extra Diœcesim commorantur. In hujusmodi au-
* tem licentiis concedendis, statuimus, ut Conciliares
* Menses semper comprehendantur, & præter eos, tri-
* ginta dumtaxat dies, si opus fuerit, adjiciantur; nam
* & ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens
* est: &, si adhuc facienda supersint, quatuor alii men-
* ses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

* Hæc sunt, quæ salubriter in Domino statuenda ju-
* dicavimus, quæque pro regula, & norma in posterum
* haberi volumus, ut a Venerabilibus Fratribus Patriar-
* chis, Archiepiscopis, & Episcopis, gravissimum, quod
* ipsis incumbit, Residentiæ officium exacte impleatur.
* Itaque Dilecto Filio moderno præfatæ Congregationis
* super eadem Residentia Secretario, ejusque Successori-
* bus in perpetuum, injungimus, & in virtute sanctæ
* obedientiæ, sub pœnis contra inobedientes mandatis
* Apostolicis in re gravi, præcipimus, atque jubemus,
* ut supplices Libellos pro parte quorumcumque Antisti-
* tum sibi oblatos, in quibus ea, quæ supra adnotavi-
* mus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authen-
* tica documenta, superius pariter indicata, non sint
* adjuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad
* Pontificem referant: In Decretis autem, quæ post
* Pontificium assensum ab ipsis Secretariis in consueta
* audientia reportatum, a Cardinali ejusdem Congre-
* gationis Præfecto subscribenda erunt, suprascriptas clau-
* sulas respective apponere non prætermittant; illud
* etiam expresse cavendo, ut quæ concedentur Indulta,
* a die Datæ ipsorum Decretorum decurrere intelligan-
* tur.

* Denique Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates,

* Metropolitanos, & Episcopos omnes monemus, ut non
* solum ipsis statutas de Residentia leges adamussim obser-
* vent, sed etiam memores sint Decreti a Sacra Triden-
* tina Synodo editi *Sess. 6. cap. 1. de Reformatione*, quo
* jubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi ratio-
* nem respective vigilare, & non residentes Romano Pon-
* tifici infra certum tempus denunciare. Nostris quoque,
* & Apostolicæ Sedis Nuntiis hoc idem demandamus,
* & injungimus; ubi intra ipsorum Nuntiaturæ Distri-
* ctum aliquis Episcopus, seu Superior Prælatus existat,
* qui Canonicas Leges hac in parte violare dignoscatur.

* Et quia Nobis relatum est, nullibi frequentius præ-
* dictas Leges ab Episcopis violari, quam in proximo
* Neapolitano Regno, (neque vero id mirum in tan-
* to eorumdem numero), volumus, atque statuimus,
* ut in Indultis absentiæ, quæ pro Episcopis prædicti
* Regni in posterum expediri contingat, ad cæteras
* clausulas superius præscriptas, hæc etiam addatur, ut
* obtenta licentia exhiberi debeat Apostolico Nuntio
* Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris, & mo-
* menti habeatur. Nos siquidem prædicto Nuntio earun-
* dem præsentium tenore committimus, ut hujusmodi
* Licentias in acta sui Tribunalis referri faciat, item-
* que de causis, propter quas concessæ fuerint, inquirat,
* ac tempus in iis præfinitum observet, ad hoc scilicet,
* ut & per eum resciri possit, si quid obreptum, aut
* subreptum fuerit in precibus; & ipsum latere nequeat,
* si quis præscriptos sibi limites transgrediatur, sive abs-
* que necessario Apostolicæ Sedis Indulto, extra tempo-
* ra a Concilio permissa, longe ab Ecclesia, & Diœcesi
* sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pari-
* ter relatum fuit, Diœceses suas deserunt, & non qui-
* dem in Urbem Regni principem, ubi Apostolicus Nun-
* tius moram trahit, sed in alias se conferunt ejusdem
* Regni Civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis
* audiat; injungimus eidem Nuntio, ut per Officiales
* suos, atque Ministros, quos in omnibus Diœcesibus
* retinet, curet se certiorem fieri de Episcopis, quicum-
* que a propriis Diœcesibus recedunt, ut & ii, qui ob-
* tentis licentiis abutuntur, & multo magis ii, qui pro-
* prio marte se gerere præsumunt, (dum vel absque præ-
* via licentia, præter tempus a Concilio indultum a suis
* Diœcesibus absunt, vel si ob aliquem inopinatum even-
* tum ab ipsis discedere compulsi fuerint, hujusmodi li-
* centiam, statim ac destinatum locum pervenerint, pe-
* tere & impetrare non curant;) severiori sacrorum Ca-
* nonum, & Apostolicarum sanctionum censuræ subji-
* ciantur.

* Cæterum intendimus sub præsentium Literarum No-
* strarum ordinatione, & dispositione etiam ipsos Venera-
* biles Fratres Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi-
* nales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepisco-

* palibus,

* palibus, & Episcopalibus Ecclesiis prædictis ex concessione, & dispensatione Apostolica nunc præsunt, & in futurum præerunt, comprehendi, ac comprehensos esse, & fore.

* Præsentes quoque Literas, omniaque & singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, aut cujuscumque nullitatis, vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostræ, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, & præsertim ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitatesque, & alia servanda, & adimplenda nullatenus servata, & adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, & causa, etiam necessario exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illa apertionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari nullo unquam tempore posse; sed semper, perpetuoque valida, firma, & efficacia esse & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, perinde, ac si in Consistorio Nostro secreto, & de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio, & unanimi consensu emanassent. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, prædictamque Congregationem super Residentia deputatam, & quoscumque alios quovis auctoritate, & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, judicari & definiri debere, & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

* Non obstantibus &c.

* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1746. tertio nonas Septembris. Pontificatus Nostri Anno VII.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

Loco ✠ Plumbi.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

BE-

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

CIRCA CLERICOS NEGOTIATORES

Ad Pag. 82.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

APostolicæ servitutis commissum Nobis divinitus officium assidue vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala, quantum in nobis est, provida solicitudine coercentes, Dominici ovilis gregem, Superna opitulante gratia, ad æternam patriam dirigamus. Sed præcipua cura constringit de iis, qui Ecclesiastico Ordini adscripti, & ad sanctioris vitæ genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate prælucere debent. Vehementer enim timidi, ac soliciti sumus, ne cæteros Christifideles, quos pro gradus sui Sanctitate verbis, & exemplo ædificare debent, morum suorum gravitate, a cælestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

§. I. Cum itaque, ut non sine gravi animi Nostri mœrore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaserit animos, ut illicitam Ecclesiasticis negotiationem, ad evitandas Pœnas adversus illam exercentes a Sacris Canonibus, & Apostolicis Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus sancitas, sub alieni nominis velamine, Dei timore, Ecclesiastici nominis decore, & æterno suarum animarum periculo posthabitis, temere, nulliterque exercere non dubitent; &, quod palam temporalium pœnarum metu aggredi non audent, quæsitis deinde coloribus, & vanis inanium rationum prætextibus clam efficere non timeant: quasi vel Dei oculos, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, latere, vel Supremi Judicis, qui non fallitur, examen effugere possint. Non attendentes, quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, cælestia despicere, & pro nihilo putare convincitur, & quod Clericus negotiator ex inope dives, & ex ignobili gloriosus, is tanquam pestis, ut Beatus Hieronymus docet, fugiendus est; ad

* exitiosam hujusmodi labem ab Ecclesiastico Cœtu eli-
* minandam, & ut Sancto Ecclesiæ Dei famulatui addi-
* cti, ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes, stu-
* deant bene agere, & divites fieri in bonis operibus,
* thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum;
* omnes & singulas Romanorum Pontificum Prædecesso-
* rum Nostrorum prædictorum Constitutiones, illarum-
* que quamlibet contra quoscumque Clericos illicitos ne-
* gotiatores desuper quomodolibet respective, cum o-
* mnibus, & singulis pœnis, contra eosdem Clericos il-
* licite negotiantes, editas, quas Constitutiones hujus-
* modi ac earum quamlibet præsentibus de verbo ad ver-
* bum, nihilo penitus omisso, pro insertis haberi volu-
* mus, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque
* deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine
* Nostris innovamus, confirmamus, & approbamus, eis-
* que, & earum cuilibet novum Apostolicæ firmitatis,
* & inviolabilis observantiæ robur adjicimus, illasque sic
* innovatas, confirmatas, & approbatas, cum omni-
* bus, & singulis pœnis in eis, & earum qualibet adver-
* sus Clericos illicitos negotiatores hujusmodi contentis,
* ad Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodo-
* libet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac pro-
* prio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, o-
* mnesque, & singulæ Constitutiones, earumque quæli-
* bet adversus eos desuper editæ fuissent, & in eis, &
* earum qualibet expressi, & denominati reperirentur,
* motu & potestatis plenitudine præfatis perpetuo exten-
* dimus, & ampliamus, illorumque omnia, & singula
* bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita, sub
* inevitabili spolii pœna, ad formam Constitutionis fel.
* rec. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris Nostri, quæ
* incipit: *Decens esse*: subjicimus, & subjecta esse vo-
* lumus, & declaramus.

* §. 2. Insuper, ut in sortem Domini vocati, depo-
* sitis quocumque mundanarum curarum onere, & hu-
* manarum cupiditatum impedimentis, Christum Do-
* minum, qui propter Nos egenus factus est, cum es-
* set dives, ut illius inopia Nos divites essemus, per
* calcatas mundi opes liberius, & expeditius sequan-
* tur, memores salutaris illius Beati Apostoli moniti,
* qui clamat, & dicit: *nemo militans Deo implicat se*
* *negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit*,
* per easdem Nostras præsentes perpetuo valituras, mo-
* tu, & potestatis plenitudine præfatis decernimus, ac
* pariter declaramus, quod si aliquod negotium Eccle-
* siasticis illicitum personis, licet ab eis minime insti-
* tutum, sed a laica persona inchoatum, & ad eosdem
* Clericos sive hæreditario jure, aut quocumque alio
* titulo, sive singulariter, sive communiter, sive sepa-
* ratim, sive conjunctim cum aliis bonis, & aliis co-
* hæredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fue-

rit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohæredes, aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium hujusmodi sine ipsius Clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc, si intra Italiam Insulasque adjacentes existat Clericus, a Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini interpretum Congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario Loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim, quod negotium hujusmodi a laico administretur, impetrare teneatur; dictaque Congregatio, aut Ordinarius Loci, perpensis singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum præscribat; & si Clericus negotium præfatum, licet a Laico, ut præfertur, institutum, absque licentia hujusmodi gratis semper sibi impertienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus, & singulis etiam spolii pœnis præfatis subjectum esse, motu, & potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus, & definimus.

* §. 3. Ac demum, eo quod fel. rec. Prædecessor Noster Pius Papa IV. per suas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*: declaravit, præfata Constitutione super Spoliis Clericorum ob illicitam negotiationem a se edita, Prælatos, Officiales, ac alios Sæculares, & cujusvis Ordinis Regulares Clericos, aliosque cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ in Urbe, & Curia, ejusque Districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi, & alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi, vel ad ipsorum proximiores, decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex speciali Sedis Apostolicæ indulto, vel suorum Officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes, nullatenus comprehendi, & quod Paulus Papa V. pariter Prædecessor Noster per suas Literas, quæ incipiunt: *In eminenti*: Clericos Cives, & Curiales, sive Incolas hujus Nostræ Almæ Urbis, tunc suæ, exemit a spolio, quoad bona in eadem Urbe, ejusque Districtu intra decem milliaria consistentia, etiam ex redditibus Ecclesiasticis per eos acquisita, unde dubitari contigit, an suffragetur quoque ad evitandum Spolium Cameræ Nostræ Apostolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: Nos Constitutiones Pii, & Pauli Prædecessorum Nostrorum præfatas, quoad bona ex illicita negotiatione hujusmodi a Civibus, & Curialibus, sive Incolis Clericis cujuscumque Ordinis,

ac Dignitatis, quibuſcumque indultis, ac privilegiis munitis, comparata, & in Urbe, ejuſque Diſtrictu præfatis, & ubicumque exiſtentia, minime ad præmiſſorum effectum ſuffragari, ſed illa ſic provenientia Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ vero jure ſpolii deberi, perinde ac ſi Conſtitutiones Pii, & Pauli Prædeceſſorum hujuſmodi ad præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectum impediendum minime emanatæ fuiſſent, Motu ſimili pariter declaramus, & ſtatuimus, dictaſque Pii, & Pauli Prædeceſſorum Conſtitutiones, quoad præmiſſorum effectum ſortiendum, plenarie abrogamus, & abolemus.

§. 4. Decernentes ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quovis quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Noſtro Annibali S. R. E. Cardinali Epiſcopo Sabinen. Albani nuncupato Camerario Noſtro, & ejus in Camerariatus officio ſucceſſoribus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſpolia ipſa ex bonis ex illicita negotiatione provenientia, uti vere ſpolia, prout alia ipſius Cameræ jura, exigi, & recuperari, ac præſentes Noſtras Literas inviolabiliter obſervari faciat, nec permittat, Cameram ipſam, vel pro ea agentes deſuper modo aliquo moleſtari, perturbari, aut inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & appellatione poſt poſita compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus prædicti Pii, & Pauli Prædeceſſorum, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quibuſvis facultatibus teſtandi, aliiſque privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis conceſſis, approbatis, & innovatis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda eſſet, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis in reliquis in ſuo robore permanentibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; etiam ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem. Et quia difficile foret præſentes Noſtras Literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & declaramus, quod earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus Præ-

* lati sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio, & * extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent * exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum li- * ceat hanc paginam Nostri decreti, approbationis, con- * firmationis, innovationis, declarationis, statuti, ordi- * nationis, concessionis, derogationis, & voluntatis in- * fringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis au- * tem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omni- * potentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolo- * rum ejus se noverit incursurum.

* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem An- * no Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo * quadragesimo primo, quinto Kalendas Martii, Ponti- * ficatus Nostri Anno primo.

D. Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA

Loco ✠ Plumbi.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

CIRCA RESIGNATIONES BENEFICIORUM cum reservatione Pensionis, Tract. I. Cap. XII. De Pensionibus. *Pag.* 149.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

* IN sublimi Beati Petri Cathedra Divina dispensatio- * ne, licet immerentes, collocati, gravi dolore con- * stringimur, quoties considerationis nostræ oculos * convertimus ad præstantiorem Dominici Gregis * partem, hoc est ad Ecclesiasticum cœtum, eumque * conspicimus, vel pravis moribus, vel indecoris acti- * bus dehonestari; non enim ignari sumus, quanta sit * inde in populis corruptionis timenda pernicies, si sal, * unde cætera condiri debent, evanuerit.

* §. 1. Pervenit quidem ad aures solicitudinis nostræ, * non raro contingere solere, ut quidam Clerici in mi-

* noribus, vel majoribus ordinibus constituti, aut sola
* Ecclesiastica tonsura decorati, Beneficia, seu Officia
* simplicia, vel cum onere residentiæ possidentes, aliis
* resignent, annua sibi pensione sub Apostolico beneplacito
* reservata, inito eodem tempore pacto cum Resignata-
* rio, cassandi, & abolendi dictam pensionem, repræ-
* sentata pecunia, nempe factis quibusdam anticipatis solu-
* tionibus pecuniarum ad eam summam, quæ ad abolitio-
* nem, & extinctionem prædictæ pensionis, vel potius ad
* palliatam ipsius beneficii venditionem nefarie perficien-
* dam, expressa inter Partes conventione, stabilita fuit.
* Et quoniam profani isti Beneficiorum distractores non
* ignorant, quod si hujusmodi improba pacta Datariæ
* Apostolicæ nostræ Ministris, aut Nobis innotescerent,
* nunquam resignationes hujusmodi a Datario, vel Pro-
* datario Nostro, vel a Nobis, aliisque Romanis Ponti-
* ficibus pro tempore existentibus admitterentur; ut cir-
* cumspectam eorumdem Datariæ Apostolicæ Officialium,
* & Nostram, aliorumque Pontificum vigilantiam falle-
* rent, callida malorum improbitas hanc perditionis
* viam, & rationem excogitavit: Arcano, & clande-
* stino pacto inter Resignantem, & Resignatarium, ad
* pensionem cassandam, & extinguendam, conventa pe-
* cuniæ quantitate, eaque quandoque etiam deposita
* apud publicum mercatorem, seu mensam argenta-
* riam, unitim, ac simul expediri curant Bullam
* resignationis Beneficii, & alteram Pensionis reserva-
* tæ super eodem Beneficio favore Resignantis; ita
* tamen, ut prope eodem, vel non multo post tempo-
* re, quo Supplicationi pro reservatione Pensionis so-
* lita Data apponitur, alia Supplicatio subscribatur, seu
* signetur pro cassatione, atque extinctione ejusdem
* Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones
* facienda, nulla mentione facta de præcedenti abomi-
* nanda conventione, & simoniacam labem redolente pa-
* cto, quo Beneficii resignatio in occultam ipsius Benefi-
* cii venditionem execrabili transformatione commutatur.
* §. 2. Cum autem hujus generis pacta improba, re-
* probata, damnata sint, & gratiæ hujusmodi cassatio-
* nis, seu extinctionis Pensionis, tamquam subreptitiæ,
* & dolosa calliditate obtentæ, & quæ, rei veritate, &
* totius negotii serie expressa, numquam a Sede Aposto-
* lica concessæ fuissent, nullæ, irritæ, ac inanes sint,
* & in maximum animarum eas fraudulenter impe-
* petrantium damnum, ac detrimentum tendant, & præ-
* terea scandalo simplicibus, & bonis abominationi, &
* pluribus æterno exitio sint: Siquidem gratiarum hujus-
* modi impetratores, qui Ecclesiastica Beneficia tali
* infami mercatu negotiantur potius, quam resignant,
* non solum gravissimo peccato, quod præ oculis habe-
* re deberent, animas suas illaqueant, sed insuper
* palam apud omnes in populo, non sine infamia Ec-

* clesia-

* clesiastici ordinis, exsecrantur, & contemnuntur; Et
* si pro aliis Beneficiis obtinendis ad Datariam Aposto-
* licam accedere ausi fuerint, tamquam Beneficiorum
* Venditores male audiunt, & publice redarguuntur;
* cum statim ipsis ab eorum competitoribus opponatur
* Resignatio facta, cum cassatione Pensionis per antici-
* patas, seu anticipandas solutiones, hoc est, indigna
* Beneficii jam antea obtenti negotiatio, & clandestina
* sub ambagibus, & fraudulentis conventionibus detestan-
* da venditio.

* §. 3. Nos igitur hoc execrabile malum, quo non le-
* ve Ecclesiastico Ordini dedecus, & infamiæ nota inu-
* ritur, prout necessitas, & pastorale munus postulat,
* coercere in futurum volentes, & longe a Sanctuario
* Dei profanam hujusmodi abominationem removere,
* Motu proprio, ac certa scientia, & matura delibera-
* tione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine
* statuimus, & declaramus, omnia hujusmodi pacta,
* & conventiones pro cassatione, seu abolitione Pensio-
* num per anticipatas, vel anticipandas solutiones con-
* temporanee ad Resignationes Beneficiorum, cum re-
* servatione Pensionis, per quascumque personas qua-
* vis dignitate, honore, ac præeminentia insignitas ini-
* ta, tamquam a Sacris Canonibus, & Apostolicis Con-
* stitutionibus improbata, & simoniacam labem redo-
* lentia, nulla, cassa, ac irrita esse; & omnes cassatio-
* nes, abolitiones, & extinctiones Pensionum hujusmo-
* di, quas in posterum intra sex menses, a die captæ
* possessionis Beneficii per Resignatarium computandos,
* fieri contigerit, etiam si nullum præcedens pactum in-
* tervenisse inter partes probari possit, & cassatio præ-
* dicta secuta sit vigore Supplicationis manu nostra, vel
* Romani Pontificis pro tempore signatæ, quam nulla-
* tenus, tamquam per subreptionem, & fraudes ob-
* tentam, neque in judicio, neque extra, ad ullum
* effectum eis suffragari volumus, irritas, nullas, &
* inanes esse ac omnibus viribus, ac effectu vacuas, &
* quatenus opus sit, motu, scientia, & deliberatione si-
* mili, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, teno-
* re præsentium damnamus, revocamus, annullamus,
* cassamus, & abolemus, & insuper tam Resignantem,
* quam Resignatarium ab omni jure Beneficii decidis-
* se, eosque ipso facto, absque alia declaratione,
* vel Judicis sententia, privatos, & ad alia obtinenda
* inhabiles esse, ac fore, & a quocumque Beneficium
* hujusmodi, tamquam de jure, & de facto vacans,
* impetrari posse; & præterea Resignantem ad resti-
* tuendas pecunias pro cessatione Pensionis hujusmodi
* indebitæ, & simoniace perceptas, quæ arbitrio
* Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pau-
* peribus personis distribuendæ, sub peccato gra-
* vi teneri, & Ecclesiasticis remediis, ac pœ-

* nis,

nis, ſi renuat, ipſo jure, abſque alia ſententia, & declaratione, cogi poſſe, motu, ſcientia, & poteſtate pari decernimus, & declaramus.

* §. 4. Et quoniam multa malitia hominum eſt in terra, ut omnis aditus fraudibus, & dolis, quos perverſa nonnullorum calliditas, & in exitium ſui ingenioſa excogitare conſuevit, quoad fieri poteſt, intercludatur, volumus, præcipimus, & declaramus, ſub hac Noſtra voluntate, conſtitutione, & diſpoſitione comprehendi omnes, & ſingulas ceſſiones, ſeu translationes in ipſum Reſignatarium, aut in aliam perſonam, commodi, ſeu utilitatis percipiendi fructus penſionum hujuſmodi, necnon alias quaſcumque ceſſiones, translationes, reſignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore, & auctoritate, per anticipatas ſolutiones, ſeu repræſentata pecunia factas intra dictum tempus ſex menſium; & etiam ultra id temporis ſpatium, dummodo reprobum illud, & deteſtabile pactum præceſſiſſe conſtiterit.

* §. 5. Mandamus præterea, & jubemus, eaſdem præſentes litteras perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, & nullo umquam tempore ſub quovis colore, & prætextu, etiam defectus noſtræ intentionis impugnari poſſe: Sicque, & non alias, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, per quoſcumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ Nuncios, alioſque quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Reſignantium, ſeu Cedentium voluntatibus, conditionibus, proteſtationibus, & clauſulis in ipſiſmet reſignationibus, & ceſſionibus, ſeu Procuratorum conſtitutionibus, & Mandatis, ac alias, etiam ad præſervationem ſuorum jurium, & ſignificationem, quod non aliter, nec alio modo reſignant, ſeu cedunt, appoſitis, & quacumque verborum vi, formula & multiplicatione & amplitudine expreſſis, nec non quibuſvis indultis, privilegiis, & gratiis Apoſtolicis tam generalibus, quam particularibus, quantumvis ſpeciali mentione, & nota dignis, quibuſcumque Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis ſuperioribus, & inferioribus Eccleſiarum Prælatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum, & noſtris familiaribus continuis commenſalibus, necnon Litterarum Apoſtolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæteriſque Romanæ Curiæ Officialibus conceſſis, & confirmatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

* §. 6. Cæterum, ut facilius præſentes Litteræ omni-

" bus innotescant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ
" excusari possit, jubemus, easdem ad valvas Ecclesiæ
" Lateranensis, & Principis Apostolorum, necnon Can-
" cellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Ci-
" tatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque lo-
" cis solitis, & consuetis, ut moris est, publicari, eo-
" rumque exempla affigi: Volumusque, eas, sic publica-
" tas, omnes, & singulos perinde afficere, & obligare,
" ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ. Exemplis
" quoque prædictis etiam impressis, manuque Notarii pu-
" blici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curiæ ob-
" signatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præ-
" sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

" §. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc pa-
" ginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis,
" annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti,
" ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrai-
" re; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indigna-
" tionem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pau-
" li Apostolorum ejus se noverit incursum.

" Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem An-
" no Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo
" quadragesimo primo, quarto Kal. Septembris Pontifi-
" catus Nostri Anno II.

" *D. Card. Passioneus.*
" *X. Sub-Datarius.*

" VISA DE CURIA.

" N. Antonellus.

" Loco ✠ Plumbi.

" J. B. Eugenius.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

Circa Missarum Eleemosynas, & vetita Mercimonia in ipsis exercita ad pag. 197.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUANTA cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret.

§. 1. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum Virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem, seu stipendia propter Missarum celebrationem, juxta locorum consuetudines, vel Diœcesanarum Synodorum Sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus præscripta, colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ, seu stipendia, vel consuetudine, vel Synodali lege, pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam si illic, ubi accipiuntur, darentur.

§. 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa, sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis, & pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutio-

* ni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum
* quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmo-
* di venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebran-
* das Missas amplius offerendis sese abstineant.

* §. 3. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim
* irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores
* Nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardi-
* nalium Universalis Inquisitionis contra hæreticam pra-
* vitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii
* Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum
* a quolibet Sacerdote, stipendio, seu eleemosyna majo-
* ris pretii pro celebratione Missæ, a quocumque acce-
* pta, non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi cele-
* braturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii
* erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, &
* consentienti, se majoris pretii stipendium, seu eleemo-
* synam accepisse indicasset.

* §. 4. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, in Apo-
* stolici Ministerii, & sollicitudinis Nostræ partem adsci-
* tos, rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut
* custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini,
* ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extin-
* guatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala
* omnia germinant; quam quidam appetentes, errave-
* runt a Fide, & inseruerunt se doloribus multis. Ava-
* ritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam a-
* pud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opi-
* nionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus De-
* um posthabere, ac servire Mammonæ docens, efficit,
* ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Christi,
* & Dei. Quod si hæc in Laicis hominibus minime to-
* leranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Eccle-
* siasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt,
* qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt?
* Quid, quod non per mundana lucra, sed per Altaris
* ministerium, tam sordide, & cum sanctissimarum le-
* gum contemptu, & cum Sacerdotalis characteris dede-
* core, in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Con-
* tendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi o-
* vium cura demandata est, non solum ut verbo, & ex-
* emplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni lo-
* co, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam
* ut Ecclesiasticos primum, deinde Laicos viros ab infe-
* ctis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandato-
* rum Dei ad Cæleste Ovile currere doceatis.

* §. 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut præ-
* sentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtempe-
* retur; per Edictum in vestris Diœcesibus proponendum
* affigendumque, universis notum facite, quemcumque,
* qui eleemosynas, seu stipendia majoris pretii pro Mis-
* sis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines,
* vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Missas, re-

* tenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipen-
* diorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro
* Missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ
* tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, seu Sæ-
* cularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœ-
* nas, Excommunicationis pœnam, Clericum vero, sive
* quemcumque Sacerdotem, pœnam Suspensionis ipso fa-
* cto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per
* Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore e-
* xistentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi
* possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unus-
* quisque memor conditionis suæ, posthac bene consul-
* tum velit animæ suæ, nec tam salutares leges censu-
* rasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitati-
* bus Vestris Apostolicam Benedictionem, in populos et-
* iam curæ vestræ commissos redundaturam, peramanter
* impertimur.

* §. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum tran-
* sumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus
* Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Eccle-
* siastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fi-
* des in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur
* ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub
* Annulo Piscatoris die 30. mensis Junii 1741. Pontifica-
* tus Nostri Anno I.

* *D. Cardinalis Passioneus.*

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
In hoc Secundo Tomo contentarum ordine Alphabetico.

A

Be-

C

In

Con-

Con-

D

E

Epi-

O

Qui

P

Pen-

R

SCiant Sacerdotes Scripturas sanctas, Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat,

Si-

T

V

FINIS.

HEO
ORA
NE